Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
5 G
30

M

14 — 15 - 6. 13.

Google

C.66.e

Digitized by Google

Digitized by Google


PHILOSOPHUS
IN UTRAMQUE PARTEM,

SIVE

SELECTÆ ET LIMATÆ
DIFFICULTATES IN UTRAMQUE PARTEM,
CUM RESPONSIONIBUS,
Ad uſum Scholæ;
Circa celebres univerſæ Philoſophiæ Controverſias.

Operâ & labore L. D**** *Licentiati Theologi ſocii Sorbonici, & Philoſophiæ Profeſſoris in Academiâ Pariſienſi.*

Conv.tus S. M.ae EDITIO NOVA. de Scala Roma



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud Viduam CLAUDII THIBOUST,
ET
PETRUM ESCLASSAN, Juratum Bibliopolam, & Typographum Univerſitatis, è regione Collegii Regii.

M. DC. XCVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

[illegible]

Digitized by Google

INDEX QUÆSTIONUM

Quæ in hocce Libro continentur.

DISPUTATIONUM RUDIMENTA, *paginâ.* 1.
De definitione Philoſophiæ. 2.
De diviſione Philoſophiæ. 7.
DE DEFINITIONE METAPHYSICES. 11.
De Ente. 14.
De Deo. 17.
De Angelis. 22.
De Animâ Rationali. 24.
DE DEFINITIONE PHYSICES. 26.
De Principiis corporum naturalium. 29.
De definitione Naturæ. 32.
De Motu. 34.
De diviſione Corporis. 35.
De definitione Animæ. 36.
De diviſione Animæ. Ibid.
DE DEFINITIONE MORALIS. 38.
De Bono. 41.
De Beatitudine. 43.
De Voluntario. 45.
De Libero. 47.
DE DEFINITIONE LOGICES. 49.

De Univerſalibus. 52.
De Categoriis. 54.

QUÆSTIO PRIMA. De Exiſtentiâ Philoſophiæ, *paginâ.* 1.
II. *Utrum Adamus habuerit Philoſophiam.* 11.

DE REBUS LOGICIS.

QUÆSTIO PRIMA. *De Exiſtentiâ Logicæ artificialis.* 25.
II. *De naturâ Logicæ.* 28.
III. *De objecto Logices.* 58.
IV. *De neceſſitate Logices ad alias ſcientias.* 66.
V. *De diſtinctione Logicæ docentis ab utente.* 72.
VI. *An apprehenſio incomplexa ſit capax falſitatis.* 79.
VII. *De diſtinctione graduum Metaphyſicorum.* 85.
VIII. *An detur univerſale formaliter à parte rei.* 99.
IX. *De numero univerſalium.* 107.
X. *De univocatione entis.* 112.
XI. *An Deus ſit in Categoriâ ſubſtantiæ.*
XII. *De termino relationis.* 129.

XIII. *Sit-ne Deus ſubjectum relationis categoricæ?* 135.
XIV. *De fundamento relationis.* 137.
XV. *De Propoſitionibus de Futuro contingenti.* 142.
XVI. *De Scientiâ, Fide & Opinione.* 151.

DE REBUS MORALIBUS.

QUÆSTIO PRIMA. *De malo quatenùs malo.* 157.
II. *De modo agendi Belluarum propter finem.* 165.
III. *De Beatitudine Hominis objectivâ.* 173.
IV. *De Beatitudine formali.* 179.
V. *De poßibilitate Statûs naturæ puræ.* 189.
VI. *De exiſtentiâ libertatis moralis.* 196.
VII. *De indifferentiâ Libertatis.* 202.
VIII. *An dentur actus humani indifferentes in individuo.* 208.
IX. *An virtus moralis ſit habitus eſſentialiter bonus.* 217.
X. *De Medio virtutis moralis.* 222.
XI. *De ſubjecto Fortitudinis & Temperantiæ.* 225.
XII. *An Judex debeat judicare ſecundùm allegata & probata contra propriam ſcientiam.* 227.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

DE REBUS METAPHYSICIS.

QUÆSTIO PRIMA. *De Exiſtentiâ & Naturâ Metaphyſices.* 233.
II. *De Potentiâ obedientiali.* 237.
III. *De primo cognitionis Principio.* 243.
IV. *Sit-ne poſſibilis Creatura creatrix?* 248.
V. *De concurſu Dei cum Creaturis.* 254.
VI. *De Præmotione Phyſicâ.* 259.
VII. *Dentur-ne Accidentia Phyſica?* 264.
VIII. *De Exiſtentiâ Dei.* 267.
IX. *De immortalitate Animæ rationalis.* 273.

DE REBUS PHYSICIS.

PROPOSITIO PRÆAMBULA. 281.

QUÆSTIO PRIMA. *De principiis corporum naturalium.* 284.
II. *De exiſtentiâ materiæ primæ.* 291.
III. *De exiſtentiâ formæ ſuſtantialis.* 297.
IV. *De diſtinctione magnitudinis à materiâ.* 309.
V. *De compoſitione Continui.* 319.
VI. *De Vacuo.* 336.

VII. *De aſcenſu gravium in vulgatis experimentis.* 344.
VIII. *De cauſâ deſcenſûs gravium.* 357.
IX. *De legibus motuum à Carteſio latis.* 364.
X. *De Variis Mundi Syſtematibus.* 367.
XI. *De naturâ Luminis.* 376.
XII. *De naturâ Colorum.* 384.
XIII. *De naturâ Coloris & Frigoris.* 388.
XIV. *De virtute magneticâ.* 393.

FINIS.

Extrait du Privilege du Roy.

PAr Lettres Patentes données à Paris le 29. jour de Juillet 1693. Signées par le Roy en ſon Conſeil, LE NORMANT, & ſcellées du grand Sceau de cire jaune, il eſt permis à noſtre bien amé L. D**** *Licentié en Theologie de la Maiſon & Societé de Sorbonne, & Profeſſeur de Philoſophie en l'Univerſité de Paris*, de faire imprimer un Livre intitulé, *Philoſophus in utramque partem*, pendant le temps de huit années entieres & conſecutives: avec défenſes à tous Libraires, Imprimeurs & autres, de l'imprimer, ou faire imprimer, vendre & debiter, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende, & de tous dépens, dommages & intereſts, comme il eſt plus amplement porté par leſdites Lettres.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 11. *Decembre* 1693. *Signé*, P. AUBOUIN, *Syndic.*

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 30. de Decembre 1693.

PRIMA

PRIMA

DISPUTATIONUM RUDIMENTA

IN GRATIAM ADOLESCENTIUM AD RES PHILOSOPHICAS CONTENDENTIUM.

DIFFICILES eſſe ad res Philoſophicas aditus cùm nemo neſciat, viſum eſt mihi perutile, vel in ipſo limine compendioſæ Inſtitutionis, prima diſputationum elementa ſubminiſtrare, ut uſu quodam, & conſuetudine diſputandi de levioribus, ad graviora deinceps capeſſenda, in quibus ſita eſt veritatis comprehenſio, Adoleſcentium animus & promptior fieret & paratior. Atque ad faciliorem eorum quæ dicenda ſunt intelligentiam, unum eſt vel alterum obſervandum.

PRIMÒ quidem uſitatus omnis argumentandi modus, vel tribus continetur propoſitionibus, diciturque *Syllogiſmus*: vel duabus duntaxat, diciturque *Enthymema*.

Syllogismus eſt argumentatio tribus conſtans propoſitionibus; quarum prima dicitur *Major*, ſecunda *Minor*, tertia *Conſequens*, ut verbi gratia ſi quis dicat

Omnis homo eſt animal rationale :
Atqui Petrus eſt homo ;
Ergo Petrus eſt animal rationale.

Enthymema eſt argumentatio duabus conſtans propoſitionibus, quarum prima dicitur *Antecedens*, altera verò *Conſequens*, ut ſi quis dicat

Petrus eſt homo ;
Ergo Petrus eſt animal rationale.

Secundò. Omnis propoſitio vel Syllogiſmi vel Enthymematis, aut eſt evidenter vera, & tunc, ſimpliciter eſt concedenda ; aut eſt evidenter falſa, & tunc, ſimpliciter eſt neganda ; vel tandem eſt ambigua, id eſt uno ſenſu vera, & altero falſa, & tunc, eſt inter reſpondendum adhibenda diſtinctio.

De definitione Philoſophiæ.

I. PROPOSITIO.

Philoſophia eſt Cognitio.

Probatur. Cognitio eſt vitalis quædam objecti repræſentatio. Cognoſcere, eſt vitaliter ſibi repræſentare objectum. Atqui Philoſophia eſt vitalis quædam repræſentatio rerum naturalium in mente. Ergo Philoſophia eſt cognitio.

OBJECTIO.

EA Diſciplina non rectè definitur cognitio, quæ non pertinet ad facultatem cognoſcentem: Atqui Philoſophia non pertinet ad facultatem cognoſcentem; Ergo Philoſophia non rectè definitur cognitio.

RESPONSIO. *Concedo Majorem*; *Nego Minorem*. Nam Philoſophia pertinet ad intellectum humanum: atqui intellectus eſt facultas cognoſcitiva; ergo Philoſophia pertinet ad facultatem cognoſcentem.

INSTABIS *probando Minorem negatam*. Amor non pertinet ad facultatem cognoſcentem: Atqui Philoſophia dicitur & eſt amor Sapientiæ; Ergo Philoſophia non pertinet ad facultatem cognoſcentem.

RESPONSIO. DISTINGUO MAJ. Amor non pertinet ad facultatem cognoſcentem, amor ſtrictè ſumptus, *Concedo*: amor latè ſumptus, *Nego*. Et ſimiliter *Diſtinguo minorem*, atqui Philoſophia eſt amor latè ſumptus, *Concedo minorem*: eſt amor ſtrictè ſumptus, *Nego minorem* & *Nego conſequentiam*. Explico *diſtinctionem*.

ITAQUE amor ſumitur dupliciter, ſtrictè & latè. Amor ſtrictè ſumptus eſt actus voluntatis circa bonum. Amor latè ſumptus eſt inclinatio cujuſcumque facultatis circa ſuum objectum.

PORRÒ dum Philoſophia dicitur amor ſapientiæ, tunc amor ſumitur latè, pro inclinatione intellectûs ad veritates Philoſophicas.

II. PROPOSITIO.

Philoſophia eſt cognitio vera.

PROBATUR. Ea cognitio eſt vera, quæ conformis eſt objecto ſuo. Atqui Philoſophia conformis eſt objecto ſuo, quia res naturales repræſentat tales, quales ſunt. Ergo Philoſophia eſt cognitio vera.

OBJECTIO.

EA diſciplina non eſt cognitio vera, quæ plurima docet vero minùs conſentanea; Atqui Philoſophia multa docet quæ minùs vera ſunt, præſertim verò de rebus Phyſicis. Ergo Philoſophia non eſt cognitio vera.

RESPONSIO. DISTINGUO MAJ. Quæ plurima docet vero minùs conſentanea, docet affirmando eſſe vera, *Concedo*; docet ſuſpicando & conjiciendo ſolùm, *Nego*. Porrò ſi quæ doceat Philoſophia quæ ſint minùs vera, ea docet non tam affirmando aut definiendo, quàm ſuſpicando ita eſſe.

INSTABIS. Si Philoſophia doceat multa ſuſpicando magis quàm definiendo, igitur ipſa non eſt cognitio certa.

RESPONSIO. DIST. Igitur Philoſophia non eſt certa De rebus obſcuris *Concedo*, non eſt certa De rebus claris atque evidentibus *Nego*.

III. PROPOSITIO.

Philoſophia eſt cognitio certa.

PROBATUR. Ea cognitio eſt certa, quæ fundatur in principio certo & inconcuſſo. Atqui Philoſophia fundatur in principio certo & inconcuſſo, nempe in evidentiâ. Ergo Philoſophia eſt cognitio certa.

OBJECTIO I.

EA cognitio non eſt certa, quæ principio nititur fallaci & incerto. Atqui Philoſophia nititur principio fallaci. Ergo non eſt cognitio certa.

RESPONSIO. NEGO MIN. Quippe habet ſubjectum certum, objectum certum, & motivum certum.

INSTABIS. Philoſophia nititur ſenſibus. Atqui ſenſus ſunt fallaces; Ergo Philoſophia nititur principio fallaci.

RESPONSIO. DIST. MIN. Atqui ſenſus ſunt fallaces, quando deſunt conditiones ad benè & tutò ſentiendum requiſitæ, C. quando adſunt omnes ad benè ſentiendum conditiones, N. Sunt autem tres hujus modi conditiones. 1°. eſt, Ut organum ſensûs ſit benè affectum. 2°. Ut objectum ſit in debitâ diſtantiâ. 3°. Ut medium ſit benè diſpoſitum.

II. OBJECTIO.

Ea cognitio non eſt certa, cujus principia poſſunt in dubium revocari. Atqui principia Philoſophiæ poſſunt in dubium revocari. Ergo non eſt cognitio certa.

Responsio. Nego Min. Cùm enim Philoſophiæ principia ſint evidentia, evidentia autem ſit certiſſima veritatis regula; non poſſunt in dubium ſine abſurditate revocari.

Instabis. Ea principia poſſunt in dubium revocari, quæ ab aliis habentur ut vera, ab aliis ut falſa. Atqui principia Philoſophiæ habentur ut falſa à Pyrrhoniis. Ergo poſſunt in dubium revocari.

Responsio. Dist. Maj. Quæ ab aliis habentur ut falſa, habentur prudenter & cum legitimo fundamento, C. temerè & abſque fundamento, N. Porrò Pyrrhonii temerè dubitant de primis Philoſophiæ principiis, quæ quia ſunt evidentia, errori ſubjacere nequeunt.

IV. PROPOSITIO.

Philoſophia eſt cognitio per cauſas.

Probatur. Ea cognitio eſt per cauſas, quæ non ſolùm res attingit, ſed etiam rerum cauſas explorat. Atqui Philoſophia eſt hujuſmodi; ſic Philoſophia non ſolùm docet Lunam Eclipſim pati, ſed & cauſam Eclipſeos aſſignat, nempe interpoſitionem Terræ inter Solem & Lunam.

OBJECTIO.

Disciplina, quæ verſatur circa res quarum nulla eſt cauſa, non eſt cognitio per cauſas. Atqui Philoſophia verſatur circa res quæ cauſas non habent, v. g. circa Deum; Ergo non eſt cognitio per cauſas.

Responsio. Dist. Maj. Quarum nulla eſt cauſa neque eſſendi, neque cognoſcendi, C. cauſa eſſendi tantùm, N. Porrò quidem Deus non habet cauſas eſſendi, ſiquidem eſt independens; ſed habet cauſas cognoſcendi, quia ex creaturis præcognitis aſſurgimus ad notitiam Dei.

De diviſione Philoſophiæ.

I. PROPOSITIO.

Philoſophia rectè dividitur in Speculativam & Practicam.

Probatur. Philoſophia vel conquieſcit in objecti ſui contemplatione, vel non conquieſcit. Si conquieſcat, eſt ſpeculativa; ſi non conquieſcat, eſt practica. Ergo Philoſophia rectè dividitur in ſpeculativam & practicam.

OBJECTIO.

Philosophia non rectè dividitur in ſpeculativam & practicam, ſi omnis Philoſophia ſit practica. Atqui res ita eſt; Ergo

A iiij

Philoſophia malè dividitur in ſpeculativam & practicam.

Responsio. Nego Min. Quia Phyſica v. g. non eſt practica.

Instabis probando Min. Ea omnis diſciplina eſt practica quæ operatur. Atqui omnis Philoſophia operatur, putà conficit demonſtrationes de objecto ſuo. Ergo omnis Philoſophia eſt practica.

Responsio. Distinguo Maj. Ea omnis diſciplina eſt practica quæ operatur aliquid quod ſit ejus objectum, *Concedo*: quæ operatur aliquid quod non ſit ejus objectum, *Nego*. Porrò quod Phyſica vel Metaphyſica operantur, hoc non eſt earum objectum: quia Demonſtrationes Phyſicæ ſunt actus Phyſices, ſed non ſunt ejus objectum.

II. PROPOSITIO.

Philoſophia rectè dividitur in quinque ſpecies, Logicam, Moralem, Phyſicam, Metaphyſicam, & Matheſim.

Probatur. Philoſophia vel ſpectat res quæ ſunt in animâ noſtrâ, vel quæ ſunt extra nos. Si primum, vel ſpectat operationes mentis, & eſt Logica; vel actiones voluntatis, & eſt Moralis: ſi ſecundum, vel ſpectat res abſtractas ab omni materiâ, & eſt Metaphyſica; vel res immerſas materiæ, & eſt vel Phyſica vel Matheſis. Ergo Philoſophia rectè dividitur in Logicam, Moralem, Phyſicam, Metaphyſicam & Matheſim.

OBJECTIO I.

UNA forma non rectè dividitur in plures partes. Atqui Philoſophia eſt una quædam forma. Ergo non rectè dividitur in quinque partes.

RESPONSIO. DISTINGUO MAJ. Una forma ſimplex, *Concedo*; una forma compoſita; *Nego*. Porrò Philoſophia univerſa, eſt forma compoſita ex pluribus cognitionibus partialibus, quarum aliæ ſunt Logicæ, aliæ Morales, *&c.*

INSTABIS. Atqui Philoſophia tota eſt una forma ſimplex; Ergo nulla ſolutio.

PROBATUR SUBSUMPTUM. Ibi eſt una ſimplex forma, ubi eſt unicum objectum formale. Atqui in totâ latè Philoſophiâ, eſt unicum objectum formale, nempe naturalis rerum cognoſcibilitas. Ergo tota latè Philoſophia eſt una ſimplex forma.

RESPONSIO. DIST. MAJ. Ibi eſt una ſimplex forma, ubi eſt unicum objectum formale ſpecificum, *Concedo*; genericum & commune, *Nego*. Porrò objectum formale Philoſophiæ eſt genericum & commune pluribus Philoſophiæ partibus; ferè ſicut animalitas eſt generica & communis hominibus & belluis.

II. OBJECTIO.

DIviſio Philoſophiæ in quinque ſpecies non eſt bona, ſi prætereà Medicina ſit aliqua Philoſophiæ pars. Atqui res ita eſt. Ergo hæc Philoſophiæ diviſio non eſt bona.

Responsio. Dist. Maj. Si Medicina ſit Philoſophiæ pars, nec revocetur ad Phyſicam; *C.* & revocetur ad Phyſicam; *N.* Porrò Medicina revocatur ad Phyſicam, cùm agat de corpore naturali, & concluſiones Phyſicæ ſint principia Medicinæ.

Instabis. Si Medicina revocetur ad Phyſicam, quiſquis habuerit Phyſicam, haberet & Medicinam; Atqui non ita ſe res habet: Ergo Medicina non revocatur ad Phyſicam.

Responsio. Dist. Maj. Quiſquis habuerit Phyſicam ſuâ in omni latitudine *C.* quiſquis habebit Phyſicam, ut doceri ſolet in Scholis *N.* Nam Phyſica qualis docetur in Scholis, ſolùm generalia tradit principia, quibus Artis Medicæ certitudo innititur: Ideoque Medicina ſubordinatur Phyſicæ.

DE REBUS METAPHYSICIS.

De definitione Metaphyſices.

I. PROPOSITIO.

Metaphyſica eſt Sapientia.

Probatur. Sapientia eſt cognitio rerum altiſſimarum per altiſſimas cauſas. Atqui Metaphyſica eſt hujuſmodi, eſt enim cognitio entis, ut ens eſt, Dei, Angeli, &c. Ergo Metaphyſica eſt Sapientia.

OBJECTIO.

Sapientia eſt cognitio rerum altiſſimarum. Atqui Metaphyſica non eſt cognitio rerum altiſſimarum. Ergo non eſt Sapientia.

Responsio. Nego Min. Nam verſatur circa res altiſſimas tum ratione dignitatis, v. g. circa Deum & Angelos; tum ratione univerſalitatis, v. g. circa Ens generatim ut ens.

Instabis. Res naturales non ſunt res

altiſſimæ : Atqui Metaphyſica eſt cognitio rerum naturalium : Ergo non eſt cognitio rerum altiſſimarum.

Resp. Dist. Maj. Res naturales non ſunt res altiſſimæ quoad modum conſiderationis C. quoad eſſentiam & naturam N. Sic v. g. Deus prout conſideratur à Metaphyſicâ non eſt res altiſſima quoad modum conſiderationis, quia naturali tantùm modo conſideratur; at nihilominus eſt res altiſſima quoad eſſentiam, naturam & ſubſtantiam.

II. PROPOSITIO.

Metaphyſica eſt Scientia.

Probatur. Scientia eſt cognitio vera, certa, & evidens rei neceſſariæ per cauſas. Atqui Metaphyſica eſt hujuſmodi. Ergo eſt Scientia.

OBJECTIO I.

Scientia debet habere objectum certum & determinatum. Atqui Metaphyſica non habet objectum certum & determinatum, ſed vagum, putà Ens, ut ſic. Ergo Metaphyſica non eſt Scientia.

Resp. Dist. Maj. Scientia debet habere objectum determinatum, id eſt, quod poſſit certò & determinatè aſſignari C. debet habere objectum determinatum, id eſt, quod ſit limitatum ad certam entis ſpeciem N. Porrò Metaphyſica habet pro objecto ens generatim ut ens.

II. OBJECTIO.

Scientia debet habere objectum intelligibile. Atqui Metaphyſica non habet objectum intelligibile. Ergo Metaphyſica non eſt Scientia.

Resp. Nego Min. Quia objectum Metaphyſicæ eſt ens ut ens, quod cùm ſuam habeat ideam ſuumque in mente conceptum, eſt profectò intelligibile.

Instabis. Quod non eſt ſenſibile, non eſt intelligibile. Atqui objectum Metaphyſicæ non eſt ſenſibile; Ergo non eſt intelligibile.

Resp. Dist. Maj. Quod non eſt ſenſibile nec per ſe, nec per aliud ſibi connexum, C, per ſe tantùm, N. Porro objectum Metaphyſicæ, quod eſt ens ut ens, eſt ſenſibile ſaltem per aliud, nempe per ſua ſingularia, quæ per ſe cadunt ſub ſenſus.

III. PROPOSITIO.

Objectum Metaphyſicæ eſt Ens abſtractum ab omni materiâ.

Probatur. Illud eſt objectum Metaphyſicæ quod per ſe primò conſideratur à Metaphyſicâ. Atqui Ens abſtractum ab omni materiâ eſt hujuſmodi, ut Deus, Angelus. Ergo objectum Metaphyſicæ eſt Ens abſtractum ab omni materiâ.

OBJECTIO.

Metaphyſica habet pro objecto animam rationalem ut à corpore ſejunctam. Atqui anima rationalis ſic, non eſt ens abſtractum ab omni materiâ. Ergo Metaphyſica non habet pro objecto ens abſtractum ab omni materiâ.

Resp. Nego Min. Quia anima rationalis eſt ſubſtantia purè ſpiritalis, atque immortalis.

Instabis. Quod eſſentialiter refertur ad corpus, non eſt ens abſtractum ab omni materiâ. Atqui anima rationalis, etiam ut à corpore ſejuncta, eſſentialiter refertur ad corpus, cùm ſit ſubſtantia incompleta: Ergo anima rationalis non eſt ens abſtractum ab omni materiâ.

Resp. Dist. Min. Atqui anima rationalis eſſentialiter refertur ad corpus, anima rationalis ut eſt forma corporis & pertinet ad Phyſicam, C. anima rationalis ut eſt ſubſtantia ſpiritalis & pertinet ad Metaphyſicam, N.

De Ente.

I. PROPOSITIO.

Ens rectè dicitur, id quod eſt extra merum nihil.

Probatur. Quia eo ipſo aliquid intelligitur eſſe Ens, quo intelligitur eſſe plus quàm nihil; è contra non intelligitur eſſe Ens, quandiu non intelligitur eſſe extra nihil.

OBJECTIO.

CReaturæ omnes poſſibiles, ſunt entia realia. Atqui tamen non ſunt extra merum nihil. Ergo ens non eſt id quod eſt extra nihil.

Resp. Dist. Min. Atqui creaturæ poſſibiles non ſunt extra merum nihil exiſtentiæ, C. extra merum nihil eſſentiæ, N. Quanquam enim actu non exiſtant poſſibilia, habent nihilominus certam eſſentiam, certamque definitionem.

II. PROPOSITIO.

Ens rectè dividitur in Ens reale, & Ens rationis.

Probatur. Ens omne vel exiſtit in mente tantùm vel extra mentem. Si primum, eſt ens rationis; ſi ſecundum, eſt ens reale. Ergo ens rectè dividitur in ens reale & ens rationis.

OBJECTIO.

ENs non rectè dividitur in ens reale & ens rationis, ſi nullum ſit ens rationis. Atqui nullum eſt ens rationis. Ergo non rectè dividitur ens in reale, & rationis.

Resp. Nego Min. Quia poteſt intellectus ſibi repræſentare multa, quæ cùm non poſſint realiter exiſtere, non ſunt entia realia.

Instabis. Non datur ens illud quod repugnantiam involvit. Atqui ens rationis repugnantiam involvit, & idcirco nec exiſtit;

nec exiſtere poteſt realiter. Ergo nullum datur ens rationis.

Resp. Dist. Min. Atqui ens rationis repugnantiam involvit, ut realiter exiſtat, C. repugnantiam involvit, ut mentaliter exiſtat, N. ſicut enim ens reale realiter exiſtit, ita ens rationis mentaliter & objectivè exiſtit in ideâ cogitantis.

III. PROPOSITIO.

Ens rectè dividitur in completum & incompletum.

Probatur. Ens omne vel poſtulat ingredi compoſitionem alterius, vel non poſtulat. Si primum, eſt incompletum, ut anima rationalis; ſi ſecundum, eſt completum, ut Angelus. Ergo ens rectè dividitur in completum & incompletum.

OBJECTIO.

Ens omne eſt completum; Ergo ens non rectè dividitur in completum & incompletum.

Resp. Nego Antecedens. Nam ens vel eſt pars alterius entis, vel non eſt pars. Si eſt pars, eſt incompletum; ſi non eſt pars, eſt completum.

Instabis. Illud omne completum eſt, quod complectitur eas omnes perfectiones, quas poſtulat habere. Atqui ens omne eſt hujuſmodi,

di, ſic v. g. anima rationalis ſuas omnes complectitur perfectiones. Ergo ens omne eſt completum.

Resp. Dist. Maj. Quod complectitur ſuas omnes perfectiones; ſi non poſtulet eſſentialiter ingredi compoſitionem alterius, C. ſi poſtulet ingredi compoſitionem alterius, N. Porrò anima rationalis, v. g. poſtulat eſſentialiter ingredi compoſitionem hominis.

De Deo.

I. PROPOSITIO.

Deus eſt Ens à ſe.

Probatur, quia Deus exiſtit per exiſtentiam non aliunde mutuatam: cùm ſit eſſentialiter independens.

OBJECTIO.

SI Deus eſſet ens à ſe, Deus eſſet cauſa ſui ipſius. Atqui nihil poteſt eſſe ſui ipſius cauſa. Ergo Deus non eſt ens à ſe.

Resp. Dist. Maj. Si Deus eſſet ens à ſe poſitivè, quaſi ſibi dediſſet exiſtentiam, C. ſi eſſet ens à ſe negativè, id eſt, ſi non eſſet ab alio, N. Porrò Deus dicitur ens à ſe, non quod ſibi dederit exiſtentiam, ſed quod ita eſſentialiter exiſtat, ut non ſit ab alio.

nec exiſtere poteſt realiter. Ergo nullum datur ens rationis.

Resp. Dist. Min. Atqui ens rationis repugnantiam involvit, ut realiter exiſtat, C. repugnantiam involvit, ut mentaliter exiſtat, N. ſicut enim ens reale realiter exiſtit, ita ens rationis mentaliter & objectivè exiſtit in ideâ cogitantis.

III. PROPOSITIO.

Ens rectè dividitur in completum & incompletum.

Probatur. Ens omne vel poſtulat ingredi compoſitionem alterius, vel non poſtulat. Si primum, eſt incompletum, ut anima rationalis; ſi ſecundum, eſt completum, ut Angelus. Ergo ens rectè dividitur in completum & incompletum.

OBJECTIO.

Ens omne eſt completum; Ergo ens non rectè dividitur in completum & incompletum.

Resp. Nego Antecedens. Nam ens vel eſt pars alterius entis, vel non eſt pars. Si eſt pars, eſt incompletum; ſi non eſt pars, eſt completum.

Instabis. Illud omne completum eſt, quod complectitur eas omnes perfectiones, quas poſtulat habere. Atqui ens omne eſt hujuſmodi;

di, ſic v. g. anima rationalis ſuas omnes complectitur perfectiones. Ergo ens omne eſt completum.

Resp. Dist. Maj. Quod complectitur ſuas omnes perfectiones; ſi non poſtulet eſſentialiter ingredi compoſitionem alterius, C. ſi poſtulet ingredi compoſitionem alterius, N. Porrò anima rationalis, v. g. poſtulat eſſentialiter ingredi compoſitionem hominis.

De Deo.

I. PROPOSITIO.

Deus eſt Ens à ſe.

Probatur, quia Deus exiſtit per exiſtentiam non aliunde mutuatam: cùm ſit eſſentialiter independens.

OBJECTIO.

Si Deus eſſet ens à ſe, Deus eſſet cauſa ſui ipſius. Atqui nihil poteſt eſſe ſui ipſius cauſa. Ergo Deus non eſt ens à ſe.

Resp. Dist. Maj. Si Deus eſſet ens à ſe poſitivè, quaſi ſibi dediſſet exiſtentiam, *C.* ſi eſſet ens à ſe negativè, id eſt, ſi non eſſet ab alio, *N.* Porrò Deus dicitur ens à ſe, non quod ſibi dederit exiſtentiam, ſed quod ita eſſentialiter exiſtat, ut non ſit ab alio.

II. OBJECTIO.

EA cognitio non eſt certa, cujus principia poſſunt in dubium revocari. Atqui principia Philoſophiæ poſſunt in dubium revocari. Ergo non eſt cognitio certa.

Responsio. Nego Min. Cùm enim Philoſophiæ principia ſint evidentia, evidentia autem ſit certiſſima veritatis regula; non poſſunt in dubium ſine abſurditate revocari.

Instabis. Ea principia poſſunt in dubium revocari, quæ ab aliis habentur ut vera, ab aliis ut falſa. Atqui principia Philoſophiæ habentur ut falſa à Pyrrhoniis. Ergo poſſunt in dubium revocari.

Responsio. Dist. Maj. Quæ ab aliis habentur ut falſa, habentur prudenter & cum legitimo fundamento, C. temerè & abſque fundamento, N. Porrò Pyrrhonii temerè dubitant de primis Philoſophiæ principiis, quæ quia ſunt evidentia, errori ſubjacere nequeunt.

IV. PROPOSITIO.

Philoſophia eſt cognitio per cauſas.

Probatur. Ea cognitio eſt per cauſas, quæ non ſolùm res attingit, ſed etiam rerum cauſas explorat. Atqui Philoſophia eſt hujuſmodi; ſic Philoſophia non ſolùm docet Lunam Eclipſim pati, ſed & cauſam Eclipſeos aſſignat, nempe interpoſitionem Terræ inter Solem & Lunam.

OBJECTIO.

DIſciplina, quæ verſatur circa res quarum nulla eſt cauſa, non eſt cognitio per cauſas. Atqui Philoſophia verſatur circa res quæ cauſas non habent, v. g. circa Deum; Ergo non eſt cognitio per cauſas.

RESPONSIO. DIST. MAJ. Quarum nulla eſt cauſa neque eſſendi, neque cognoſcendi, C. cauſa eſſendi tantùm, N. Porrò quidem Deus non habet cauſas eſſendi, ſiquidem eſt independens; ſed habet cauſas cognoſcendi, quia ex creaturis præcognitis aſſurgimus ad notitiam Dei.

De diviſione Philoſophiæ.

I. PROPOSITIO.

Philoſophia rectè dividitur in Speculativam & Practicam.

PROBATUR. Philoſophia vel conquieſcit in objecti ſui contemplatione, vel non conquieſcit. Si conquieſcat, eſt ſpeculativa; ſi non conquieſcat, eſt practica. Ergo Philoſophia rectè dividitur in ſpeculativam & practicam.

OBJECTIO.

PHILOSOPHIA non rectè dividitur in ſpeculativam & practicam, ſi omnis Philoſophia ſit practica. Atqui res ita eſt; Ergo

Philoſophia malè dividitur in ſpeculativam & practicam.

RESPONSIO. NEGO MIN. Quia Phyſica v. g. non eſt practica.

INSTABIS probando Min. Ea omnis diſciplina eſt practica quæ operatur. Atqui omnis Philoſophia operatur, putà conficit demonſtrationes de objecto ſuo. Ergo omnis Philoſophia eſt practica.

RESPONSIO. DISTINGUO MAJ. Ea omnis diſciplina eſt practica quæ operatur aliquid quod ſit ejus objectum, *Concedo* : quæ operatur aliquid quod non ſit ejus objectum, *Nego*. Porrò quod Phyſica vel Metaphyſica operantur, hoc non eſt earum objectum : quia Demonſtrationes Phyſicæ ſunt actus Phyſices, ſed non ſunt ejus objectum.

II. PROPOSITIO.

Philoſophia rectè dividitur in quinque ſpecies, Logicam, Moralem, Phyſicam, Metaphyſicam, & Matheſim.

PROBATUR. Philoſophia vel ſpectat res quæ ſunt in animâ noſtrâ, vel quæ ſunt extra nos. Si primum, vel ſpectat operationes mentis, & eſt Logica; vel actiones voluntatis, & eſt Moralis : ſi ſecundum, vel ſpectat res abſtractas ab omni materiâ, & eſt Metaphyſica; vel res immerſas materiæ, & eſt vel Phyſica vel Matheſis. Ergo Philoſophia rectè dividitur in Logicam, Moralem, Phyſicam, Metaphyſicam & Matheſim.

OBJECTIO I.

UNA forma non rectè dividitur in plures partes. Atqui Philoſophia eſt una quædam forma. Ergo non rectè dividitur in quinque partes.

RESPONSIO. DISTINGUO MAJ. Una forma ſimplex, *Concedo*; una forma compoſita; *Nego*. Porrò Philoſophia univerſa, eſt forma compoſita ex pluribus cognitionibus partialibus, quarum aliæ ſunt Logicæ, aliæ Morales, *&c.*

INSTABIS. Atqui Philoſophia tota eſt una forma ſimplex; Ergo nulla ſolutio.

PROBATUR SUBSUMPTUM. Ibi eſt una ſimplex forma, ubi eſt unicum objectum formale. Atqui in totâ latè Philoſophiâ, eſt unicum objectum formale, nempe naturalis rerum cognoſcibilitas. Ergo tota latè Philoſophia eſt una ſimplex forma.

RESPONSIO. DIST. MAJ. Ibi eſt una ſimplex forma, ubi eſt unicum objectum formale ſpecificum, *Concedo*; genericum & commune, *Nego*. Porrò objectum formale Philoſophiæ eſt genericum & commune pluribus Philoſophiæ partibus; ferè ſicut animalitas eſt generica & communis hominibus & belluis.

II. OBJECTIO.

DIviſio Philoſophiæ in quinque ſpecies non eſt bona, ſi præterea Medicina ſit aliqua Philoſophiæ pars. Atqui res ita eſt. Ergo hæc Philoſophiæ diviſio non eſt bona.

Responsio. Dist. Maj. Si Medicina ſit Philoſophiæ pars, nec revocetur ad Phyſicam; *C.* & revocetur ad Phyſicam; *N.* Porrò Medicina revocatur ad Phyſicam, cùm agat de corpore naturali, & concluſiones Phyſicæ ſint principia Medicinæ.

Instabis. Si Medicina revocetur ad Phyſicam, quiſquis habuerit Phyſicam, haberet & Medicinam; Atqui non ita ſe res habet: Ergo Medicina non revocatur ad Phyſicam.

Responsio. Dist. Maj. Quiſquis habuerit Phyſicam ſuâ in omni latitudine *C.* quiſquis habebit Phyſicam, ut doceri ſolet in Scholis *N.* Nam Phyſica qualis docetur in Scholis, ſolùm generalia tradit principia, quibus Artis Medicæ certitudo innititur: Ideoque Medicina ſubordinatur Phyſicæ.

DE REBUS METAPHYSICIS.

De definitione Metaphyſices.

I. PROPOSITIO.

Metaphyſica eſt Sapientia.

PROBATUR. Sapientia eſt cognitio rerum altiſſimarum per altiſſimas cauſas. Atqui Metaphyſica eſt hujuſmodi, eſt enim cognitio entis, ut ens eſt, Dei, Angeli, &c. Ergo Metaphyſica eſt Sapientia.

OBJECTIO.

SAPIENTIA eſt cognitio rerum altiſſimarum. Atqui Metaphyſica non eſt cognitio rerum altiſſimarum. Ergo non eſt Sapientia.

RESPONSIO. Nego Min. Nam verſatur circa res altiſſimas tum ratione dignitatis, v. g. circa Deum & Angelos; tum ratione univerſalitatis, v. g. circa Ens generatim ut ens.

INSTABIS. Res naturales non ſunt res

altiſſimæ : Atqui Metaphyſicá eſt cognitio rerum naturalium : Ergo non eſt cognitio rerum altiſſimarum.

Resp. Dist. Maj. Res naturales non ſunt res altiſſimæ quoad modum conſiderationis C. quoad eſſentiam & naturam N. Sic v. g. Deus prout conſideratur à Metaphyſicâ non eſt res altiſſima quoad modum conſiderationis, quia naturali tantùm modo conſideratur ; at nihilominus eſt res altiſſima quoad eſſentiam, naturam & ſubſtantiam.

II. PROPOSITIO.

Metaphyſica eſt Scientia.

Probatur. Scientia eſt cognitio vera, certa, & evidens rei neceſſariæ per cauſas. Atqui Metaphyſica eſt hujuſmodi. Ergo eſt Scientia.

OBJECTIO I.

Scientia debet habere objectum certum & determinatum. Atqui Metaphyſica non habet objectum certum & determinatum, ſed vagum, putà Ens, ut ſic. Ergo Metaphyſica non eſt Scientia.

Resp. Dist. Maj. Scientia debet habere objectum determinatum, id eſt, quod poſſit certò & determinatè aſſignari C. debet habere objectum determinatum, id eſt, quod ſit limitatum ad certam entis ſpeciem N. Porrò Metaphyſica habet pro objecto ens generatim ut ens.

Digitized by Google

II. OBJECTIO.

Scientia debet habere objectum intelligibile. Atqui Metaphyſica non habet objectum intelligibile. Ergo Metaphyſica non eſt Scientia.

Resp. Nego Min. Quia objectum Metaphyſicæ eſt ens ut ens, quod cùm ſuam habeat ideam ſuumque in mente conceptum, eſt profectò intelligibile.

Instabis. Quod non eſt ſenſibile, non eſt intelligibile. Atqui objectum Metaphyſicæ non eſt ſenſibile; Ergo non eſt intelligibile.

Resp. Dist. Maj. Quod non eſt ſenſibile nec per ſe, nec per aliud ſibi connexum, C, per ſe tantùm, N. Porro objectum Metaphyſicæ, quod eſt ens ut ens, eſt ſenſibile ſaltem per aliud, nempe per ſua ſingularia, quæ per ſe cadunt ſub ſenſus.

III. PROPOSITIO.

Objectum Metaphyſicæ eſt Ens abſtractum ab omni materiâ.

Probatur. Illud eſt objectum Metaphyſicæ quod per ſe primò conſideratur à Metaphyſicâ. Atqui Ens abſtractum ab omni materiâ eſt hujuſmodi, ut Deus, Angelus. Ergo objectum Metaphyſicæ eſt Ens abſtractum ab omni materiâ.

OBJECTIO.

Metaphyſica habet pro objecto animam rationalem ut à corpore ſejunctam. Atqui anima rationalis ſic, non eſt ens abſtractum ab omni materiâ. Ergo Metaphyſica non habet pro objecto ens abſtractum ab omni materiâ.

Resp. Nego Min. Quia anima rationalis eſt ſubſtantia purè ſpiritalis, atque immortalis.

Instabis. Quod eſſentialiter refertur ad corpus, non eſt ens abſtractum ab omni materiâ. Atqui anima rationalis, etiam ut à corpore ſejuncta, eſſentialiter refertur ad corpus, cùm ſit ſubſtantia incompleta: Ergo anima rationalis non eſt ens abſtractum ab omni materiâ.

Resp. Dist. Min. Atqui anima rationalis eſſentialiter refertur ad corpus, anima rationalis ut eſt forma corporis & pertinet ad Phyſicam, *C.* anima rationalis ut eſt ſubſtantia ſpiritalis & pertinet ad Metaphyſicam, *N.*

De Ente.

I. PROPOSITIO.

Ens rectè dicitur, id quod eſt extra merum nihil.

Probatur. Quia eo ipſo aliquid intelligitur eſſe Ens, quo intelligitur eſſe plus quàm nihil; è contra non intelligitur eſſe Ens, quandiu non intelligitur eſſe extra nihil.

OBJECTIO.

CReaturæ omnes poſſibiles, ſunt entia realia. Atqui tamen non ſunt extra merum nihil. Ergo ens non eſt id quod eſt extra nihil.

Resp. Dist. Min. Atqui creaturæ poſſibiles non ſunt extra merum nihil exiſtentiæ, *C*, extra merum nihil eſſentiæ, *N*. Quanquam enim actu non exiſtant poſſibilia, habent nihilominus certam eſſentiam, certamque definitionem.

II. PROPOSITIO.

Ens rectè dividitur in Ens reale, & Ens rationis.

Probatur. Ens omne vel exiſtit in mente tantùm vel extra mentem. Si primum, eſt ens rationis; ſi ſecundum, eſt ens reale. Ergo ens rectè dividitur in ens reale & ens rationis.

OBJECTIO.

ENs non rectè dividitur in ens reale & ens rationis, ſi nullum ſit ens rationis. Atqui nullum eſt ens rationis. Ergo non rectè dividitur ens in reale, & rationis.

Resp. Nego Min. Quia poteſt intellectus ſibi repræſentare multa, quæ cùm non poſſint realiter exiſtere, non ſunt entia realia.

Instabis. Non datur ens illud quod repugnantiam involvit. Atqui ens rationis repugnantiam involvit, & idcirco nec exiſtit.

nec exiſtere poteſt realiter. Ergo nullum datur ens rationis.

Resp. Dist. Min. Atqui ens rationis repugnantiam involvit, ut realiter exiſtat, C. repugnantiam involvit, ut mentaliter exiſtat, N. ſicut enim ens reale realiter exiſtit, ita ens rationis mentaliter & objectivè exiſtit in ideâ cogitantis.

III. PROPOSITIO.

Ens rectè dividitur in completum & incompletum.

Probatur. Ens omne vel poſtulat ingredi compoſitionem alterius, vel non poſtulat. Si primum, eſt incompletum, ut anima rationalis; ſi ſecundum, eſt completum, ut Angelus. Ergo ens rectè dividitur in completum & incompletum.

OBJECTIO.

Ens omne eſt completum; Ergo ens non rectè dividitur in completum & incompletum.

Resp. Nego Antecedens. Nam ens vel eſt pars alterius entis, vel non eſt pars. Si eſt pars, eſt incompletum; ſi non eſt pars, eſt completum.

Instabis. Illud omne completum eſt, quod complectitur eas omnes perfectiones, quas poſtulat habere. Atqui ens omne eſt hujuſmodi,

di, ſic v. g. anima rationalis ſuas omnes complectitur perfectiones. Ergo ens omne eſt completum.

Resp. Dist. Maj. Quod complectitur ſuas omnes perfectiones; ſi non poſtulet eſſentialiter ingredi compoſitionem alterius, C. ſi poſtulet ingredi compoſitionem alterius, N. Porrò anima rationalis, v. g. poſtulat eſſentialiter ingredi compoſitionem hominis.

De Deo.

I. PROPOSITIO.

Deus eſt Ens à ſe.

Probatur, quia Deus exiſtit per exiſtentiam non aliunde mutuatam: cùm ſit eſſentialiter independens.

OBJECTIO.

Si Deus eſſet ens à ſe, Deus eſſet cauſa ſui ipſius. Atqui nihil poteſt eſſe ſui ipſius cauſa. Ergo Deus non eſt ens à ſe.

Resp. Dist. Maj. Si Deus eſſet ens à ſe poſitivè, quaſi ſibi dediſſet exiſtentiam, C. ſi eſſet ens à ſe negativè, id eſt, ſi non eſſet ab alio, N. Porrò Deus dicitur ens à ſe, non quod ſibi dederit exiſtentiam, ſed quod ita eſſentialiter exiſtat, ut non ſit ab alio.

II. PROPOSITIO.

Deus eſt infinitus.

PROBATUR. Quia Deus à nemine limitari poteſt ad certum numerum gradúmve perfectionis, cùm ſit eſſentialiter independens.

OBJECTIO.

ENs illud non eſt infinitum in omni genere, quod non complectitur omnes omninò perfectiones. Atqui Deus non complectitur omnes omninò perfectiones, v. g. non complectitur corporeitatem vel animalitatem: Ergo Deus non eſt infinitus in omni genere.

RESP. DIST. MIN. Atqui Deus non complectitur omnes omninò perfectiones, formaliter *C.* eminenter ſaltem, *N.* alias enim perfectiones Deus complectitur formaliter, ut v. g. juſtitiam; alias verò eminenter tantùm, ut v. g. corporeitatem.

III. PROPOSITIO.

Deus eſt ſummè bonus.

PROBATUR, quia eſt ſummè perfectus ut-pote infinitus.

OBJECTIO.

SI Deus eſſet ſummè bonus, nullum omninò eſſet malum. Atqui multa certè ſunt ma-

12. Ergo Deus non eſt ſummè bonus.

Resp. Nego Maj. Quia Deus, licet ſit ſummè bonus, permittit quædam eſſe mala in creaturis, ut inde bona procuret.

Instabis. Summum bonum excludit omne malum. Ergo ſi Deus eſſet ſummè bonus, nullum omninò eſſet malum.

Resp. Dist. Ant. Summum bonum excludit omne malum, à ſe, & ab eodem ſubjecto, C. excludit omne malum ab aliis ſubjectis, N. Quare Deus excludit omne malum à ſe, non autem à creaturis.

IV. PROPOSITIO.

Deus eſt immutabilis.

Probatur. Qui nullam poteſt perfectionem vel acquirere novam, vel deperdere veterem, eſt immutabilis. Atqui Deus eſt hujuſmodi, cùm de naturâ ſuâ ſit infinitè perfectus in omni genere. Ergo Deus eſt immutabilis.

OBJECTIO.

Ille non eſt immutabilis qui tranſit ab uno ſtatu ad alterum; Atqui Deus tranſit identidem ab uno ſtatu ad alterum, v. g. à ſtatu non creantis ad ſtatum creantis. Ergo Deus non eſt immutabilis.

Resp. Dist. Maj. Ille non eſt immutabilis qui tranſit ab uno ſtatu ad alterum, ita ut novam acquirat perfectionem, vel deperdat veterem, C. ita ut perfectionem nec acquirat

novam, nec veterem deperdat, *N*. Porrò Deus dum factus eſt de non creante creator, nihil quidquam perfectionis aut acquiſivit, aut deperdidit; quippe qui perfectiones omnes ſimul & ſemel poſſideat.

V. PROPOSITIO.

Deus eſt immenſus.

Probatur. Qui non limitatur ad unum certum locum, eſt immenſus. Atqui Deus non limitatur ad unum certum locum, cùm ſit independens. Ergo Deus eſt immenſus.

OBJECTIO.

Ut Deus eſſet immenſus, deberet eſſe infinitè extenſus per omnia latè locorum ſpatia. Atqui Deus non eſt infinitè extenſus, ſiquidem caret partibus ad extenſionem requiſitis. Ergo Deus non eſt immenſus.

Resp. Dist. Maj. Deberet eſſe infinitè extenſus per partes virtuales *C*. per partes formales & actuales *N*. Porrò Deus caret quidem partibus formalibus realiter diſtinctis & ſeparabilibus; At non caret partibus virtualibus, quibus, licet ſit unica ſimplex entitas, idem præſtat, quod ſi partes haberet formales & actuales.

VI. PROPOSITIO.

Deus eſt omnipotens.

Probatur. Is eſt omnipotens cujus operandi virtus eſt infinita. Atqui Dei virtus operandi eſt infinita, ſicut & natura. Ergo Deus eſt omnipotens.

OBJECTIO.

Ille non eſt omnipotens, cujus potentia non poteſt ſe extendere ad objecta quælibet promiſcuè producenda. Atqui Dei potentia non poteſt ſe extendere ad objecta quælibet producenda, v. g. ad producendam creaturam infinitam, & æternam. Ergo Deus non eſt omnipotens.

Resp. Dist Maj. Qui non poteſt ſe extendere ad objecta quælibet, poſſibilia, *C.* impoſſibilia, *N.* Porrò impoſſibilia non poſſe non eſt argumentum impotentiæ.

Instabis. Deus non poteſt producere omnes omninò creaturas poſſibiles. Ergo non poteſt producere omnia poſſibilia.

Resp. Dist. Ant. Deus non poteſt producere omnes creaturas collectivè ſumptas, ita ut nulla ampliùs ſuperſit producenda, *C.* omnes creaturas diſtributivè ſumptas, quaſi ſit aliqua in particulari quam non poſſit producere, *N.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Angelis.

I. PROPOSITIO.

Angeli ſunt ſpiritales.

PROBATUR. Illa ſubſtantia eſt ſpiritalis, cujus operationes ſunt prorſus ſpiritales : Atqui operationes Angelorum propriæ ſunt ſpiritales prorſus, nempe intelligere & velle. Ergo Angeli ſunt ſpiritales.

OBJECTIO I.

ILLI non ſunt ſpiritales qui viſi ſunt cum corporibus. Atqui viſi ſunt Angeli cum corporibus, ut Gabriel & Raphaël. Ergo Angeli non ſunt ſpiritales.

RESP. DIST. MAJ. Qui viſi ſunt cum corporibus ſibi propriis & naturalibus, *C.* cum corporibus aſſumptis, *N.* Porrò aſſumunt aliquando corpora Angeli, ut ſic familiariùs agant cum hominibus.

OBJECTIO II.

ILLI corporei ſunt qui depinguntur cum membris corporalibus Atqui Angeli depinguntur cum corporalibus membris. Ergo corporei ſunt.

RESP. DIST. MAJ. Qui depinguntur cum

membris corporalibus, quibus eorum demonſtretur natura, C. quibus demonſtrentur operationes & virtutes, N. Porrò membra corporalia quibuſcum depinguntur Angeli, eorum demonſtrant operationes, v. g. oculi demonſtrant perſpicaciam mentis, pedes vim motricem, *&c.*

II. PROPOSITIO.

Angeli ſunt ſubſtantiæ completæ.

PROBATUR. Quia ea ſubſtantia eſt completa, quæ non exigit eſſentialiter ingredi compoſitionem alterius. Atqui Angeli ſunt hujuſmodi, & in hoc diſcrepant ab animabus rationalibus. Ergo Angeli ſunt ſubſtantiæ completæ.

OBJECTIO.

Quod poteſt eſſe pars alterius, certè completum non eſt. Atqui Angelus poteſt eſſe pars alterius, puta, ſi uniatur corpori aſſumpto. Ergo Angelus non eſt ſubſtantia completa.

RESP. DIST. MAJ. Quod poteſt eſſe pars per ſe C. pars per accidens N. Porrò Angelus non eſt pars alterius, niſi per accidens, in quo differt ab animâ rationali quæ eſſentialiter exigit componere hominem.

De Animâ rationali.

I. PROPOSITIO.

Anima rationalis eſt ſpiritalis.

PROBATUR. Ea ſubſtantia eſt ſpiritalis, cujus operationes tranſcendunt corporeitatem. Atqui operationes animæ rationalis tranſcendunt omnem corporeitatem, quia verſantur circà objecta ſpiritalia, modo ſpiritali per reflexionem. Ergo anima rationalis eſt ſpiritalis.

OBJECTIO I.

EA ſubſtantia ſpiritalis non eſt, quæ pendet à corpore in eſſe & operari. Atqui anima rationalis eſt hujuſmodi; Ergo non eſt ſpiritalis.

RESP. DIST. MAJ. Quæ pendet à corpore, per ſe & eſſentialiter *C.* per accidens tantùm *N.* Porrò non niſi per accidens fit, ut operationes animæ rationalis pendeant à corpore, nempe ob ſtatum unionis cum corpore.

OBJECTIO II.

EA ſubſtantia non eſt ſpiritalis quæ continetur in potentiâ materiæ. Atqui anima rationalis continetur in potentiâ materiæ, cùm ſit eſſentialiter actus & perfectio materiæ. Ergo non eſt ſpiritalis,

RESP.

Resp. Dist. Maj. Quæ continetur in potentiâ materiæ eductivâ, quaſi educatur è ſinu materiæ, *C.* in potentiâ materiæ receptivâ, quia recipitur in materia, cujus eſt actus & perfectio, *N.*

OBJECTIO III.

Ea ſubſtantia corporea eſt, quæ initium habet cum corpore. Atqui anima rationalis eſt hujuſmodi. Ergo corporea eſt.

Resp. Dist. Maj. Quæ habet initium cum corpore, per generationem, *C.* per creationem, *N.* Porro anima rationalis habet initium per creationem à Deo immediatè.

II. PROPOSITIO.

Anima rationalis eſt incompleta.

Probatur. Quia eſſentialiter ordinatur ad componendum hominem, cujus eſt pars.

OBJECTIO.

Ea ſubſtantia non eſt incompleta, quæ non eſt alterius pars. Atqui anima præſertim ſeparata à corpore, non eſt pars alterius. Ergo non eſt incompleta.

Resp. Dist. Maj. Quæ non eſt alterius pars, nec exigit eſſe, *C.* & exigit eſſe, *N.* Porro anima rationalis per ſe & eſſentialiter exigit eſſe pars, & venire in compoſitionem hominis.

DE REBUS PHYSICIS.

De definitione Phyſices.

I. PROPOSITIO.

Phyſica eſt Scientia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PROBATUR. Scientia eſt cognitio vera, certa, & evidens rei neceſſariæ per cauſas. Atqui Phyſica eſt cognitio vera, certa & evidens rei neceſſariæ per cauſas, ut cum docet *corpus mixtum eſt corruptibile, quia conſtat quatuor elementis* Ergo Phyſica eſt ſcientia.

OBJECTIO.

SCIENTIA debet habere objectum certum & immutabile. Atqui Phyſica non habet objectum certum & immutabile, quia corpus naturale eſt mutationi obnoxium. Ergo Phyſica non eſt ſcientia.

RESP. DIST. MAJ. Scientia debet ha-

bere objectum immutabile quoad eſſentiam & definitionem, C. quoad exiſtentiam, N. Porro corpus naturale eſt quidem mutabile quoad exiſtentiam, quia poteſt exiſtere vel non exiſtere; at non eſt mutabile quoad eſſentiam, quia ſuam habet definitionem certam prorſus & immutabilem.

Instabis. Eſſentia & exiſtentia ſunt unum & idem, (ut docent Metaphyſici.) Ergo ſi Phyſica non habeat objectum immutabile quoad exiſtentiam, non habet quoque immutabile quoad eſſentiam.

Resp. Dist. Ant. Eſſentia & exiſtentia ſunt unum & idem realiter & Phyſicè, C. ſunt unum & idem virtualiter & objectivè, N. quia aliter concipitur eſſentia, aliter exiſtentia; eſſentia ut aliquid neceſſarium, exiſtentia ut quid contingens.

II. PROPOSITIO.

Phyſica eſt ſpeculativa.

Probatur. Ea ſcientia eſt ſpeculativa quæ conquieſcit in objecti ſui contemplatione, nec tranſit ad opus; Atqui Phyſica eſt hujuſmodi; cognoſcit enim corpus naturale, ut cognoſcat, non ut faciat. Ergo eſt ſpeculativa.

OBJECTIO.

Non magis Phyſica videtur ſpeculativa quàm Logica. Atqui Logica non eſt ſpeculativa Ergo nec Phyſica.

Resp. Nego Maj. et Paritatem. Ratio diſparit eſt, quia Logica tradit præcepta de ſuo objecto conficiendo; non item Phyſica.

Instabis. Ideo Logica non eſt ſpeculativa, quia facit operationes Logicas. Atqui ſimiliter Phyſica facit operationes Phyſicas v. g. demonſtrationes. Ergo Phyſica non magis eſt ſpeculativa, quàm Logica.

Resp. Dist. Maj. Ideo Logica non eſt ſpeculativa, quia facit operationes Logicas tanquam objectum ſuam C. tanquam actus ſuos N. Porro Phyſica facit operationes Phyſicas tanquam actus ſibi reſpondentes, at non tanquam objectum ſuum, quia Phyſicæ objectum non eſt aliud à corpore naturali, de quo Phyſica nihil præſcribit.

III. PROPOSITIO.

Objectum Phyſices eſt corpus naturale.

Probatur. Illud eſt objectum Phyſicæ quod primò per ſe conſideratur à Phyſica, & ad quod referuntur quæcumque tractantur in Phyſica. Atqui corpus naturale eſt hujuſmodi, Ergo eſt objectum Phyſices.

OBJECTIO.

Illud non eſt objectum Phyſicæ totale, quod non tam latè patet quàm Phyſica. Atqui corpus naturale non tam latè patet quàm Phyſica. Ergo corpus naturale non eſt objectum Phyſicæ.

Resp. Nego Min. Quia quidquid tractatur in totâ latè Phyſicâ, tractatur in gratiam corporis naturalis.

Instabis. Phyſica tractat de pluribus, quæ non ſunt corpora naturalia. Ergo corpus naturale non tam latè patet quàm Phyſica.

Resp. Dist. Ant. Phyſica tractat de pluribus aliis; tractat in gratiam corporis naturalis, C. tractat per ſe & propter ſe, N. ſic v. g. Phyſica tractat de principiis & proprietatibus corporum, in gratiam corporum naturalium.

De Principiis corporum naturalium.

I. PROPOSITIO.

Materia eſt principium generationis corporum.

Probatur. Illud eſt principium generationis, ſine quo nec eſſe nec concipi poteſt generatio corporis naturalis. Atqui ſine materia nec eſſe nec concipi poteſt generatio corporis; cùm materia ſit ſubjectum generationis tranſeuntis à non forma ad formam in generatione. Ergo materia eſt principium generationis corporum.

OBJECTIO.

PRimum corporis principium non debet eſſe compoſitum. Atqui materia eſt aliquid

compoſitum ex partibus infinitis, & in infinitum diviſibilibus. Ergo materia non eſt principium corporum.

Resp. Dist. Maj. Primum corporis principium non debet eſſe compoſitum ex partibus heterogeneis, *C.* ex partibus homogeneis, *N.* Porro materia componitur quidem; ſed ex partibus homogeneis & conſimilibus; quæ ſunt totidem materiæ, & ſic debitam materiæ ſimplicitatem non evertunt.

Instabis. Materia componitur ex ſuo genere, ſuâque differentiâ eſſentiali. Atqui genus & differentia ſunt partes heterogeneæ. Ergo materia componitur ex partibus heterogeneis.

Resp. Dist. Min. Atqui genus & differentia ſunt partes heterogeneæ Metaphyſicæ, *C.* Phyſicæ, *N.* Quare materia componitur quidem ex partibus heterogeneis Metaphyſicis, non autem Phyſicis, & ideo poteſt eſſe primum Phyſicæ compoſitionis principium.

II. PROPOSITIO.

Forma eſt principium generationis corporum.

Probatur. Illud eſt principium generationis quod prærequiritur & concurrit ad generationem corporum. Atqui forma eſt hujuſmodi, cùm ſit terminus, ad quem materia tranſit in generatione. Ergo forma eſt principium generationis corporum.

OBJECTIO.

PRimum corporis principium non debet fieri ex alio. Atqui forma fit ex alio, nempe ex materia. Ergo forma non eſt principium corporum.

RESP. DIST. MAJ. Primum corporis principium non debet fieri ex alio per compoſitionem; *C.* non debet fieri ex alio per eductionem, *N.* Porrò forma Phyſica fit quidem ex materia per eductionem, at non fit ex eâ per compoſitionem, & ſic non deſinit eſſe ſimplex.

INST. Formæ præſupponitur materia. Ergo forma non eſt primum corporis principium.

RESP. DIST. CONS. Ergo forma non eſt primum principium comparatè ad materiam ſibi præſuppoſitam, *C.* comparatè ad corpus naturale, *N.* nam forma cùm ſit prior corpore naturali poteſt eſſe principium corporis.

III. PROPOSITIO.

Privatio eſt principium generationis corporum.

PROBATUR. Illud eſt principium generationis, ſine quo intelligi nequit fieri generatio. Atqui ſine privatione formæ intelligi nequit fieri generatio, cùm privatio ſit terminus à quo materia tranſit ad formam in generatione. Ergo privatio eſt principium generationis corporum.

OBJECTIO.

PRius eſt eſſe, quàm eſſe principium generationis. Atqui privatio nihil eſt : Ergo privatio non eſt principium generationis.

Resp. Dist. Maj. Prius eſt eſſe vel poſitivè, vel negativè, *C.* prius eſt eſſe poſitivè ſemper, *N.* Porrò privatio nihil quidem eſt poſitivum & reale, ſed eſt aliquid negativum, tanquam abſentia formæ in ſubjecto ad formam recipiendam idoneo.

Inst. Principium generationis dat eſſe genito. Atqui privatio non dat eſſe corpori, ſiquidem ipſa non habet eſſe. Ergo non eſt principium generationis.

Resp. Dist. Maj. Principium generationis dat eſſe genito, dat vel influendo, vel recedendo, *C.* influendo ſemper, *N.* Porrò privatio dat eſſe corpori, quatenus ipſa recedit, dum fit generatio corporis.

De definitione Naturæ.

PROPOSITIO.

Natura benè definitur, principium & cauſa motûs & quietis, &c.

Probatur. Illud eſt cauſa motûs & quietis, unde motus & quies naturalis *primò* per ſe procedunt. Atqui motus & quies *primò*

procedunt à naturâ: ſic à naturâ lapis movetur ad centrum & in centro quieſcit. Ergo natura eſt cauſa motûs & quietis.

OBJECTIO.

EA naturæ definitio non eſt bona, quæ naturam non diſtinguit ab arte. Atqui ea naturæ definitio quâ dicitur *principium & cauſa motûs, &c.* non diſtinguit naturam ab arte. Ergo non eſt bona hæc definitio naturæ.

Resp. Nego Min. Nam ars non producit motum, ſed duntaxat dirigit naturam ad eum producendum, ut v. g. ars ſcribendi dirigit ad ſcribendum, natura verò producit motum.

Inst. Ars eſt etiam principium & cauſa motûs & quietis, *&c.* Ut v. g. ars ſaltandi eſt principium & cauſa ſaltationis ad numeros. Ergo prædicta naturæ definitio non diſtinguit naturam ab arte.

Resp. Dist. Ant. Ars eſt etiam principium & cauſa motûs, ſecundarium, Morale, & directivum, *C.* primarium & Phyſicum, *N.* nam ars dirigit motum, ſed ipſum non producit.

De Motu.

PROPOSITIO.

Motus ſatis aptè definitur, actus entis in potentiâ, &c.

PROBATUR. Quod facit rem eſſe in actu inchoato tantùm, eſt actus entis in potentiâ. Atqui motus facit mobile eſſe in actu inchoato tantùm, ſic deſcenſus lapidis ad centrum facit lapidem eſſe in actu tendentiæ ad centrum. Ergo motus eſt actus entis in potentiâ.

OBJECTIO.

DEfinitio debet eſſe clarior re definitâ. Atqui definitio motûs quâ dicitur *actus entis in potentiâ, &c.* non eſt clarior motu definiendo: quia motu nihil notius; hac autem definitione nihil obſcurius. Ergo definitio motûs non eſt bona.

RESP. DIST. MIN. Atqui definitio motûs non eſt clarior motu, quoad exiſtentiam ſpectato, *C.* non eſt clarior motu, quoad eſſentiam ſpectato, *N.* quanquam enim nihil clarius ſit exiſtentiâ motûs, nihil tamen eſt obſcurius eſſentiâ & naturâ motûs.

De diviſione Corporis.

PROPOSITIO.

Corpus naturale benè dividitur in ſimplex & mixtum.

PROBATUR. Omne corpus vel conſtat ex quatuor elementis, vel non conſtat. Si primum, eſt mixtum; Si ſecundum, eſt ſimplex. Ergo corpus vel eſt ſimplex, ut ignis; vel mixtum, ut Homo.

OBJECTIO.

CORpus naturale minùs rectè dividitur in ſimplex & mixtum, ſi nullum datur corpus ſimplex. Atqui nec datur, nec dari poteſt corpus ſimplex; omnia corpora ſunt compoſita. Ergo corpus malè dividitur in ſimplex & mixtum.

RESP. DIST. MIN. Atqui non datur corpus ſimplex ſimplicitate excludente compoſitionem ex materia & forma, *C.* ſimplex ſimplicitate excludente compoſitionem ex quatuor elementis, *N.* nam licet omnia corpora ſint compoſita ex materiâ & formâ; non ſunt tamen omnia compoſita ex quatuor elementis; & hoc ſenſu dicuntur quædam, eſſe ſimplicia.

De definitione Animæ.

PROPOSITIO.

Anima benè definitur, actus primus corporis organici, &c.

PROBATUR. Primum & radicale vivendi principium, rectè dicitur actus primus corporis organici. Atqui anima eſt hujuſmodi. Ergo eſt actus primus.

OBJECTIO.

SUbſtantia minùs rectè definitur actus. Atqui anima quælibet eſt ſubſtantia. Ergo malè definitur actus primus corporis organici, *&c.*

RESP. DIST. MAj. Subſtantia minùs rectè definitur actus, ſecundus, ſeu operatio, *C.* actus primus, ſeu principium operationis, *N.* licet enim anima non ſit operatio vitalis, eſt tamen principium operationum vitalium.

De diviſione Animæ.

PROPOSITIO.

Anima benè dividitur in Vegetantem, Sentientem, & Rationalem.

PROBATUR. Totuplex eſt Anima, quotuplex eſt corpus animatum: Atqui triplex eſt corpus animatum; nempè Planta, Bellua, Homo: Ergo & triplex eſt anima.

OBJECTIO.

Ea diviſio non eſt bona, cujus membra non ſunt oppoſita. Atqui membra diviſionis animæ in vegetantem, ſenſitivam, & rationalem, non ſunt oppoſita. Ergo non eſt bona hæc animæ diviſio.

Resp. Nego Min. Quia eſt anima vegetans in plantis ſine ſentiente; ſentiens in belluis, ſine rationali; & rationalis in hominibus, diverſa à vegetante plantarum & ſentiente belluarum.

Inst. Ea membra non ſunt oppoſita, quorum unum includitur in alio. Atqui anima vegetans includitur in ſentiente, & utraque includitur in rationali. Ergo membra hujus diviſionis non ſunt oppoſita.

Resp. Dist. Min. Atqui anima vegetans & ſentiens includuntur in rationali, ſi ſpectentur in eodem individuo, v. g. in eodem homine, C. ſi ſpectentur in diverſis individuis, puta in planta, bellua, & homine, N.

DE REBUS MORALIBUS.

De definitione Moralis.

I. PROPOSITIO.

Moralis eſt Prudentia.

Probatur. Prudentia eſt virtus mentis dirigens actiones humanas ad honeſtatem. Atqui Moralis Philoſophia eſt hujuſmodi, cùm tota ſit in præſcribendis benè vivendi præceptis. Ergo Moralis eſt Prudentia.

OBJECTIO.

SI Moralis eſſet Prudentia, omnes Philoſophi Morales eſſent prudentes. Atqui non ita res eſt. Ergo Moralis non eſt Prudentia.

Resp. Dist. Maj. Omnes Philoſophi Morales eſſent prudentes, prudentes prudentiâ generali, quæ generatim præſcribat quid ſit agendum fugiendumvè, *C.* eſſent prudentes prudentiâ particulari, quæ præſcribat quid ſit hìc & nunc agendum fugiendumvè, *N.* nam ad prudentiam particula-

tem requiritur optima voluntatis indoles.
INST. Prudentia facit virum bonum ſimpliciter. Atqui Moralis non ſemper facit virum bonum ſimpliciter. Ergo non eſt prudentia.

RESP. DIST. MAJ. Prudentia Moraliter completa, facit virum bonum, C. prudentia Moraliter incompleta, N. Porro Philoſophia Moralis eſt prudentia Moraliter incompleta, quæ ſe tenet ex parte intellectûs, non ex parte voluntatis.

II. PROPOSITIO.

Moralis eſt Scientia.

PROBATUR. Scientia eſt cognitio vera, certa, & evidens rei neceſſariæ per cauſas. Atqui Philoſophia Moralis eſt hujuſmodi, ut cum docet, Deum eſſe colendum, quia eſt ſummè bonus; parentes eſſe honorandos, quia ab iis vitam hauſimus. Ergo Moralis; eſt Scientia.

OBJECTIO.

EA diſciplina non eſt Scientia, cujus objectum pendet à nobis liberè operantibus per præcepta. Atqui objectum Moralis, nempe actio humana eſt hujuſmodi. Ergo Moralis non eſt Scientia.

RESP. DIST. MAJ. Cujus objectum pendet à nobis liberè operantibus per præcepta mutabilia, C. per præcepta immutabilia, N. Porrò præcepta Moralis ſunt immutabilia,

v. g. iſta *Deus eſt colendus, Parentes ſunt ho-norandi.*

INST. Objectum Moralis pendet à legibus humanis. Atqui leges humanæ ſunt mutabiles, & variæ pro varietate gentium. Ergo objectum Moralis pendet à præceptis mutabilibus.

RESP. DIST. MIN. Atqui leges humanæ ſunt mutabiles, ſi ſint poſitivæ & arbitrariæ, C, ſi ſint naturales, *N.* nam leges naturales ſunt eædem ubique gentium.

III. PROPOSITIO.

Objectum Moralis ſunt Actus humani.

PROBATUR. Illud eſt objectum Moralis quod *primò* per ſe conſideratur à Morali. Atqui actus humani ſunt hujuſmodi, ideoque præcepta Moralia primariò cadunt in actus humanos honeſtati conformandos. Ergo objectum Moralis ſunt Actus humani.

OBJECTIO.

OBjectum Moralis debet eſſe dirigibile à Morali. Atqui actus humani non ſunt à Morali dirigibiles. Ergo actus humani non ſunt objectum Moralis.

RESP. NEGO MIN. Cùm enim actus humani poſſint benè vel malè ſe habere, ſubjacent directioni Moralis.

INST. Actus humani vel ſunt boni, vel mali; Atqui ſi boni ſunt, non indigent directione; ſi erò

ſi verò mali ſint, non ſunt amplius capaces directionis. Ergo actus humani non ſunt dirigibiles à Morali.

Resp Dist. Maj. Actus humani vel ſunt boni vel mali, ſi ſpectentur in particulari ſeu in ſpecie, C. ſi ſpectentur in communi, ſeu in genere, N. nam actus humanus generatim nec eſt bonus, nec malus Moraliter, ſed eſt ad bonitatem vel malitiam indifferens, capax utriuſque.

De Bono.

I. PROPOSITIO.

Bonum non malè dicitur, id quod omnia appetunt.

Probatur. Bonum eſſe id quod omnia appetunt, eſt nihil appeti, niſi bonum; Atqui nihil appetitur niſi bonum: res enim unaquæque ſuum bonum, perfectionem ſuam appetit. Ergo hoc ſenſu non malè dicitur bonum, id quod omnia appetunt.

OBJECTIO.

Plures appetunt quæ ſibi non modò non bona ſunt, ſed etiam noxia, ut ambitioſus honores. Ergo non omnia appetunt bonum.

Resp. Dist. Ant. Plures appetunt quæ ſibi non ſunt bona in rei veritate, C. quæ ſibi

bona non ſunt apparenter, *N.* nam nihil appetimus niſi quod vel reipsâ bonum eſt, vel ſaltem videtur eſſe tale.

INST. Damnati appetunt annihilationem ſui. Atqui annihilatio non eſt bona etiam apparenter, ſi quidem tollit omne bonum ſimul cum exiſtentiâ. Ergo non omnia bonum appetunt.

RESP. DIST. MIN. Atqui annihilatio non eſt bonum poſitivum, inferens aliquam perfectionem, *C.* non eſt bonum negativum, removens imperfectionem *N.* nam annihilatio removeret damnationem, quæ eſt imperfectionum maxima.

II. PROPOSITIO.

Bonum relativum benè definitur, id quod eſt perfectivum.

PROBATUR. Bonum relativum benè definitur per id quod eſt quid primum in bono relativo. Atqui perfectivitas eſt hujuſmodi; nam bonum *primò* eſt perfectivum, deinde eſt appetibile. Ergo bonum benè definitur, id quod eſt perfectivum.

OBJECTIO.

Divitiæ & honores ſunt bonum aliquod relativum. Atqui non ſunt aliquid perfectivum, nec præſtant perfectiorem poſſidentem. Ergo non omne bonum relativum, eſt perfectivum.

Resp. Dist. Min. Atqui divitiæ & honores non ſunt perfectivum quid intrinſecè, *C.* extrinſecè, *N.* ſunt enim perfectivum quid ſicut ſunt bonum: at ſunt bonum extrinſecum & in ordine ad virtutes Morales exercendas quatenus ſunt inſtrumenta.

Inst. Divitiæ & honores ſunt ſæpiùs inſtrumenta vitiorum. Ergo non ſunt aliquid perfectivum etiam extrinſecè.

Resp. Dist. Ant. Divitiæ ſunt inſtrumenta vitiorum, per accidens & ex abuſu hominum, *C.* per ſe & ex primariâ ſui inſtitutione, *N.* nam inſtitutæ ſunt initio ut eſſent inſtrumenta virtutum.

De Beatitudine.

I. PROPOSITIO.

Beatitudo eſt ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus.

Probatur. Quia beatitudo talis eſſe debet, ut expleat omnem appetitum. Sed ad hoc requiritur, ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus.

OBJECTIO.

SI beatitudo eſſet ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus, Beati nihil amplius appeterent. Atqui tamen appetunt aliquid,

ut v. g. reunionem cum corporibus. Ergo beatitudo non eſt ſtatus bonorum, *&c.*

Resp. Dist. Maj. Beati nihil amplius appeterent, quando ſunt beati beatitudine completâ, tam ex parte corporis quàm ex parte animæ, *C.* quando ſunt beati beatitudine incompletâ, tantùm ex parte ſolius animæ, *N.* cùm enim homo duplici parte conſtet, corpore & animâ, expectat utriuſque felicitatem.

Inst. Si beatitudo eſſet ſtatus bonorum omnium, *&c.* excluderet omnem ſollicitudinem & anxietatem. Atqui tamen non excludit, quippe animæ beatæ ſunt adhuc ſollicitæ de corporibus ſuis. Ergo beatitudo non eſt ſtatus, *&c.*

Resp. Dist. Maj. Excluderet omnem ſollicitudinem pro parte hominis jam beatâ, *C,* pro parte nondum beatâ, *N.* Porrò animæ beatæ ſunt ſollicitæ non pro ſe, ſed pro corporibus nondum beatis. Adde quod iſta animarum beatarum ſollicitudo non ſit hujuſmodi, ut valeat earum felicitatem perturbare.

II. PROPOSITIO.

Deus ſolus eſt Hominis beatitudo.

Probatur. Beatitudo hominis eſt ſummum bonum, perfectè ſatians omnem appetitum hominis. Atqui Deus ſolus eſt hujuſmodi, quia ſolus continet genus omne perfectionis. Ergo ſolus Deus eſt beatitudo hominis.

OBJECTIO.

ILlud non eſt hominis objectiva Beatitudo, quod non poteſt ab homine poſſideri. Atqui Deus non poteſt ab homine poſſideri; quia non poteſt cadere ſub dominium hominis. Ergo Deus non eſt hominis objectiva Beatitudo.

Resp. Dist. Maj. Quod non poteſt ab homine poſſideri poſſeſſione Phyſicâ & Morali, *C.* poſſeſſione Juridicâ & Civili, *N.* Porro Deus poteſt ab homine poſſideri poſſeſſione Phyſicâ & Morali, per intimam unionem facultatum hominis cum Deo, per viſionem & amorem.

Inst. Bonum infinitum non poteſt ab homine finito poſſideri. Atqui Deus eſt bonum infinitum. Ergo non poteſt ab homine poſſideri.

Resp. Dist. Maj. Bonum infinitum non poteſt ab homine finito poſſideri, infinito modo, *C.* finito modo, *N.* Porrò beati Deum poſſident finito tantùm modo pro finitâ capacitate ſuarum facultatum.

De Voluntario.

I. PROPOSITIO.

Voluntarium rectè dicitur, id quod fit à principio interno.

Probatur. Ut aliquid ſit voluntarium

debet eſſe à voluntate, proindeque à principio interno reſpectu volentis.

OBJECTIO.

NOn omne Involuntarium fit à principio externo, ut v. g. occiſio amici ab amico putante ſe occidere feram. Ergo nec omne Voluntarium fit à principio interno.

RESP. NEGO CONS. Et parit. Ratio diſparit. eſt, quia ut aliquid ſit Voluntarium debet eſſe à Voluntate, proindeque à principio interno. At verò ut aliquid ſit Involuntarium ſufficit quòd ei deſit aliqua conditio requiſita ad Voluntarium; proindeque ſufficit quòd fiat à principio non cognoſcente ſingula in quibus eſt actio; ſive interim fiat à principio interno, ſive externo, perinde eſt.

II. PROPOSITIO.

Voluntarium rectè dicitur, fieri à principio cognoſcente.

PROBATUR. Quia quod non fit à principio cognoſcente circumſtantias actionis, non eſt voluntarium; ut occiſio amici ab amico putante occidere feram.

OBJECTIO.

VOluntarium fit à voluntate. Atqui voluntas non eſt principium cognoſcens,

Ergo voluntarium non fit à principio cognoſcente.

Resp. Dist. Min. Atqui voluntas non eſt principium cognoſcens per ſe & ratione ſui formaliter, C. non eſt principium cognoſcens per intellectum dirigentem, N. Porrò voluntarium emanat à voluntate ex præſuppoſitâ directione intellectûs.

BIBL. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Libero.

PROPOSITIO.

Liberum rectè dicitur, id quod eſt indifferens.

Probatur. Ut aliquid ſit liberum, debet eſſe in poteſtate noſtrâ. Atqui illud ſolùm eſt in poteſtate noſtrâ quod eſt indifferens. Ergo liberum eſt id quod eſt indifferens.

OBJECTIO.

Amor Dei in Beatis, liber eſt: Atqui tamen non eſt indifferens, ſed neceſſarius. Ergo liberum non benè definitur, id quod eſt indifferens.

Resp. Nego Maj. Cùm enim beati felici quadam neceſſitate rapiantur ad amandum Deum, non eſt amor ille liber in beatis.

Inst. Quod fit ſponte & libenter, libe-

rum eſt. Atqui amor in beatis fit ſponte & libenter. Ergo liber eſt.

Resp. Dist. Maj. Quod fit ſponte & libenter, liberum eſt à coactione & violentiâ, *C.* liberum eſt à neceſſitate qualibet, *N.* nam plura requiruntur ad hoc ut aliquid ſit liberum, quàm ad hoc ut fiat ſponte & libenter.

DE REBUS

DE REBUS.
LOGICIS.

De Definitione Logices.

I. PROPOSITIO.

Logica eſt Ars.

PROBATUR. Ars eſt virtus mentis dirigens effectiones. Atqui Logica eſt virtus mentis dirigens effectiones, nempe operationes mentis ad veritatem. Ergo Logica eſt Ars.

OBJECTIO.

SI Logica eſſet Ars, Logici eſſent artifices. Atqui Logici non ſunt artifices, *Artiſans*. Ergo Logica non eſt Ars.

RESP. NEGO MAj. Nam uſus aliter invaluit.

INST. Illi ſunt artifices qui tractant artem. Atqui, ſi Logica eſſet ars, Logici tractarent artem. Ergo eſſent artifices.

RESP. DIST. MAj. Illi ſunt artifices, qui tractant artem vilem & mecanicam, ut ſutor, C. qui tractat artem nobilem & liberalem, ut Logicus, vel Rhetor, N. quippe artificis nomen ex uſu recepto iis ſolùm tribuitur qui mecanicas exercent artes.

II. PROPOSITIO.

Logica eſt Scientia.

PROBATUR. Scientia eſt cognitio vera, certa, & evidens rei neceſſariæ per cauſas. Atqui Logica eſt hujuſmodi, ut cum docet definitionem eſſe debere clariorem re definitâ, quia explicat naturam rei definitæ. Ergo Logica eſt ſcientia.

OBJECTIO.

Grammatica non eſt Scientia. Ergo nec Logica.

RESP. NEGO CONS. ET parit. Ratio disparit. eſt, quia quæ docet Grammatica ſunt purè arbitraria, v. g. *Verbum activum regere accuſativum*. At verò quæ docet Logica ſunt neceſſaria & immutabilia, ut v. g. *Definitionem eſſe debere clariorem re definita*.

INST. Ideo Grammatica non eſt Scientia, quia eſt ab hominibus inventa, liberoque ſubeſt hominum arbitrio. Atqui pariter Logica eſt hujuſmodi. Ergo par utrobique ratio.

RESP. DIST. MAJ. Ideo Grammatica non eſt Scientia, quia eſt ab hominibus inventa, ſine ſpeciali fundamento in natura rei, *C.* cum ſpeciali fundamento, *N.* at verò Logica eſt inventa cum ſpeciali fundamento in natura rei, ita ut prorſus neceſſaria ſint Logicæ præcepta.

III. PROPOSITIO.

Logica eſt Practica.

PROBATUR. Ea Diſciplina eſt practica, quæ

tranſit ad opus : Atqui Logica tranſit ad opus, nempe ad confectionem operationum mentis. Ergo Logica eſt Practica.

OBJECTIO.

EA Diſciplina non eſt Practica quæ ſuum non facit objectum. Atqui ſuum Logica non facit objectum, nempe operationes mentis, v. g. definitionem, diviſionem. Ergo Logica non eſt Practica.

Resp. Nego Min. Quia Logica tota eſt in tradendis legibus de operationibus mentis vero conformandis.

Inst. Logica non facit id, quod eſt tale independenter à Logica. Atqui operationes mentis, v. g. definitiones ſunt neceſſariò tales independenter à Logicâ, ſi quidem ſunt immutabiles. Ergo Logica non facit operationes mentis.

Resp. Dist. Min. Atqui operationes mentis ſunt neceſſariò tales independenter à Logicâ, tales quoad eſſentiam, *C.* tales quoad exiſtentiam, *N.* Porrò Logica non facit operationes mentis ſpectatas quoad eſſentiam, ſed ſolùm ſpectatas quoad exiſtentiam.

IV. PROPOSITIO.

Objectum Logicæ ſunt operationes mentis.

Probatur. Illud eſt objectum Logicæ, quod primò per ſe conſideratur à Logicâ. Atqui mentis operationes primò per ſe conſiderantur à Logicâ, ideoque præcepta Logicæ cadunt in operationes mentis. Ergo ſunt objectum Logicæ.

OBJECTIO.

ILlud non eſt objectum Logicæ, quod conſideratur à Logicâ propter aliud. Atqui operationes mentis conſiderantur à Logicâ propter aliud, nempe propter alias ſcientias comparandas. Ergo operationes mentis non ſunt objectum Logicæ.

Resp. Dist. Maj. Quod conſideratur à Logicâ propter aliud, tanquam objectum Logicæ, C. propter aliud, tanquam finem Logicæ, N. Porro aliæ ſcientiæ comparandæ ſunt finis Logicæ, ſed non ſunt ejus objectum: ſicut commoda habitatio eſt finis Architecturæ; ædificium autem eſt ejus objectum.

Inst. Ædificatio non eſt objectum Architecturæ, ſed ædificium. Ergo etiam operatio mentis non eſt objectum Logicæ, ſed opus ſeu opera mentis.

Resp. Nego Cons. Et patit. Ratio diſparit. eſt quia Architectura ſpectat magis ædificium quàm ædificationem. At verò Logica magis attendit operationes mentis quàm opera. Ideò ædificatio eſt propter ædificium, & ædificium non eſt propter ædificationem: At operatio mentis non eſt propter opus, ſed opus mentis eſt propter operationem.

De Univerſalibus.

I. PROPOSITIO.

Sunt quinque Univerſalia.

Probatur. Tot ſunt univerſalia, quot ſunt modi quibus unum poteſt ineſſe multis,

& prædicari de illis univocè; Atqui ſunt quinque modi, quibus poteſt unum prædicari de multis, primò ut pars eſſentiæ communior, & eſt genus; ſecundò ut pars eſſentiæ minùs communis, & eſt differentia; tertiò ut tota eſſentia communis, & eſt ſpecies; quartò accidentaliter & neceſſariò, & eſt proprium; quintò accidentaliter & contingenter, & eſt accidens. Ergo quinque ſunt univerſalia.

OBJECTIO.

Proprium non eſt unum ex univerſalibus. Ergo non ſunt quinque univerſalia.

Resp. Nego Ant. Quia proprium eſt unum aptum ineſſe multis, univocè & diviſim, v. g. capacitas ſcientiæ in omnibus hominibus.

Inst. Univerſale debet eſſe commune multis. Atqui proprium non eſt commune multis: alioqui jam non eſſet proprium. Ergo proprium non eſt ex univerſalibus.

Resp. Dist. Min Atqui proprium non eſt commune multis generibus vel ſpeciebus, C. multis individuis, N. nam proprium ſi ſit genericum, eſt commune multis ſpeciebus, ſed non multis generibus; ſi verò ſit ſpecificum, commune eſt multis individuis, ſed non multis ſpeciebus: ut capacitas ſcientiæ, communis eſt omnibus hominibus.

II. PROPOSITIO.

Non ſunt plura quàm quinque univerſalia.

Probatur. Quia nullum eſt univerſale quod non revocetur, vel ad genus, vel ad ſpe-

ciem, vel ad differentiam, vel ad proprium, vel ad accidens.

OBJECTIO.

INdividuum eſt unum ex univerſalibus: Ergo plura ſunt quàm quinque univerſalia.

Resp. Nego Ant. Quia individuum, cum ſit ſingulare quid, non habet rationem univerſalitatis.

Inst. Quod prædicatur de multis eſt univerſale Logicum. Atqui individuum prædicatur de multis individuis, v. g. de Petro & Paulo. Ergo individuum eſt unum ex univerſalibus.

Resp. Dist. Maj. Quod prædicatur de multis quoad rem & ſignificationem, *C.* quoad nomen duntaxat, *N.* Porro aliud eſt individuum quod prædicatur de Petro, aliud quod prædicatur de Paulo; individua conveniunt in nomine, ſed in re ſignificatâ diſcrepant.

De Categoriis.

I. PROPOSITIO.

Categoria eſt ordo generum, ſpecierum & individuorum.

Probatur. Categoria eſt ordo eorum quæ directè ponuntur in Categoria. Atqui genera, ſpecies, & individua ponuntur directè in Categoriâ, cætera indirectè tantùm, ut differentiæ. Ergo &c.

OBJECTIO.

CAtegoria eſt ordo eorum duntaxat, quæ ſunt entia realia. Atqui genera & ſpecies non ſunt entia realia, ſed entia rationis. Ergo Categoria non eſt ordo generum & ſpecierum.

Resp. Dist. Min. Atqui genera & ſpecies non ſunt entia realia, genera formaliter ſumpta, ſeu genereitates, C. genera materialiter ſumpta, ſeu naturæ genericæ, *N.* licet enim genereitas & ſpecieitas ſint entia rationis, natura tamen generica & ſpecifica ſunt entia realia, ut animalitas & humanitas.

II. PROPOSITIO.

Categoria eſt ordo generum & ſpecierum ſub genere ſupremo.

Probatur. Quia quidquid ponitur in Categoria, revocatur ad aliquod ſupremum caput Categoriæ. Atqui ſupremum hoc caput eſt genus ſupremum, ut v. g. Ens. Ergo &c.

OBJECTIO.

NOn datur ſupremum genus. Ergo Categoria non eſt ordo rerum ſub ſupremo genere.

Resp. Nego Ant. Nam ens, eſt ſupremum genus.

Instabis. Genus debet eſſe univocum. Atqui ens non eſt univocum reſpectu ſuorum inferiorum. Ergo ens non eſt ſupremum genus.

Resp. Nego Min. Quia ens convenit ſuis inferioribus ſecundùm idem nomen & ſecundùm eandem ſignificationem.

Urgebis. Quod eſt diverſum in ſuis inferioribus, non eſt univocum reſpectu inferiorum. Atqui ens eſt diverſum in ſuis inferioribus, nam eſt independens in Deo & dependens in creaturis. Ergo non eſt univocum.

Resp. Dist. Min. Atqui ens eſt diverſum ſpecificè, *C.* genericè, *N.* Sicut enim animal eſt diverſum ſpecificè in homine & bellua, & idem in illis genericè: ſimiliter & ens eſt diverſum ſpecificè in Deo & creaturis; at idem prorſus eſt genericè in illis, quia ſortitur in ipſis eandem ſignificationem, putà capacitatem exiſtendi realiter.

PHILOSOPHUS

IN UTRAMQUE PARTEM.

Circa Philoſophiam generatim duæ ſolent, eæque celebres agitari Quæſtiones. Prima eſt de Exiſtentia Philoſophiæ. Secunda, de Philoſophia Adami.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia Philoſophiæ.

I. PROPOSITIO.

Exiſtit Philoſophia.

Probatur. Philoſophia eſt cognitio vera, certa, & evidens rerum naturalium per cauſas. Atqui exiſtit hujuſmodi cognitio: Sic Logicus certò novit definitionem eſſe clariorem re definitâ, quia explicat naturam rei definitæ: Sic Phyſicus certò novit, mixtum eſſe corruptibile, quia conſtat quatuor elementis. Ergo exiſtit Philoſophia.

OBJECTIO I.

UT detur Philoſophia, dari debet objectum certum & immutabile; atqui nullum datur objectum certum & immutabile; ergo nulla datur Philoſophia.

Probatur Minor. Objectum Philoſophiæ ſunt res naturales: atqui res naturales non ſunt immutabiles, ſed valdè contingentes, ergo

nullum datur objectum Philoſophiæ certum & immutabile.

Resp. Distinguo Min. Atqui res naturales non ſunt certæ aut immutabiles quoad exiſtentiam, *concedo*, Quoad eſſentiam, *nego*.

Instabis. Atqui res naturales non ſunt certæ aut immutabiles quoad eſſentiam; ergo nulla reſponſio.

Prob. Subsumpt. Illud non eſt certum aut immutabile quoad eſſentiam, cujus eſſentia corruptilis eſt: atqui eſſentia rerum naturalium, v. g. corporum, corruptibilis eſt; ergo res naturales non ſunt immutabiles quoad eſſentiam.

Resp. Dist. Min. Atqui eſſentia rerum naturalium eſt corruptibilis, eſſentia particularis ſeu phyſica, *C.* eſſentia generalis ſeu metaphyſica, *N.*

Inst. *Secundò.* Atqui eſſentia rerum naturalium generalis ſeu metaphyſica eſt corruptibilis.

Prob. Subs. Quod libero Dei ſubjacet arbitrio, illud corruptibile eſt atque mutabile: atqui eſſentia rerum naturalium generalis ſeu metaphyſica libero Dei ſubjacet arbitrio: ſiquidem à Deo pendet eſſentialiter; ergo eſſentia rerum naturalium generalis ſeu metaphyſica corruptibilis eſt.

Resp. Dist. Min. Atqui eſſentia rerum naturalium arbitrio Dei ſubjacet, ut ab eo recipiat, vel non recipiat exiſtentiam, C. Ut ſit talis vel talis eſſentia poſſibilis, N. Hoc enim non habet aliundè quam ex perfectâ attributorum ſuorum conſenſione.

Inst. *Tertiò.* Atqui eſſentia rerum naturalium pendet eſſentialiter à Deo, non ſolùm ut recipiat exiſtentiam, ſed etiam ut ſit poſſibilis.

Prob. Subs. Illud pendet eſſentialiter à Deo, ut ſit poſſibile, quod ita conſtituitur poſſibile per omnipotentiam Dei, ut abſque illâ non intelligeretur poſſibile: atqui eſſentia rerum naturalium eſt hujuſmodi.

Resp. Dist. Min. Atqui eſſentia rerum naturalium conſtituitur poſſibilis per omnipotentiam Dei, Poſſibilis poſſibilitate proximâ & ſecundariâ, quæ includat exiſtentiam ut mutuandam, *C.* Poſſibilitate primariâ & radicali, quæ conſiſtit in ſolâ attributorum non repugnantiâ, *N.*

Inst. *Quartò.* Omnis creaturarum perfectio pendet eſſentialiter ab omnipotentia Dei; atqui poſſibilitas

rerum naturalium, vel radicalis & primaria, quædam eſt earum perfectio; ergo pendet eſſentialiter ab omnipotentia Dei.

RESP. DIST. MAJ. Omnis creaturarum perfectio actualis ſeu poſitiva, C. Potentialis ſeu negativa, N. Porro rerum poſſibilitas primaria, eſt perfectio, ſed potentialis & negativa, ut potè mera attributorum non repugnantia.

INST. *Quintò*. Omnis perfectio creata, vel creabilis, pendet eſſentialiter ab omnipotentiâ Dei: atqui rerum naturalium eſſentia ut poſſibilis præcisè, quædam eſt perfectio creata vel creabilis.

PROB. MIN. Dicendum eſt, rerum naturalium eſſentiam ut poſſibilem præcisè, eſſe creatam, vel increatam: atqui dici nequit increata, qui caracter eſt divinitatis; ergo creata eſt vel creabilis.

RESP. *Primò*. NEGO MAJ. Et dico eſſentiam rerum ut poſſibilem præcisè, neque eſſe creatam, neque increatam, ſed eſſe non creatam, quia priùs eſt exiſtere, quàm eſſe poſitivè creatum vel poſitivè increatum.

RESP. *Secundò*, DIST. MIN. Atqui eſſentia rerum ut poſſibilis, dici nequit increata poſitivè, per modum alicujus exiſtentis ab æterno, C. Increata negativè, id eſt, non creata, non dependens in mera ſuî poſſibilitate, N.

INST. *Sextò*. Eſſe increatum negativè, eſt, eſſe à ſeipſo negativè: atqui eſſentia rerum naturalium dici nequit à ſeipsâ negativè, hæc enim eſt Dei ſolius prærogativa, ut docent Theologi.

RESP. DIST. MIN. Atqui eſſentia rerum naturalium dici nequit à ſeipſâ negativè, exiſtens, C. Dici nequit à ſeipſâ poſſibilis, N. At Dei ſolius prærogativa eſt, ut ſit à ſeipſo negativè, non ſolùm poſſibilis, ſed etiam exiſtens.

INST. *Septimò*. Exiſtentia creaturarum dici nequit à ſeipſa etiam negativè; ergo nec earum eſſentia ut poſſibilis.

RESP. *Nego conſequentiam & paritatem*. Ratio diſp. eſt, quia omnis creaturarum exiſtentia venit à cauſa ſuperiori, quæ procurat ipſis tranſitum à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum exiſtentiæ: at verò rerum poſſibilitas non aliunde venit quàm à mutua attributorum inter ſe conſenſione, quæ talis eſt per ſe, & ex natura ſua, independenter ab omni cauſâ.

INST. *Octavò* Mutua attributorum rei conſenſio intelligi nequit abſque unione & conjunctione intimâ & perfectâ plurium ſimul perfectionum ſibi cohærentium: atqui talis unio venit à cauſa uniente & conjungente; ergo rerum poſſibilitas venit à cauſa prima uniente, atque ab ea pendet eſſentialiter.

RESP. DIST. MAJ. Conſenſio attributorum intelligi nequit abſque unione plurium ſimul perfectionum, unione potentiali ſeu in actu primo, C. Unione actuali ſeu in actu ſecundo, N. Porro unio actualis plurium venit à cauſa prima uniente, ſed non unio merè potentialis & ſeorſim ab omni exiſtentiâ.

OBIECTIO II.

UT detur Philoſophia, dari debet certum aliquod veritatis argumentum, cujus ope verum à falſo ſecernatur: atqui non datur hujuſmodi certum veritatis argumentum.

RESP. NEGO MIN. Et dico evidentiam eſſe certum & unicum veritatis argumentum naturale.

INSTABIS. Ad certum veritatis argumentum duæ requiruntur conditiones; *primò* Ut de illius præſentia conſtet nobis; *ſecundò*, Ut ſoli competat veritati: atqui evidentia non habet conditiones illas; ergo evidentia non eſt certum veritatis argumentum.

RESP. NEGO MIN. *Primò*, Namque ſicut de præſentiâ luminis conſtat nobis per ipſummet lumen: ita de præſentiâ evidentiæ, per ipſammet evidentiam. *Secundò*. Falſitas non oritur aliunde quam ex obſcuritate quæ cùm locum non habeat in evidentiâ, liquet evidentiam ſoli competere veritati.

INST. *Secundò*. Si quid eſſet, per quod poſſet conſtare nobis de præſentia evidentiæ, ipſa præſertim foret evidentia; atqui de præſentia evidentiæ non poteſt conſtare nobis per ipſam evidentiam.

PROB. MIN. Si de evidentia conſtaret nobis, per ipſam evidentiam, jam evidentia foret medium ad ſeipſam demonſtrandam: atqui nihil eſſe poteſt medium ad ſeipſum demonſtrandum; ergo de evidentia non poteſt conſtare nobis per ipſam evidentiam.

RESP. DIST. MAJ. Jam evidentia foret medium ad ſeipſam, medium impropriè dictum & indiſtinctum

à re demonſtrandâ, *C.* Medium propriè dictum; *N.* Sicut enim lux eſt quodammodo medium ad ſeipſam manifeſtandam oculis, ſic evidentia per ſemetipſam prodit ſe ſe menti.

Inst. *Tertiò.* Atqui evidentia non poteſt eſſe medium etiam impropriè dictum, ad ſeipſam demonſtrandam.

Prob. Subs. Illud nequit eſſe medium ad ſeipſum demonſtrandum certò, quòd cùm abeſt, adeſſe tamen videtur: atqui evidentia cùm abeſt, adeſſe videtur, ut contingit quoties iiſdem de rebus contendunt inter ſe Philoſophi.

Resp. Dist. Maj. Quod cùm abeſt, adeſſe tamen videtur prudenter, & cum fundamento, *C.* Temerè & ſine fundamento, *N.* Porrò ſi quando evidentia cùm abeſt, adeſſe videtur, id fit temerè & ſine fundamento, ex præconcepta alterutrius contendentium pertinacia.

Inst. *Quartò.* Atqui dici non poteſt, ſi quando evidentia cùm abeſt, adeſſe videatur, id fieri temerè & ſine fundamento.

Prob. Subs. Scepticis, vel Acatelepticis negantibus exiſtentiam Philoſophiæ, nulla certè affulget evidentia id inter negandum, tametſi habere ſe conteſtentur: atqui dici non poteſt, ipſos interim agere temerè & ſine fundamento.

Prob. Min. Dogmatici non poſſunt affirmare Scepticos temerè ſe gerere inter negandam Philoſophiæ exiſtentiam, quin ſtatim ſint judices in ſua propriâ causâ: atqui nemo debet eſſe judex in ſuâ causâ.

Resp. *Primò.* Dist. Maj. Quin ſint judices in ſuâ propriâ causâ philoſophicâ, *C.* Civili, *N.* Porrò nihil vetat quempiam eſſe judicem in ſuâ causâ philoſophicâ. Et ratio diſparitatis eſt, quia in cauſis civilibus ſunt judices conſtituti ad judicandum, ad quos litigantes recurrere valeant: at verò in quæſtionibus philoſophicis nemo eſt ad quem provocari poſſit, præterquam ad intellectum, præſertim evidentiâ imbutum: is enim eſt ſupremus litium de rebus naturalibus dirimendarum, imò, unicus arbiter.

Resp. *Secundò.* Dist. Maj. Quin ſint judices in ſua causâ, judices per modum litigantium rationes & momenta ſua proponentium, *C.* Judices per modum decidentium, *N.* Nam Dogmaticis ſatis fuerit,

ſi momenta quibus innituntur protulerint, quæſtionis verò deciſionem ultrò dimittunt viris prudentibus, nec præoccupatis.

Inst. *Quintò.* Prudenter dubitatur de veritate hujus quod convenit rebus falſis perinde ac veris: atqui evidentia convenit rebus falſis perinde ac veris, poteſt enim aliquid eſſe falſum ſimul & evidens: ergo prudenter ſe gerunt Sceptici, dum dubitant de veritate evidentiæ.

Resp. Dist. Maj. Quod convenit rebus falſis cognitis tanquam veris, *C.* Rebus falſis cognitis tanquam falſis, *N.* Porrò evidentiam convenire rebus falſis, cognitis tanquam falſis, eſt ipſam convenire veritati, quia verum eſt, falſum eſſe falſum.

Inst. *Sextò.* Evidentia convenit rebus falſis cognitis tanquam veris, ſi quæ olim putabantur evidenter vera, falſa nunc judicentur; atqui res ita eſt.

Prob. Min. Ante revelatum SS. Trinitatis myſterium, axioma hoc celebrabatur ut verum evidenter: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: atqui idipſum jam judicatur ut falſum, ſuppoſitâ veritate myſterii adorandæ Trinitatis; ergo quæ olim putabantur evidenter vera, falſa nunc judicantur.

Resp. Nego. Min. Nam quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe ſub eo reſpectu, ſub quo ſunt eadem uni tertio.

Inst. *Septimò.* Tres perſonæ divinæ ſunt quid idem cum natura divina, neque tamen ſunt quid idem inter ſe; ergo quæ ſunt eadem uni tertio, non ſunt ſemper eadem inter ſe.

Resp. Dist. Secundam partem antec. Tres perſonæ divinæ non ſunt quid idem inter ſe, ſub eo reſpectu ſub quo opponuntur inter ſe relativè, *C.* Sub eo reſpectu, ſub quo identificantur in natura divina, *N.* Scilicet perſonæ divinæ opponuntur inter ſe relativè, & ſub eo reſpectu diſtinguuntur; ſed non opponuntur cum natura divina, & ſub eo reſpectu identificantur in ea.

OBIECTIO III.

Ut detur Philoſophia, dari debet facultas aliqua certò cognoſcitiva: atqui nulla datur facultas in nobis certò cognoſcitiva.

Prob. Min. Si qua daretur in nobis facultas certò cognoſcitiva, ea foret vel intellectus, vel ſenſus: atqui neutrum dici poteſt.

Resp. Nego Min. Namque intellectus evidentiâ innixus eſt facultas certò cognoſcens.

Inst. Facultas errori obnoxia, non eſt certò cognoſcitiva: atqui intellectus humanus eſt errori valdè obnoxius; ergo intellectus non eſt facultas certò cognoſcitiva.

Resp. Dist. Min. Atqui intellectus humanus eſt errori obnoxius in rebus obſcuris & probabilibus, *C.* In rebus claris & evidentibus, *N.* Evidentia namque rapit intellectum.

Inst. *Secundò*: Atqui intellectus humanus errori obnoxius eſt vel in rebus claris & evidentibus.

Prob. Subs. Intellectus humanus eo ipſo eſt errori obnoxius, quo facultas eſt finita: atqui intellectus etiam in claris atque evidentibus, eſt facultas eſſentialiter finita; ergo intellectus eſt errori obnoxius vel in rebus claris.

Resp. Nego Maj. Error enim facultatis cognoſcentis non oritur ex ipſius limitatione præcisè, ſed ex rerum, circa quas verſatur, obſcuritate.

Inst. *Tertiò*: Intellectus divinus eo ipſo eſt indefectibilis, quò facultas eſt infinita; ergo à contrario intellectus humanus eo ipſo defectibilis eſt, quo facultas eſt finita.

Resp. Nego *Conſ. & Paritatem*. Ratio diſp. eſt, quia facultas infinita ut infinita, continet omnes omninò perfectiones, proindeque ipſam indefectibilitatem: at verò facultas finita ut finita, non continet omne genus imperfectionis, proindeque neceſſe non eſt quod contineat defectibilitatem.

Inst. *Quartò*: Intellectus humanus, quia finitus, non poteſt omnia generatim cognoſcere; atqui eo ipſo quo non poteſt omnia generatim cognoſcere, defectibilis ſit neceſſe eſt; ergo intellectus humanus eo ipſo defectibilis eſt, quo finitus eſt.

Resp. Nego Maj. Namque intellectus humanus non dicitur finitus, eo quòd non valeat omnia cognoſcere, ſed ex eo quòd non poſſit ea cognoſcere infinito modo.

Inst. *Quintò.* Intellectus humanus, quia finitus eſt, eſt limitatus in ſuis cognitionibus: atqui eo ipſo quo limitatus eſt in ſuis cognitionibus, non poteſt omnia generatim cognoſcere; ergo intellectus, quia finitus eſt, non poteſt omnia generatim cognoſcere.

Resp. Dist. Maj. Intellectus quia finitus, eſt limitatus in ſuis cognitionibus, limitatus quoad modum cognoſcendi finitum, *C.* Limitatus quoad objectum cognoſcendum, *N.*

Inst. *Sextò* Intellectus divinus, infinitus quoad modum cognoſcendi, eſt quoque infinitus quoad objectum cognoſcendum; ergo à pari intellectus humanus, finitus quoad modum cognoſcendi, eſt quoque finitus quoad objectum cognoſcendum.

Resp. Nego. *Conſ. & Paritatem.* Ratio diſp. eſt, quia intellectus divinus, eſt infinitus ſimpliciter & ſub omni reſpectu: at verò intellectus humanus eſt finitus ſecundùm quid tantùm & ſub uno duntaxat reſpectu; finitus, ut aiunt, intrinſecè, ſed non extrinſecè.

Inst. *Septimò.* Modus cognoſcendi finitus eſt defectibilis: atqui modus cognoſcendi intellectûs humani eſt finitus (ex conceſſis) ergo eſt defectibilis.

Resp. Dist. Maj. Modus cognoſcendi finitus, eſt defectibilis, quando res cognoſcendæ ſunt obſcuræ, *C.* Quando claræ ſunt atque evidentes, *N.*

Inst. *Octavò.* Modus cognoſcendi finitus eſt defectibilis quando res cognoſcendæ ſunt evidentes, ſi evidentia prior & minor ſit emendabilis per poſteriorem & majorem: atqui res ita eſt.

Resp. Dist. Min. Atqui evidentia prior, eſt emendabilis per poſteriorem, emendabilis ratione concomitantis obſcuritatis, *C.* Emendabilis ratione ſui, *N.* Scilicet evidentia minor habet aliquid obſcuritatis.

Inst. *Nonò.* Atqui evidentia eſt emendabilis per ſe & ratione ſui: ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Evidens nobis eſt de noctu inter ſomniandum, præſto eſſe objecta quæ reipſa non ſunt. Atqui talis evidentia emendari debet. Ergo evidentia emendabilis eſt.

Resp. Dist. Maj. Evidens eſt nobis præſto eſſe

objecta quæ reipſa non ſunt, evidens quoad impreſſionem factam in anima, C. Evidens quoad cauſam impreſſionis, N. Porrò id non eſt emendabile quoad impreſſionem.

Inst. *Decimò.* Atqui habemus evidentiam de cauſa impreſſionis: quia certi ſumus impreſſionem venire ab aliqua cauſa.

Resp. Dist. Habemus evidentiam de cauſa impreſſionis generatim & indeterminatè, C. In particulari & determinatè, N. Scimus eſſe cauſam, at quænam ſit determinatè, neſcimus.

OBJECTIO IV.

SI daretur cognitio certa, vel ea foret de rebus univerſalibus, vel de ſingularibus: atqui neutrum dici poteſt.

Resp. Nego. Min. Nam datur ſaltem de rebus univerſalibus, quæ quia ſunt immutabiles, poſſunt eſſe objectum cognitionis certæ.

Instabis. Non datur cognitio certa de rebus, quę nec exiſtunt, nec unquam exiſtere poſſunt: atqui res univerſales nec exiſtunt, nec unquam exiſtère poſſunt; quia *exiſtere ſingularium eſt*, ex axiomate. Ergo non datur cognitio certa de univerſalibus.

Resp. Dist. Maj. Quæ nec exiſtunt, nec exiſtere poſſunt neque per ſe proximè, neque per ſingularia ſua, C. per ſe tantùm & proximè, N. Porrò univerſalia exiſtunt per ſua ſingularia; v. g. Natura humana per Petrum & Paulum.

Inst. *Secundò.* Ut daretur cognitio certa de univerſalibus, deberet priùs fieri inductio omnium generatim ſingularium: atqui hæc inductio omnium ſingularium eſt impoſſibilis; ergo non poteſt dari cognitio certa de univerſalibus.

Resp. Dist. Maj. Ut detur cognitio certa de univerſalibus in materia contingente; v. g. *Homo eſt albus*, C. In materia neceſſaria, ut, *Homo eſt rationalis*, N.

Inst. *Tertiò.* Hæc propoſitio: *Omnis homo eſt rationalis*, vulgò dicitur materia neceſſaria; hæc verò, *omnis homo eſt niger*, dicitur in materia contingente: atqui diſcerni non poteſt abſque inductione omnium ſingularium, quænam ex his duabus ſit in materia ne-

ceſſaria, vel contingente; ergo opus eſt, inductione in quacumque materia.

Prob: Min. Suppono quempiam hominem in Æthiopia natum nullos unquam vidiſſe homines niſi nigros: atqui non poterit ille diſcernere, num nigredo conveniat hominibus contingenter potiùs quàm neceſſariò; ergo diſcerni non poteſt abſque inductione, materia contingens.

Resp. Nego Min. Quia poterit id diſcernere per ipſam evidentiam ſi nimirùm attenderit ad ideam hominis, & adverterit nigredinem Æthiopis venire ab aliqua extrinſeca cauſa, ſcilicet, ab ardore Solis.

Inst. *Quartò*. Ille non poterit diſcernere num nigredo ſit neceſſaria, vel contingens homini, qui viderit nigredinem eſſe cum homine reciprocam, omni & ſoli convenire: atqui id viderit, ut ſuppono.

Resp Dist. Maj. Qui viderit nigredinem eſſe cum homine reciprocam per ſe & neceſſariò, *C*. Eſſe reciprocam per accidens, & contingenter, *N*. Porrò facile erit ei deprehendere, contingens eſſe, quod omnis homo ſit niger, quia nigredo non habet neceſſariam cum humanitate connexionem.

Inst. *Quintò*. Quod convenit per accidens, rarò contingit. Atqui viderit nigredinem omni homini convenire non rarò. Ergo non exiſtimabit convenire per accidens & contingenter.

Resp. Dist. Maj. Quod convenit per accidens, id eſt, fortuito caſu, *C*. Per accidens, id eſt, præter eſſentiam, vel neceſſitatem, *Subdiſting o*. Rarò contingit, ſi non eadem ſemper fuerit accidentis cauſa, *C*. Si fuerit, *N*. At in noſtra ſuppoſitione, adeſt ſemper eadem cauſa extrinſeca nigredinis, putà ardor Solis.

Inst. *Sextò*. Atqui ob eandem rationem poterit homo ille exiſtimare, rationalitatem convenire per accidens, id eſt, præter eſſentiam; ergo nulla reſponſio.

Prob. Subs. Suppono inſuper vidiſſe homines nonnullos amentes: atqui tunc fundamentum habebit exiſtimandi rationalitatem convenire homini per accidens, & præter eſſentiam.

Resp. Dist. Min. Atqui tunc fundamentum habebit exiſtimandi rationalitatem convenire homini per accidens quoad actum ſecundum, *C*. Quoad actum primum, radicem & principium, *N*. At ſola radix rationalitatis eſt eſſentialis homini.

INST. *Septimò.* Qui ſcire poterit Deum poſſe condere homines ſpecie differentes, exiſtimare poterit eſſe poſſe homines abſque rationalitate etiam radicali: atqui id ſcire poterit.

RESP. DIST. MAJ. Qui ſcire poterit Deum poſſe condere homines ſpecie differentes penès ipſam rationalitatem, *C.* Specie differentes per differentias rationalitati ſuperadditas, N. At homines ſpecie differentes convenirent in rationalitate, & diſcreparent per differentias eſſentiales rationalitati ſuperadditas.

INST *Octavò.* Tam homo ille exiſtimare poterit Deum condere poſſe homines ſpecie differentes penès rationalitatem, hoc eſt, de rationalibus, non rationales, & de non rationalibus, rationales, quàm de exiſtentibus non exiſtentes, & de non exiſtentibus exiſtentes.

RESP. NEGO. *Paritatem* Ratio diſp. eſt, quia evidens eſt attendenti, exiſtentiam rerum pendere ab omnipotentia Dei: non item eſſentias quæ ſunt prorſùs immutabiles. Cùm igitur in primario & eſſentiali conceptu hominis includatur rationalitas; aliter homo eſſe non poteſt quàm rationalis; ſicut triangulus aliter eſſe nequit quàm tribus conſtans angulis, totidemque lateribus.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum Adamus habuerit Philoſophiam.

I. PROPOSITIO.

Adamus habuit Philoſophiam.

PROBATUR. Adamus fuit non corpore modò, ſed & animo perfectus; utpotè opus à Deo immediatè procedens. Atqui non fuiſſet animo perfectus, niſi fuiſſet præditus Philoſophia, quæ eſt non infima perfectio mentis humanæ. Ergo Adamus habuit Philoſophiam.

OBJECTIO I.

ILLE non habuit Philoſophiam, qui non potuit diſcurrere de rebus naturalibus: atqui Adamus non potuit diſcurrere de rebus naturalibus; ergo Adamus

non habuit Philoſophiam.

Probo. Min. Diſcurrere, eſt procedere à noto ad ignotum: atqui Adamus non potuit procedere à noto ad ignotum; ergo Adamus non potuit diſcurrere de rebus naturalibus.

Resp. Dist. Maj. Diſcurrere, eſt procedere à noto ad ignotum ſecundùm quid, id eſt, minus notum, *C.* à noto ad ignotum ſimpliciter, *N.* Porrò Adamus potuit procedere à noto ad ignotum ſecundùm quid, id eſt, inferre concluſionem minus notam ex principiis notioribus.

Instabis. Ille non potuit procedere à noto ad ignotum ſecundùm quid, cui omnia erant æqualiter nota: atqui Adamo erant omnia æqualiter nota.

Prob. Min. Illi erant omnia æqualiter nota, qui noverat omnia per ſpecies à Deo ſimul infuſas: atqui Adamus omnia noverat per ſpecies à Deo infuſas; ergo Adamo omnia erant æqualiter nota.

Resp. Dist. Maj. Qui noverat omnia per ſpecies infuſas, homogeneas & intuitivas omnes, *C.* Per ſpecies heterogeneas, quaſdam abſtractivas, & quaſdam intuitivas, *N.* Porrò Adamus habuit ſpecies heterogeneas; alias quidem clariores, pro principiis; alias obſcuriores pro concluſionibus deducendis.

Inst. *Secundò* Ille noverat omnia per ſpecies infuſas homogeneas. qui uno intuitu & ſine diſcurſu concluſiones, ſicut & principia prima noverat: atqui Adamus omnia noverat ſine diſcurſu, concluſiones & principia; ergo noverat omnia per ſpecies infuſas homogeneas.

Probo. Min. Ille uno intuitu noverat concluſiones, ſicut & principia, qui uno intuitu noverat principia in quibus concluſiones continentur: atqui Adamus noverat uno intuitu principia in quibus continentur concluſiones.

Resp. Dist. Maj. In quibus concluſiones continentur formaliter & explicitè, *C.* Virtualiter & implicitè ſolùm, *N.* Porrò concluſiones non continentur in principiis formaliter, ſed virtualiter, quatenùs ſunt ex principiis deducendæ.

Inst. *Tertiò.* Ille noverat omnia uno intuitu, abſque ullo diſcurſu, qui omnia noverat in cauſis, ſicut nôrunt Angeli: atqui Adamus noverat omnia, ut Angeli.

Prob. Min. Adamus habuit per gratiam quod Angeli

Angeli habent per naturam (ex S. Thoma;) ergo Adamus noverat omnia, ut nôrunt Angeli.

Resp. Dist. Ant. Adamus habuit per gratiam quod Angeli habent per naturam ſuam, habuit quoad modum, per infuſionem, C. Habuit quoad ſubſtantiam, N.

Inst. *Quartò*. Ille habuit ſcientiam Angelicæ ſimilem quoad ſubſtantiam, qui habuit ſcientiam ſupernaturalem: atqui Adamus habuit ſcientiam ſupernaturalem; ergo Adamus habuit ſcientias Angelicæ ſimiles quoad ſubſtantiam.

Resp. Dist. Maj. Qui habuit ſcientiam ſupernaturalem quoad entitatem, C. Quoad modum habendi, cæleſtem & extraordinarium, N. Porrò Adamus habuit ſcientias ſupernaturales, non quidem quoad ſe, ſed quoad modum habendi.

Inst. *Quintò*. Niſi Adamus habuiſſet ſcientiam ſupernaturalem quoad entitatem, non habuiſſet perfectiſſimam: atqui habuit perfectiſſimam.

Resp. Dist. Maj. Non habuiſſet ſcientiam perfectiſſimam, abſolutè, & in quolibet genere, C. Non habuiſſet perfectiſſimam, hypotheticè, & in genere ſcientiæ humanæ, N.

Inst. *Sextò*. Ille habuit ſcientiam perfectiſſimam abſolutè, qui non priùs noverat principia quàm concluſiones: atqui Adamus non priùs noverat principia quàm concluſiones; ſiquidem ſimul noverat has & illa.

Resp. Dist. Maj. Qui non priùs noverat principia quàm concluſiones, priùs prioritate naturæ, C. Priùs prioritate temporis, N. Porrò priùs noverat Adamus principia quàm concluſiones; non quidem prioritate temporis, ſed prioritate naturæ, quatenùs concluſiones noverat dependenter à principiis.

Inst. *Septimò* Si ſpecies quæ Adamo repræſentabat concluſiones, non dependebat à ſpecie, quæ repræſentabat principium, certè Adamus noverat concluſiones independenter à principiis: atque ſpecies quæ repræſentabat concluſiones, non dependebat à ſpecie quæ repræſentabat principium.

Resp. Dist. Min. Atqui ſpecies concluſionis non dependebat à ſpecie principiorum; non dependebat ut haberetur, C. Ut erumperet in actum, N. Nam ſpecies concluſionis erat diſcurſiva, ad inferendam concluſionem minus notam ex principio notio-

habitui Logicæ, quos Deus poterat infundere, non infuſo habitu Logicæ: atqui Deus poterat abſolutè infundere habitus demonſtrativos aliarum ſcientiarum, tametſi habitum Logicæ nunquam infudiſſet, quia poterat infundere ſpecies aliarum ſcientiarum, non infuſis ſpeciebus Logicæ.

Resp. Dist. Maj. Illi habitus non erant ſubordinati habitui Logicæ, non erant ſubordinati quoad exiſtentiam ſui, *C.* Quoad exercitium ſuorum actuum, *N.* Quia, licèt aliæ ſcientiæ poſſint fortè exiſtere ſine Logica, non poſſunt tamen ſine illa in actus erumpere ſuos.

Adamum non habuiſſe Moralem.

Objectio.

Moralis eſt prudentia. Atqui Adamus non habuit prudentiam.

Prob. Min. Ille non habuit prudentiam, qui minùs rectè judicavit de agendis ſibi, & fugiendis: atqui Adamus non rectè judicavit de agendis & fugiendis; ſiquidem ex imprudentiâ peccavit.

Resp. Dist. Maj. Ille non habuit prudentiam, qui non rectè judicavit de agendis, & fugiendis, judicio generali, & ſpeculativo, *C.* Judicio particulari, & practicè practico, *N.* Porro Adamus rectè judicabat de agendis, judicio ſpeculativo, tametſi non rectè judicaverit judicio practicè practico, ut contingit peritiſſimis quibuſque.

Instabis. Prudentia generalis eſt ſcientia boni, & mali: atqui Adamus non habuit ſcientiam boni & mali: ſiquidem ſcientiam hanc ei pollicebatur Serpens; ergo Adamus nullam habuit prudentiam vel generalem.

Resp. Dist. Maj. Prudentia generalis eſt ſcientia boni, & mali, naturalis & diſcurſiva, *C.* Supernaturalis, & apprehenſiva, *N.* Porro Adamo promiſerat Serpens ſcientiam boni, & mali, non qualemcumque, ſeu naturalem & diſcurſivam, ſed ſublimiorem, & Angelicæ ſimilem; ut patet ex his verbis, Geneſ. 3. *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum.*

Inst. *Secundò.* Atqui quam promiſerat Serpens Adamo ſcientiam boni & mali, ea non erat ſupernaturalis, ſublimior, & extraordinaria.

Prob. Subs. Adamus, in comedendo de fructu

vetito, non quærebat ſcientiam illam, quam certò ſciebat ſe non poſſe conſequi : atqui Adamus certò ſciebat, ſe non poſſe conſequi ſcientiam boni, & mali ſupernaturalem, & angelicæ ſimilem.

PROB. MIN. Adamus (ſi fuit ſapiens) probè ſciebat, ſe non poſſe conſequi ſcientiam, quæ Angelorum, ſeu intelligentiarum propria eſt. Atqui ſcientia boni, & mali, extraordinaria, ſupernaturalis, & apprehenſiva, eſt Angelorum propria.

RESP. DIST. MAJ. Adamus ſciebat, ſe non poſſe conſequi ſcientiam hujuſmodi, naturaliter & ex debito, *C*. Ex ſingulari munificentiâ Dei creatoris, *N*.

INST *Tertiò*. Adamus noſſe debuit ſcientiam ſupernaturalem & angelicam non poſſe competere, niſi habenti naturam angelicam : atqui noſſe debuit transformari ſe non poſſe in naturam angelicam ; ergo noſſe debuit ſe non poſſe conſequi abſolutè ſcientiam ſupernaturalem & extraordinariam.

RESP. NEGO MAJ. Nihil enim repugnat habitum ſupernaturalem & extraordinarium conferri naturæ inferiori, ex beneficio præpotentis Creatoris.

INST. *Quartò*. Si modus operandi ſemper ſequatur modum eſſendi, priùs eſt habere naturam angelicam, quàm cognoſcere modo ſupernaturali & angelico : atqui *modus operandi ſequitur modum eſſendi*, ex axiomate ; ergo noſſe debuit Adamus ſcientiam ſublimiorem & angelicam, non poſſe competere niſi habenti naturam angelicam.

RESP. DIST. MAJ. Si modus operandi extraordinarius ſequatur modum eſſendi, C. Si modus operandi naturalis & ordinarius tantùm, *N*. At axioma citatum intelligendum eſt de modo naturali & ordinario operandi : alioquì, qui eliceret actionem ſupernaturalem, haberet quoque naturam ſupernaturalem.

Adamum non habuiſſe Metaphyſicam.

OBJECTIO.

Ille non habuit Metaphyſicam, qui non cognovit Deum eſſe infinitum, atque immenſum : atqui Adamus non cognovit Deum eſſe infinitum, atque immenſum.

PROB. MIN. *Quoad primam partem*. Ille non cognovit Deum eſſe infinitum in omni genere perfectionis, qui putavit fieri ſe poſſe Deo ſimilem : atqui Ada-

ſi momenta quibus innituntur, protulerint, quæſtionis verò deciſionem ultrò dimittunt viris prudentibus, nec præoccupatis.

Inst. *Quintò* Prudenter dubitatur de veritate hujus quod convenit rebus falſis perinde ac veris: atqui evidentia convenit rebus falſis perinde ac veris, poteſt enim aliquid eſſe falſum ſimul & evidens: ergo prudenter ſe gerunt Sceptici, dum dubitant de veritate evidentiæ.

Resp. Dist. Maj. Quod convenit rebus falſis cognitis tanquam veris, *C.* Rebus falſis cognitis tanquam falſis, N. Porrò evidentiam convenire rebus falſis, cognitis tanquam falſis, eſt ipſam convenire veritati, quia verum eſt, falſum eſſe falſum.

Inst. *Sextò* Evidentia convenit rebus falſis cognitis tanquam veris, ſi quæ olim putabantur evidenter vera, falſa nunc judicentur; atqui res ita eſt.

Prob. Min. Ante revelatum SS. Trinitatis myſterium, axioma hoc celebrabatur ut verum evidenter: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: atqui idipſum jam judicatur ut falſum, ſuppoſitâ veritate myſterii adorandæ Trinitatis; ergo quæ olim putabantur evidenter vera, falſa nunc judicantur.

Resp. Nego. Min. Nam quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe ſub eo reſpectu, ſub quo ſunt eadem uni tertio.

Inst. *Septimò.* Tres perſonæ divinæ ſunt quid idem cum natura divina, neque tamen ſunt quid idem inter ſe; ergo quæ ſunt eadem uni tertio, non ſunt ſemper eadem inter ſe.

Resp. Dist. Secundam partem antec. Tres perſonæ divinæ non ſunt quid idem inter ſe, ſub eo reſpectu ſub quo opponuntur inter ſe relativè, *C.* Sub eo reſpectu, ſub quo identificantur in natura divina, N. Scilicet perſonæ divinæ opponuntur inter ſe relativè, & ſub eo reſpectu diſtinguuntur; ſed non opponuntur cum natura divina, & ſub eo reſpectu identificantur in ea.

OBIECTIO III.

Ut detur Philoſophia, dari debet facultas aliqua certò cognoſcitiva: atqui nulla datur facultas in nobis certò cognoſcitiva.

Prob. Min. Si qua daretur in nobis facultas certò cognoſcitiva, ea foret vel intellectus, vel ſenſus: atqui neutrum dici poteſt.

Resp. Nego Min. Namque intellectus evidentiâ innixus eſt facultas certò cognoſcens.

Inst. Facultas errori obnoxia, non eſt certò cognoſcitiva: atqui intellectus humanus eſt errori valdè obnoxius; ergo intellectus non eſt facultas certò cognoſcitiva.

Resp. Dist. Min. Atqui intellectus humanus eſt errori obnoxius in rebus obſcuris & probabilibus, C. In rebus claris & evidentibus, N. Evidentia namque rapit intellectum.

Inst. *Secundò* Atqui intellectus humanus errori obnoxius eſt vel in rebus claris & evidentibus.

Prob. Subs. Intellectus humanus eo ipſo eſt errori obnoxius, quo facultas eſt finita: atqui intellectus etiam in claris atque evidentibus, eſt facultas eſſentialiter finita; ergo intellectus eſt errori obnoxius vel in rebus claris.

Resp. Nego Maj. Error enim facultatis cognoſcentis non oritur ex ipſius limitatione præcisè, ſed ex rerum, circa quas verſatur, obſcuritate.

Inst. *Tertiò.* Intellectus divinus eo ipſo eſt indefectibilis, quò facultas eſt infinita; ergo à contrario intellectus humanus eo ipſo defectibilis eſt, quo facultas eſt finita.

Resp. Nego *Conſ. & Paritatem.* Ratio diſp. eſt, quia facultas infinita ut infinita, continet omnes omninò perfectiones, proindeque ipſam indefectibilitatem: at verò facultas finita ut finita, non continet omne genus imperfectionis, proindeque neceſſe non eſt quod contineat defectibilitatem.

Inst. *Quartò.* Intellectus humanus, quia finitus, non poteſt omnia generatim cognoſcere; atqui eo ipſo quo non poteſt omnia generatim cognoſcere, defectibilis ſit neceſſe eſt; ergo intellectus humanus eo ipſo defectibilis eſt, quo finitus eſt.

Resp. Nego Maj. Namque intellectus humanus non dicitur finitus, eo quòd non valeat omnia cognoſcere, ſed ex eo quòd non poſſit ea cognoſcere infinito modo.

Inst. *Quintò.* Intellectus humanus, quia finitus eſt, eſt limitatus in ſuis cognitionibus: atqui eo ipſo quo limitatus eſt in ſuis cognitionibus, non poteſt omnia generatim cognoſcere; ergo intellectus, quia finitus eſt, non poteſt omnia generatim cognoſcere.

Resp. Dist. Maj. Intellectus quia finitus, eſt limitatus in ſuis cognitionibus, limitatus quoad modum cognoſcendi finitum, *C.* Limitatus quoad objectum cognoſcendum, *N.*

Inst. *Sextò* Intellectus divinus, infinitus quoad modum cognoſcendi, eſt quoque infinitus quoad objectum cognoſcendum; ergo à pari intellectus humanus, finitus quoad modum cognoſcendi, eſt quoque finitus quoad objectum cognoſcendum.

Resp. Nego. *Conſ. & Paritatem.* Ratio diſp. eſt, quia intellectus divinus, eſt infinitus ſimpliciter & ſub omni reſpectu: at verò intellectus humanus eſt finitus ſecundùm quid tantùm & ſub uno duntaxat reſpectu; finitus, ut aiunt, intrinſecè, ſed non extrinſecè.

Inst. *Septimò.* Modus cognoſcendi finitus eſt defectibilis: atqui modus cognoſcendi intellectûs humani eſt finitus (ex conceſſis) ergo eſt defectibilis.

Resp. Dist. Maj. Modus cognoſcendi finitus, eſt defectibilis, quando res cognoſcendæ ſunt obſcuræ, *C.* Quando claræ ſunt atque evidentes, *N.*

Inst. *Octavò.* Modus cognoſcendi finitus eſt defectibilis quando res cognoſcendæ ſunt evidentes, ſi evidentia prior & minor ſit emendabilis per poſteriorem & majorem: atqui res ita eſt.

Resp. Dist. Min. Atqui evidentia prior, eſt emendabilis per poſteriorem, emendabilis ratione concomitantis obſcuritatis, *C.* Emendabilis ratione ſui, *N.* Scilicet evidentia minor habet aliquid obſcuritatis.

Inst. *Nonò.* Atqui evidentia eſt emendabilis per ſe & ratione ſui: ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Evidens nobis eſt de noctu inter ſomniandum, præſto eſſe objecta quæ reipſa non ſunt. Atqui talis evidentia emendari debet. Ergo evidentia emendabilis eſt.

Resp. Dist. Maj. Evidens eſt nobis præſto eſſe

objecta quæ reipſa non ſunt, evidens quoad impreſſionem factam in anima, *C.* Evidens quoad cauſam impreſſionis, *N.* Porrò id non eſt emendabile quoad impreſſionem.

INST. *Decimò.* Atqui habemus evidentiam de cauſa impreſſionis: quia certi ſumus impreſſionem venire ab aliqua cauſa.

RESP. DIST. Habemus evidentiam de cauſa impreſſionis generatim & indeterminatè, *C.* In particuliari & determinatè, *N.* Scimus eſſe cauſam, at quænam ſit determinatè, neſcimus.

OBIECTIO IV.

SI daretur cognitio certa, vel ea foret de rebus univerſalibus, vel de ſingularibus: atqui neutrum dici poteſt.

RESP. NEGO. MIN. Nam datur ſaltem de rebus univerſalibus, quæ quia ſunt immutabiles, poſſunt eſſe objectum cognitionis certæ.

INSTABIS. Non datur cognitio certa de rebus, quę nec exiſtunt, nec unquam exiſtere poſſunt: atqui res univerſales nec exiſtunt, nec unquam exiſtère poſſunt; quia *exiſtere ſingularium eſt*, ex axiomate. Ergo non datur cognitio certa de univerſalibus.

RESP. DIST. MAj. Quæ nec exiſtunt, nec exiſtere poſſunt neque per ſe proximè, neque per ſingularia ſua, *C.* per ſe tantùm & proximè, *N.* Porrò univerſalia exiſtunt per ſua ſingularia; v. g. Natura humana per Petrum & Paulum.

INST. *Secundò* Ut daretur cognitio certa de univerſalibus, deberet priùs fieri inductio omnium generatim ſingularium: atqui hæc inductio omnium ſingularium eſt impoſſibilis; ergo non poteſt dari cognitio certa de univerſalibus.

RESP. DIST. MAj. Ut detur cognitio certa de univerſalibus in materia contingente; v. g. *Homo eſt albus*, *C.* In materia neceſſaria, ut, *Homo eſt rationalis*, *N.*

INST. *Tertiò.* Hæc propoſitio: *Omnis homo eſt rationalis*, vulgò dicitur materia neceſſaria; hæc verò, *omnis homo eſt niger*, dicitur in materia contingente: atqui diſcerni non poteſt abſque inductione omnium ſingularium, quænam ex his duabus ſit in materia ne-

ceſſaria, vel contingente; ergo opus eſt, inductione in quacumque materia.

Prob: Min. Suppono quempiam hominem in Æthiopia natum nullos unquam vidiſſe homines niſi nigros: atqui non poterit ille diſcernere, num nigredo conveniat hominibus contingenter potiùs quàm neceſſariò; ergo diſcerni non poteſt abſque inductione, materia contingens.

Resp. Nego Min. Quia poterit id diſcernere per ipſam evidentiam ſi nimirùm attenderit ad ideam hominis, & adverterit nigredinem Æthiopis venire ab aliqua extrinſeca cauſa, ſcilicet, ab ardore Solis.

Inst. *Quartò.* Ille non poterit diſcernere num nigredo ſit neceſſaria, vel contingens homini, qui viderit nigredinem eſſe cum homine reciprocam, omni & ſoli convenire: atqui id viderit, ut ſuppono.

Resp Dist. Maj. Qui viderit nigredinem eſſe cum homine reciprocam per ſe & neceſſariò, *C.* Eſſe reciprocam per accidens, & contingenter, *N.* Porrò facile erit ei deprehendere, contingens eſſe, quod omnis homo ſit niger, quia nigredo non habet neceſſariam cum humanitate connexionem.

Inst. *Quintò.* Quod convenit per accidens, rarò contingit. Atqui viderit nigredinem omni homini convenire non rarò. Ergo non exiſtimabit convenire per accidens & contingenter.

Resp. Dist. Maj. Quod convenit per accidens, id eſt, fortuito caſu, *C.* Per accidens, id eſt, præter eſſentiam, vel neceſſitatem, *Subdiſting o.* Rarò contingit, ſi non eadem ſemper fuerit accidentis cauſa, *C.* Si fuerit, *N.* At in noſtra ſuppoſitione, adeſt ſemper eadem cauſa extrinſeca nigredinis, putà ardor Solis.

Inst. *Sextò.* Atqui ob eandem rationem poterit homo ille exiſtimare, rationalitatem convenire per accidens, id eſt, præter eſſentiam; ergo nulla reſponſio.

Prob. Subs. Suppono inſuper vidiſſe homines nonnullos amentes: atqui tunc fundamentum habebit exiſtimandi rationalitatem convenire homini per accidens, & præter eſſentiam.

Resp. Dist. Min. Atqui tunc fundamentum habebit exiſtimandi rationalitatem convenire homini per accidens quoad actum ſecundum, *C.* Quoad actum primum, radicem & principium, *N.* At ſola radix rationalitatis eſt eſſentialis hominis.

INST. *Septimò.* Qui ſcire poterit Deum poſſe condere homines ſpecie differentes, exiſtimare poterit eſſe poſſe homines abſque rationalitate etiam radicali: atqui id ſcire poterit.

RESP. DIST. MAj. Qui ſcire poterit Deum poſſe condere homines ſpecie differentes penès ipſam rationalitatem, *C.* Specie differentes per differentias rationalitati ſuperadditas, N. At homines ſpecie differentes convenirent in rationalitate, & diſcreparent per differentias eſſentiales rationalitati ſuperadditas.

INST *Octavò.* Tam homo ille exiſtimare poterit Deum condere poſſe homines ſpecie differentes penès rationalitatem, hoc eſt, de rationalibus, non rationales, & de non rationalibus, rationales, quàm de exiſtentibus non exiſtentes, & de non exiſtentibus exiſtentes.

RESP. NEGO. *Paritatem* Ratio diſp. eſt, quia evidens eſt attendenti, exiſtentiam rerum pendere ab omnipotentia Dei: non item eſſentias quæ ſunt prorſùs immutabiles. Cùm igitur in primario & eſſentiali conceptu hominis includatur rationalitas; aliter homo eſſe non poteſt quàm rationalis; ſicut triangulus aliter eſſe nequit quàm tribus conſtans angulis, totidemque lateribus.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum Adamus habuerit Philoſophiam.

I. PROPOSITIO.

Adamus habuit Philoſophiam.

PROBATUR. Adamus fuit non corpore modò, ſed & animo perfectus; utpotè opus à Deo immediatè procedens. Atqui non fuiſſet animo perfectus, niſi fuiſſet præditus Philoſophia, quæ eſt non infima perfectio mentis humanæ. Ergo Adamus habuit Philoſophiam.

OBJECTIO I.

ILLE non habuit Philoſophiam, qui non potuit diſcurrere de rebus naturalibus: atqui Adamus non potuit diſcurrere de rebus naturalibus; ergo Adamus

non habuit Philoſophiam.

Probo. Min. Diſcurrere, eſt procedere à noto ad ignotum: atqui Adamus non potuit procedere à noto ad ignotum; ergo Adamus non potuit diſcurrere de rebus naturalibus.

Resp. Dist. Maj. Diſcurrere, eſt procedere à noto ad ignotum ſecundùm quid, id eſt, minus notum, C. à noto ad ignotum ſimpliciter, N. Porrò Adamus potuit procedere à noto ad ignotum ſecundùm quid, id eſt, inferre concluſionem minus notam ex principiis notioribus.

Instabis. Ille non potuit procedere à noto ad ignotum ſecundùm quid, cui omnia erant æqualiter nota: atqui Adamo erant omnia æqualiter nota.

Prob. Min. Illi erant omnia æqualiter nota, qui noverat omnia per ſpecies à Deo ſimul infuſas: atqui Adamus omnia noverat per ſpecies à Deo infuſas; ergo Adamo omnia erant æqualiter nota.

Resp. Dist. Maj. Qui noverat omnia per ſpecies infuſas, homogeneas & intuitivas omnes, C. Per ſpecies heterogeneas, quaſdam abſtractivas, & quaſdam intuitivas, N. Porrò Adamus habuit ſpecies heterogeneas; alias quidem clariores, pro principiis; alias obſcuriores pro concluſionibus deducendis.

Inst. *Secundò* Ille noverat omnia per ſpecies infuſas homogeneas, qui uno intuitu & ſine diſcurſu concluſiones, ſicut & principia prima noverat: atqui Adamus omnia noverat ſine diſcurſu, concluſiones & principia; ergo noverat omnia per ſpecies infuſas homogeneas.

Probo. Min. Ille uno intuitu noverat concluſiones, ſicut & principia, qui uno intuitu noverat principia in quibus concluſiones continentur: atqui Adamus noverat uno intuitu principia in quibus continentur concluſiones.

Resp. Dist. Maj. In quibus concluſiones continentur formaliter & explicitè, C. Virtualiter & implicitè ſolùm, N. Porrò concluſiones non continentur in principiis formaliter, ſed virtualiter, quatenùs ſunt ex principiis deducendæ.

Inst. *Tertiò.* Ille noverat omnia uno intuitu, abſque ullo diſcurſu, qui omnia noverat in cauſis, ſicut nôrunt Angeli: atqui Adamus noverat omnia, ut Angeli.

Prob. Min. Adamus habuit per gratiam quod Angeli

Angeli habent per naturam (ex S. Thoma;) ergo Adamus noverat omnia, ut nôrunt Angeli.

Resp. Dist. Ant. Adamus habuit per gratiam quod Angeli habent per naturam ſuam, habuit quoad modum, per infuſionem, *C.* Habuit quoad ſubſtantiam, *N.*

Inst. *Quartò.* Ille habuit ſcientiam Angelicæ ſimilem quoad ſubſtantiam, qui habuit ſcientiam ſupernaturalem: atqui Adamus habuit ſcientiam ſupernaturalem; ergo Adamus habuit ſcientias Angelicæ ſimiles quoad ſubſtantiam.

Resp. Dist. Maj. Qui habuit ſcientiam ſupernaturalem quoad entitatem, *C.* Quoad modum habendi, cæleſtem & extraordinarium, *N.* Porrò Adamus habuit ſcientias ſupernaturales, non quidem quoad ſe, ſed quoad modum habendi.

Inst. *Quintò.* Niſi Adamus habuiſſet ſcientiam ſupernaturalem quoad entitatem, non habuiſſet perfectiſſimam: atqui habuit perfectiſſimam.

Resp. Dist. Maj. Non habuiſſet ſcientiam perfectiſſimam, abſolutè, & in quolibet genere, *C.* Non habuiſſet perfectiſſimam, hypotheticè, & in genere ſcientiæ humanæ, *N.*

Inst. *Sextò.* Ille habuit ſcientiam perfectiſſimam abſolutè, qui non priùs noverat principia quàm concluſiones: atqui Adamus non priùs noverat principia quàm concluſiones; ſiquidem ſimul noverat has & illa.

Resp. Dist. Maj. Qui non priùs noverat principia quàm concluſiones, priùs prioritate naturæ, *C.* Priùs prioritate temporis, *N.* Porrò priùs noverat Adamus principia quàm concluſiones; non quidem prioritate temporis, ſed prioritate naturæ, quatenùs concluſiones noverat dependenter à principiis.

Inst. *Septimò.* Si ſpecies quæ Adamo repræſentabat concluſiones, non dependebat à ſpecie, quæ repræſentabat principium, certè Adamus noverat concluſiones independenter à principiis: atque ſpecies quæ repræſentabat concluſiones, non dependebat à ſpecie quæ repræſentabat principium.

Resp. Dist. Min. Atqui ſpecies concluſionis non dependebat à ſpecie principiorum; non dependebat ut haberetur, *C.* Ut erumperet in actum, *N.* Nam ſpecies concluſionis erat diſcurſiva, ad interendam concluſionem minus notam ex principio notiore.

OBIECTIO II.

Ille non habuit Philoſophiam, cujus oculi mentis non erant aperti ante peccatum: atqui oculi Adami non erant aperti ante peccatum, *Geneſ. cap. 3.* ergo Adamus non habuit Philoſophiam.

Resp. Dist. Maj. Cujus oculi non erant aperti, quoad cognitiones philoſophicas & naturales, *C.* Quoad cognitionem experimentalem rebellionis carnis adverſus ſpiritum, *N.* Senſus igitur Scripturæ is eſt, Adamum ſtatim à peccato expertum fuiſſe motus concupiſcentiæ, quos antea non fuerat expertus.

Instabis. Illius oculi non erant aperti quoad cognitiones philoſophicas, qui nullam Philoſophiæ partem habuiſſe comprobatur: atqui Adamus nullam Philoſophiæ partem comprobatur habuiſſe, nec Logicam, nec Moralem, nec Phyſicam, nec Metaphyſicam.

Resp. Nego Min. Quoad ſingulas partes. Cùm enim Adamus fuerit opus Dei immediatum, decebat ipſum eſſe præditum omni ſcientiarum genere.

Adamum non habuiſſe Logicam.

Inst. *Primò.* Logica eſt ſcientia reflexa: atqui Adamus non habuit ſcientiam reflexam, ſeu per reflexionem; ergo Adamus non habuit Logicam.

Resp. Dist. Maj. Logica eſt ſcientia reflexa, Logica acquiſita, *C.* Logica infuſa, *N.* Ratio diſparitatis eſt, quia Logica acquiſita habetur per reflexionem, ſuprà alias ſcientias: At verò infundi poteſt à Deo immediatè; Adamus autem eam habuit infuſam.

Inst. *Secundò.* Atqui Adamus non habuit Logicam infuſam.

Prob. Subs. Logica eſt ſcientia, quæ inſervit ad alias ſcientias; atqui Adamus non habuit infuſam ſcientiam, quæ inſervit ad alias ſcientias; ſiquidem & alias ſcientias ſupponitur habuiſſe infuſas.

Resp. Dist. Maj. Logica eſt ſcientia, quæ inſervit ad alias ſcientias, vel comparandas, vel dirigendas in ſuis actibus, *C.* Comparandas tantùm, *N.* Porro Adamus non habuit quidem opus Logicâ ad comparandas alias ſcientias; ſed opus habuit ad eas ſuis in actibus dirigendas

Inst. *Tertiò.* Ille non opus habuit Logicâ, ad di-

rigendas alias ſcientias in ſuis actibus, qui jam habebat perfectas, atque infallibiles ſcientias: atqui Adamus habebat ab initio (ut ſupponitur) perfectas atque infallibiles ſcientias: ergo non opus habuit Logicâ.

Resp. Dist. Maj. Qui jam habebat perfectas, atque infallibiles ſcientias, independenter à Logicâ dirigente, *C.* dependenter ab eâ, *N.* Porro quas habebat Adamus perfectas ſcientias, eæ non erant infallibiles, niſi dependenter à Logica dirigente.

Inst. *Quartò.* Atqui Adamus habebat perfectas atque infallibiles ſcientias independenter à Logica: ergo nulla reſponſio.

Prob. Subs. Adamus habebat per infuſionem, independenter à Logica, eas ſcientias, quas poſſumus nos abſolutè habere independenter à Logica: atqui poſſumus nos cæteras ſcientias perfectas habere independenter à Logica, ſi nimirùm Logica non ſit ſimpliciter neceſſaria (ut non rarò docetur.)

Resp. Dist. Maj. Atqui nos poſſumus cæteras ſcientias perfectas habere ſine Logica; perfectas, *primò*, intentionaliter, *C. ſecundò*, intentionaliter, *N.* Porro decebat Adamum poſſe reddere rationem ſuarum cognitionum, eaſque habere perfectas, non ſolùm, *primò*, ſed etiam, *ſecundò*, intentionaliter.

Si doceatur, Logicam eſſe ſimpliciter neceſſariam, ſic contrà poterit objici.

Inst. *Quintò.* Ille habebat perfectas atque infallibiles ſcientias independenter à Logica, qui acceperat à Deo immediatè habitus demonſtrativos perfectiſſimos in ſuo genere: atqui Adamus acceperat à Deo habitus demonſtrativos perfectiſſimos (ut ſupponitur.)

Resp. Dist. Maj. Qui acceperat à Deo habitus demonſtrativos perfectiſſimos, habitui Logicæ non ſubordinatos, *C.* Subordinatos ei, *N.* Porro Adamus acceperat habitus demonſtrativos aliarum Scientiarum, ſubordinatos habitui Logicæ præſcribentis modum definiendi, dividendi, & argumentandi.

Inst. *Sextò.* Atqui quos acceperat Adamus habitus demonſtrativos aliarum ſcientiarum, ii non erant ſubordinati habitui Logicæ.

Prob. Subs. Illi habitus non erant ſubordinati

habitui Logicæ, quos Deus poterat infundere, non infuſo habitu Logicæ: atqui Deus poterat abſolutè infundere habitus demonſtrativos aliarum ſcientiarum, tametſi habitum Logicæ nunquam infudiſſet, quia poterat infundere ſpecies aliarum ſcientiarum, non infuſis ſpeciebus Logicæ.

Resp. Dist. Maj. Illi habitus non erant ſubordinati habitui Logicæ, non erant ſubordinati quoad exiſtentiam ſui, *C.* Quoad exercitium ſuorum actuum, *N.* Quia, licèt aliæ ſcientiæ poſſint fortè exiſtere ſine Logica, non poſſunt tamen ſine illa in actus erumpere ſuos.

Adamum non habuiſſe Moralem.

Objectio.

Moralis eſt prudentia. Atqui Adamus non habuit prudentiam.

Prob. Min. Ille non habuit prudentiam, qui minùs rectè judicavit de agendis ſibi, & fugiendis: atqui Adamus non rectè judicavit de agendis & fugiendis; ſiquidem ex imprudentiâ peccavit.

Resp. Dist. Maj. Ille non habuit prudentiam, qui non rectè judicavit de agendis, & fugiendis, judicio generali, & ſpeculativo, *C.* Judicio particulari, & practicè practico, *N.* Porro Adamus rectè judicabat de agendis, judicio ſpeculativo, tametſi non rectè judicaverit judicio practicè practico, ut contingit peritiſſimis quibuſque.

Instabis. Prudentia generalis eſt ſcientia boni, & mali: atqui Adamus non habuit ſcientiam boni & mali: ſiquidem ſcientiam hanc ei pollicebatur Serpens; ergo Adamus nullam habuit prudentiam vel generalem.

Resp. Dist. Maj. Prudentia generalis eſt ſcientia boni, & mali, naturalis & diſcurſiva, *C.* Supernaturalis, & apprehenſiva, *N.* Porro Adamo promiſerat Serpens ſcientiam boni, & mali, non qualemcumque, ſeu naturalem & diſcurſivam, ſed ſublimiorem, & Angelicæ ſimilem; ut patet ex his verbis, Geneſ. 3. *Er tis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum.*

Inst. *Secundò.* Atqui quam promiſerat Serpens Adamo ſcientiam boni & mali, ea non erat ſupernaturalis, ſublimior, & extraordinaria.

Prob. Subs. Adamus, in comedendo de fructu-

vetito, non quærebat ſcientiam illam; quàm certò ſciebat ſe non poſſe conſequi: atqui Adamus certò ſciebat, ſe non poſſe conſequi ſcientiam boni, & mali ſupernaturalem, & angelicæ ſimilem.

PROB. MIN. Adamus (ſi fuit ſapiens) probè ſciebat, ſe non poſſe conſequi ſcientiam, quæ Angelorum, ſeu intelligentiarum propria eſt. Atqui ſcientia boni, & mali, extraordinaria, ſupernaturalis, & apprehenſiva, eſt Angelorum propria.

RESP. DIST. MAj. Adamus ſciebat, ſe non poſſe conſequi ſcientiam hujuſmodi, naturaliter & ex debito, C. Ex ſingulari munificentiâ Dei creatoris, N.

INST *Tertiò*. Adamus noſſe debuit ſcientiam ſupernaturalem & angelicam non poſſe competere, niſi habenti naturam angelicam: atqui noſſe debuit transformari ſe non poſſe in naturam angelicam: ergo noſſe debuit ſe non poſſe conſequi abſolutè ſcientiam ſupernaturalem & extraordinariam.

RESP. NEGO MAj. Nihil enim repugnat habitum ſupernaturalem & extraordinarium conferri naturæ inferiori, ex beneficio præpotentis Creatoris.

INST. *Quartò* Si modus operandi ſemper ſequatur modum eſſendi, priùs eſt habere naturam angelicam, quàm cognoſcere modo ſupernaturali & angelico: atqui *modus operandi ſequitur modum eſſendi*, ex axiomate; ergo noſſe debuit Adamus ſcientiam ſublimiorem & angelicam, non poſſe competere niſi habenti naturam angelicam.

RESP. DIST. MAj. Si modus operandi extraordinarius ſequatur modum eſſendi, C. Si modus operandi naturalis & ordinarius tantùm, N. At axioma citatum intelligendum eſt de modo naturali & ordinario operandi: alioquì, qui eliceret actionem ſupernaturalem, haberet quoque naturam ſupernaturalem.

Adamum non habuiſſe Metaphyſicam.

OBJECTIO.

Ille non habuit Metaphyſicam, qui non cognovit Deum eſſe infinitum, atque immenſum: atqui Adamus non cognovit Deum eſſe infinitum, atque immenſum.

PROB. MIN. *Quoad primam partem.* Ille non cognovit Deum eſſe infinitum in omni genere perfectionis, qui putavit fieri ſe poſſe Deo ſimilem: atqui Ada-

mus putavit fieri ſe poſſe Deo ſimilem.

Prob. min. Ille putavit fieri ſe poſſe Deo ſimilem, qui Serpentis ſuaſu comedit de fructu vetito, ut eſſet, ſicut Deus: atqui Adamus comedit de fructu vetito, ut eſſet ſicut Deus (Geneſ. 30. *Eritis ſicut Dii.*)

Resp. Dist. maj. Ut eſſet ſicut Deus propriè dictus, *C.* Sicut Deus analogicè, & metaphoricè dictus, *N.* ſcilicet, nomen (Dei) in Scripturâ ſacrâ non ſemper ſignificat Ens independens, ſed aliquando, creaturam perfectiorem cæteris creaturis, ideoque propiùs accedentem ad perfectiones ſupremi Numinis: Sic legimus Pſal. 81. *Ego dixi, Dii eſtis, & fi ii Excelſi omnes.* Hoc autem intelligitur de Prophetis ut explicat Chriſtus Dominus, Joan. 10.

Instabis. Ille comedit de fructu vetito, ut eſſet ſicut Deus propriè dictus, de quo Deus ipſe ironicè dixit, conſequenter ad peccatum, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum*: atqui hæc de Adamo dixit Deus, Geneſ. 3.

Resp. Dist. maj. Si illa verba debeant intelligi de ſimilitudine Adami cum Deo perfectâ, *C.* Si de imperfectâ tantùm, *N.* At quod ſint intelligenda de imperfectâ ſolùm ſimilitudine, declarat illa particula, *quaſi.*

Inst. *Secundò.* Adamus ambiebat aliquam cum Deo ſimilitudinem majorem eâ ſimilitudine quam habebat ab initio: atqui habebat imperfectam ab initio ſimilitudinem cum Deo, Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Ergo Adamus ambiebat perfectam cum Deo ſimilitudinem.

Resp. Dist. min. Atqui Adamus habebat imperfectam ab initio ſimilitudinem cum Deo, imperfectam, ſed remotam, & in genere ſcientiæ humanæ, *C.* Proximam, & in genere ſcientiæ ſublimioris atque angelicæ, *N.*

Jam prob. min. *Quoad ſecundam partem.* Ille non cognovit immenſitatem Dei, qui non cognovit Deum eſſe ubique: atqui Adamus non cognovit Deum eſſe ubique præſentem.

Prob. min. Ille non cognovit Deum eſſe ubique præſentem, qui poſt peccatum voluit ſe ſe abſcondere à Deo: atqui Adamus poſt peccatum voluit ſe ſe à Deo abſcondere, *Geneſ.* 3.

Resp. Dist. maj. Qui voluit ſe ſe abſcon-

dere à Deo præciſè ut Deo, exiſtente in natura divina, *C.* à Deo ſub forma humana conſtituto, *N.* Hinc ibidem legitur, *Cùm audiſſent vocem Domini deambulantis in Paradiſo, abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini.* Quæ verba non videntur aliter intelligenda, quàm de Deo ſub forma humana conſtituto, quam formam aſſumebat ut familiariùs ageret cum Adamo.

Adamum non habuiſſe Phyſicam.

OBJECTIO.

Ille non habuit Phyſicam, qui non cognovit naturam Serpentis, & pomi: atqui Adamus non cognovit naturam Serpentis, vel pomi.

PROB. MIN. Qui putavit Serpentem eſſe loquacem, & pomum dare poſſe ſcientiam boni, & mali, certè non cognovit naturam Serpentis & pomi: atqui hæc falsò putavit Adamus.

RESP. *Primò.* Abſolutè negari poſſe Adamum id putaſſe; non enim Scriptura ſacra refert Serpentem fuiſſe allocutum Adamum, ſed Evam.

RESP. *Secundò.* DIST. MAJ. Qui putavit Serpentem eſſe loquacem per ſe & ab intrinſeco principio, & pomum dare poſſe ſcientiam boni & mali, per ſe, & vi ſua naturali, *C.* Serpentem eſſe loquacem per aliud & ab extrinſeco principio, & pomum dare poſſe ſcientiam boni & mali, vi divina & ſuperiori, *N.*

INSTABIS. Atqui Adamus non putavit Serpentem loqui ab extrinſeco principio.

PROB. SUBS. Si putâſſet Adamus Serpentem loqui ab extrinſeco principio, vel putâſſet loqui interventu Dei, vel Angeli, vel animæ rationalis: atqui nullum ex his dici poteſt.

RESP. NEGO MIN. Et dico ſingula ex his dici poſſe, maximè interventu Angeli.

INST. *Secundò.* Vel putaſſet Serpentem loqui, interventu Angeli, boni, vel mali: atqui neutrum dici poteſt; non quidem boni, quippe qui loquebatur contra præceptum divinum; neque etiam interventu mali, quippe ei fidem non adhibuiſſet.

RESP. NEGO MAJ. Quia ad illas omnes circumſtantias non attendit Adamus, nimis ſtudioſus uxori ſuæ complacere.

INST. *Tertiò. Sapientis non eſt dicere, non puta-*

ſam. Ergo ſi Adamus fuit ſapiens (ut dicitur) debuit attendere ad illas omnes circunſtantias : vel, ſi non attendit, ſapiens non fuit.

Resp. Dist. ant. Sapientis actu, *C*. Sapientis habitu tantùm, *N*. Porrò Adamus, nec prudens, nec ſapiens fuit actu, ſed habitu tantùm.

Inst. *Quartò*. Si fuiſſet actu Philoſophus, fuiſſet actu, & prudens, & ſapiens, cùm Philoſophia ſit quædam ſapientia.

Resp. Dist. Fuiſſet actu, & prudens, & ſapiens, actu, quoad habitum ſibi à Deo infuſum, *C*. Actu, quoad exercitium, & operationem, *N*.

Inst. *Quintò* Si fuiſſet actu Philoſophus, habuiſſet Philoſophiam à Deo perfectiſſimam : atqui, ſi habuiſſet perfectiſſimam, fuiſſet ſapiens, quoad exercitium ; quia ſapiens, quoad habitum ſimul & exercitium, perfectior eſt ſapiente, quoad habitum duntaxat.

Resp. Dist. maj. Habuiſſet Philoſophiam à Deo perfectiſſimam, habitualem, *C*. Actualem, *N*. Ratio diſparitatis eſt, quia habitus infundi poteſt ; at actus non poteſt, cùm ſit vitalis ; ab intrinſeco veniens.

II. PROPOSITIO.

Adamus habuit Philoſophiam per infuſionem.

Probatur. Vel enim Adamus habuit Philoſophiam per infuſionem, vel per inventionem, vel tandem per acquiſitionem: atqui nec habuit per inventionem, nec per acquiſitionem, cum fuerit ab initio Philoſophus, nec habuerit ſat temporis, ad inveniendam acquirendamve Philoſophiam. Ergo Adamus Philoſophiam habuit per infuſionem.

OBIECTIO I.

Adamus non habuit, per infuſionem, id quod infundi non poteſt : atqui Philoſophia infundi non poteſt.

Prob. min. Actus vitalis infundi non poteſt :

atqui Philoſophia eſt actus vitalis, ſeu cognitio; ergo Philoſophia infundi non poteſt.

RESP. DIST. MIN. Atqui Philoſophia eſt actus vitalis, Philoſophia actualis, *C*. Habitualis, *N*. Nam eſt habitus; habitus autem infundi poteſt.

INSTABIS. Philoſophia actualis infundi non poteſt (ex conceſſis;) ergo nec habitualis.

PROB. CONS. Habitus, qui pendet ab actuali, non poteſt infundi, quin infundatur actualis: atqui Philoſophia habitualis pendet ab actuali.

RESP. DIST. MIN. Atqui Philoſophia habitualis pendet ab actuali, ordinariè, *C*. Pendet abſolutè, *N*. Quia, quamvis ordinariè habitus naturalis comparetur per actus ſæpè repetitos, poteſt tamen abſolutè aliter comparari, nempè per infuſionem.

INST. *Secundò*. Habitus, qui abſolutè non poteſt eſſe infuſus, pendet abſolutè ab actu: atqui Philoſophia habitualis abſolutè non poteſt eſſe infuſus habitus, alioqui jam non eſſet habitus naturalis.

RESP. DIST. MIN. Atqui Philoſophia habitualis abſolutè non poteſt eſſe habitus infuſus, per ſe, & ex natura ſua, *C*. Infuſus per accidens, ex libera Dei voluntate, *N*.

INST. *Tertiò* Habitus eſſentialiter naturalis, non poteſt eſſe infuſus, etiam per accidens: atqui Philoſophia habitualis, eſt habitus eſſentialiter naturalis.

RESP. DIST. MAJ. Habitus eſſentialiter naturalis, quoad modum habendi, *C*. Quoad ſubſtantiam, & entitatem, *N*. Porrò Philoſophia eſt quidem habitus naturalis, quoad ſubſtantiam, at non abſolutè, quoad modum habendi.

INST. *Quartò* Ille habitus eſt eſſentialiter naturalis, quoad modum habendi, qui non poteſt abſolutè fieri ſupernaturalis quoad modum habendi: atqui Philoſophia habitualis non poteſt eſſe ſupernaturalis quoad modum.

PROB. MIN. Habitus eſſentialiter ſupernaturalis quoad entitatem, ut v. g. Fides, Spes, Charitas, non poteſt abſolutè eſſe naturalis quoad modum habendi, ergo nec habitus eſſentialiter naturalis quoad entitatem, v. g. Philoſophia, poteſt eſſe ſupernaturalis quoad modum

RESP. NEGO conſ. & parit. Ratio diſp. eſt,

quia Deus poteſt infuſione, quidquid poſſumus nos acquiſitione; ſed non poſſumus nos acquiſitione, quidquid Deus poteſt infuſione.

INST. *Quintò.* Atqui pariter Deus non poteſt infundere habitum Philoſophiæ diſcurſivum.

PROB. SUBS. Deus non poteſt eos infundere habitus, quos non præcontinet in ſe: atqui Deus non præcontinet habitus diſcurſivos, quia diſcurſus ſonat imperfectionis nonnihil.

RESP. DIST. MIN. Atqui Deus non præcontinet habitus diſcurſivos, non præcontinet formaliter, C. Eminenter, N. Quia cùm infinitam habeat potentiam, modo quodam eminentiori eos præcontinet.

INST. *Sextò.* Deus non poſſet infundere quidquam eminenter, niſi priùs præcontineret eminenter: ergo à pari non poteſt infundere habitus formaliter diſcurſivos, niſi præcontineat eos formaliter.

RESP. NEGO Conſ. & paritatem: Ratio diſp. eſt, quia ad infundendum aliquid tale formaliter, ſufficit præcontinere eminenter: Sed ad infundendum aliquid tale eminenter, non ſufficit præcontinere formaliter: quia, *qui poteſt plus, poteſt & minus*, at non vice versâ.

INST. *Septimò.* Qui dat alicui nummum formaliter, habeat neceſſe eſt nummum formaliter: ergo à pari, qui dat alicui habitum diſcurſivum, debet præcontinere formaliter talem habitum.

RESP. NEGO Conſ. & parit. Ratio diſp. eſt, quia actio qua quis dat alicui nummum, eſt actio ſterilis, ſeu mera translatio localis: at verò actio qua quis dat habitum diſcurſivum, eſt fœcunda, producens idipſum quod dat.

INST. *Octavò.* Actio, qua ſigillum dat ceræ molli figuram, eſt actio fœcunda: atqui tamen neceſſe eſt ſigillum præcontinere figuram hujuſmodi.

RESP. DIST. MAJ. Eſt actio fœcunda impropriè, C. Eſt fœcunda propriè, N. Cùm enim illa actio nullum verè producat terminum, ſed ſolam faciat impreſſionem, non poteſt dici propriè fœcunda.

OBIECTIO II.

SI Adamus habuiſſet Philoſophiam infuſione, vel habuiſſet actualem, vel habitualem: atqui neutrum dici poteſt.

Resp. Nego Min. Et dico infuſione habuiſſe Philoſophiam habitualem.

Instabis. Adamus non potuit habere per infuſionem terminum actionis vitalis: atqui Philoſophia habitualis eſt terminus actionis vitalis, ſcilicet intellectionis, ſiquidem habitus naturalis nihil aliud eſt quam terminus actionis vitalis.

Resp. Dist. Min. Atqui Philoſophia habitualis eſt terminus actionis vitalis, eſt, ordinariè loquendo, & in nobis, C. abſolutè loquendo & in Adamo, N.

Inst. *Secundò* Non magis terminus actionis vitalis abſolutè poteſt haberi per infuſionem, quàm ipſa actio vitalis.

Resp. Nego paritatem: Ratio diſp. eſt, quia actio vitalis neceſſariò venit ab intrinſeco: non item terminus actionis vitalis.

Inst *Tertiò*. Atqui pariter terminus actionis vitalis neceſſariò venit ab intrinſeco; alioqui ſimul eſſet & non eſſet terminus actionis vitalis.

Resp. Dist. Subs. Pariter terminus actionis vitalis venit ab intrinſeco, terminus formaliter ſumptus quatenùs terminus, C. Terminus materialiter ſumptus, qui ſolet eſſe terminus, N. quos enim terminos uſu & labore comparamus, hos poteſt Deus immediatè concedere.

Inst. *Quartò*. Atqui Philoſophia quæ ſolet eſſe terminus actionis vitalis, non poteſt abſolutè haberi per infuſionem.

Prob. Subs. Philoſophia habitualis eſt habitus diſcurſivus, atqui habitus diſcurſivus, non poteſt abſolutè infundi.

Prob. Min. Si habitus diſcurſivus poſſet infundi, vel uno, vel pluribus inſtantibus: atqui neutrum dici poteſt.

Resp. Nego Min. Et dico poſſe infundi, uno inſtanti, atque etiam pluribus, pro beneplacito infundentis.

INST. *Quintò. quoad primampartem.* Habitus qui eſſentialiter includit ſucceſſionem, non poteſt infundi unico inſtanti: atqui habitus diſcurſivus includit eſſentialiter ſucceſſionem; quia tranſitum denotat ab una propoſitione ad alteram.

RESP. DIST. MIN. Habitus diſcurſivus includit ſucceſſionem, ut exerceatur, vel etiam acquiratur: *C.* Ut abſolutè habeatur, *N.* nam poteſt ſimul & ſemel haberi.

INST. *Sextò* Ille habitus includit ſucceſſionem ut habeatur, qui neceſſariò includit ſpeciem priorem & poſteriorem: atqui habitus diſcurſivus includit ſpeciem priorem & poſteriorem, principii & concluſionis.

RESP. DIST. MAJ. Qui includit ſpeciem priorem & poſteriorem tempore, *C.* naturâ, *N.* Porro habitus diſcurſivus includit quidem ſpeciem principiorum priorem ſpecie concluſionum, non prioritate temporis, ſed naturæ ſeu cauſalitatis.

INST. *Septimò.* Cognitio antecedentis prior eſt cognitione conſequentis etiam prioritate temporis; ergo habitus diſcurſivus includit ſpeciem priorem & poſteriorem, etiam tempore.

RESP. DIST. ANT. Cognitio actualis, *eſto*: cognitio habitualis, *N.* At ſpecies eſt cognitio habitualis.

PRIMA

PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ.

De Rebus Logicis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia Logicæ artificialis.

PROPOSITIO.

Exiſtit Logica artificialis.

Probatur. Logica artificialis eſt ars & ſcientia directrix operationum mentis ad veritatem per regulas & præcepta : atqui exiſtit ars & ſcientia directrix operationum mentis per regulas & præcepta ; qualia ſunt iſta , *definitio debet eſſe clarior re definitâ ; diviſio debet fieri in membra oppoſita.* Ergo exiſtit Logica artificialis.

OBJECTIO.

Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate : atqui inutilis eſt Logica artificialis.

Prob. Min. Si cujus utilitatis foret Logica artificialis , maximè ad definiendum , dividendum , & argumentandum : atqui nullius eſt ad id utilitatis.

Prob. Min. Poſſumus rectè definire , dividere, & argumentari ſine Logica artificiali, per ſolam naturalem ; ergo inutilis eſt ad id Logica artificialis.

Resp. Dist. Ant. Poſſumus definire ſine Lo-

Prob. Min. Non magis intellectus indiget juvari per artem ad benè & facilè intelligendum, quàm viſus ad benè & facilè videndum.

Resp. Nego paritatem : Ratio diſp. eſt, quia viſus non eſt facultas reflexiva quæ ſuos valeat errores corrigere arte dirigente. Contrà verò intellectus.

Inst. *Quintò*. Atqui pariter intellectus ſuos non valet errores corrigere arte dirigente.

Prob. Subs. Intellectus non poteſt corrigere, quod ſibi præſens non eſt : atqui errores præteriti, v. g. definitiones defectuoſæ, non ſunt amplius intellectui præſentes, ſiquidem ſupponuntur præteriti.

Resp. Dist. Min. Atqui errores præteriti non ſunt amplius præſentes intellectui, realiter & phyſicè, C. objectivè & moraliter, N. Siquidem iterum atque iterum eſſe poſſunt objectum intellectûs reflectentis.

Inst. *Sextò*. Quod ſemel præteritum eſt nunquam redire poteſt : atqui definitiones erroneæ ſupponuntur præteritæ; ergo nunquam redire poſſunt, ideoque non ſunt emendabiles.

Resp. Dist. Maj. Quod ſemel præteritum eſt, nunquam redire poteſt idem, quoad individuum, *Eſto*; idem quoad ſpeciem, & eſſentiam communem, *N*.

Inst. *Septimò*. Atqui definitiones quæ redeunt arte dirigente, non poſſunt dici eædem quoad ſpeciem cum prioribus erroneis.

Resp. Dist. Non poſſunt dici eædem quoad ſpeciem infimam, C. Quoad ſpeciem ſubalternam, N. Nam quæ redeunt, ſunt definitiones accuratiores prioribus, ſub communi tamen genere definitionis in communi.

QUÆSTIO SECUNDA.

De naturâ Logicæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I. PROPOSITIO.

Logica eſt Ars.

Probatur. Ars eſt habitus vera cum ratione effectivus: atqui Logica eſt habitus vera cum ratione effectivus; nam ea diſciplina eſt habitus vera cum ratione effectivus, quæ per veras conſtantéſque regulas dirigit effectiones propriè dictas: atqui Logica per veras conſtantéſq; regulas dirigit effectiones propriè dictas, nempe mentis operationes ad finem ab honeſtate morali diverſum. Ergo Logica eſt habitus effectivus, proindeque eſt Ars.

OBJECTIO.

Ars denominat hominem artificem: atqui Logica non denominat Logicum artificem.

Resp. Distinguo Maj. Ars Mecanica, C. liberalis, N. Porro Logica eſt Ars, non qualiſcumque, ſed liberalis.

Instabis. Scientia, quæcumque fuerit, denominat ſcientem; ergo à pari, ars quælibet denominat artificem.

Resp. Nego. Conſ. & paritatem. Ratio diſp. eſt, quia uſus invaluit ut ille tantùm diceretur artifex, qui exerceret artem vilem & mecanicam.

Inst. *Secundò.* Non datur abſtractum ſine concreto; ergo non datur ars ſine artifice.

Resp. Dist. Ant. Non datur abſtractum ſine concreto, in rei veritate, C. Ex uſu recepto, N. Eſto igitur Logicus reipſâ ſit artifex; at certè non ſic appellari poteſt, quia uſus aliter invaluit, quo factum eſt ut Artificis nomen denotet hominem mecanicis & ſervilibus vacantem artibus.

Inst. *Tertiò.* Ars vera verſatur circa effectiones: atqui Logica non verſatur circa effectiones veras.

Prob. Min. Effectio vera, eſt operatio relinquens opus ſenſibile poſt ſe, habens terminum extra operantem, v. g. ædificatio relinquit domum: atqui Logica non attingit operationes quæ relinquant opus ſenſibile.

Resp. Dist. Maj. Effectio ſtrictè ſumpta, ſeu mecanica, C. Effectio propriè dicta, etiam liberalis, N. Sic rethorica non relinquit opus ſenſibile, & tamen dicitur *ars benè dicendi.*

Inst. *Quartò.* Ars quælibet eſſentialiter debet differre à naturâ; atqui non differret ab ea eſſentialiter, niſi ars haberet terminum extra operantem.

Prob. Min. Natura dicitur principium motûs & quietis, ejus in quo eſt, ſeu motûs immanentis: atqui ars foret principium motûs & quietis, ejus in quo eſt ſeu immanentis; ergo ars non differret eſſentialiter à naturâ.

Resp. Dist. Maj. Natura eſt principium motûs ejus in quo eſt, primarium & radicale, C. Secundarium & inſtrumentale; N. Porro ars eſt ſolùm principium inſtrumentale & ſecundarium.

Inst. *Quintò.* Atqui pariter natura eſt principium motûs & quietis ſecundarium & inſtrumentale tantùm.

Prob. Subs. Intellectus & voluntas ſunt quædam natura: atqui intellectus & voluntas ſunt principium tantummodo ſecundarium & inſtrumentale; ergo natura eſt principium agendi, & quidem ſecundarium.

Resp. Dist. Min. Atqui intellectus & voluntas ſunt principium ſecundarium, congenitum & phyſicum, C. Principium acquiſitum & morale, N. Porro ars eſt principium motûs, non congenitum, ſed acquiſitum, non phyſicum, ſed morale.

Inst. *Sextò.* Ars nulla debet habere pro fine honeſtatem: atqui Logica habet pro fine honeſtatem.

Resp. Dist. Maj. Ars nulla habere debet pro fine honeſtatem Moralem, C. civilem, N.

Inst. *Septimò.* Atqui Logica habet pro fine honeſtatem moralem.

Prob. Subsumptum. Logica habet eundem finem quem habet Philoſophia moralis: atqui Philoſophia moralis habet pro fine honeſtatem moralem.

Prob. Maj. Diſciplina quæ habet pro fine Philoſophiam moralem comparandam, habet eundem finem, quem habet Philoſophia moralis: atqui Logica habet pro fine Philoſophiam moralem comparandam.

Resp. Dist. Maj. Diſciplina quæ habet pro fine Philoſophiam moralem, ſpectatam ut moralem, C. Spectatam ut ſcientiam præcisè, N. Porro Logica ſpectat moralem acquirendam, non ut eſt moralis, ſed prout eſt ſcientia.

Inst. Octavò. Logica ſpectat moralem, prout ei comparandæ famulatur: atqui Logica famulatur comparandæ Philoſophiæ morali, ut eſt moralis, & non ſolùm ut eſt ſcientia.

Resp. Dist. Maj. Prout morali famulatur comparandæ ſub ratione ſcientiæ genericâ, C. Sub ratione ſpecificâ moralitatis, N. Nam ſpectat ſolummodò moralem prout moralis indiget definitionibus, non habitâ ratione moralitatis vel honeſtatis; niſi fortè per accidens.

II. PROPOSITIO.

Logica eſt Scientia.

Probatur. Habitus demonſtrativus rei neceſſariæ per cauſas eſt ſcientia propriè dicta. Atqui Logica eſt habitus demonſtrativus rei neceſſariæ per cauſas; nam habitus mentis diſcurſivus eſt vel demonſtrativus, vel Topicus, vel Sophiſticus. Atqui Logica eſt habitus mentis diſcurſivus qui neque eſt Topicus, cùm non hæreat in meris opinionibus; neque Sophiſticus, cùm non inducat in errorem. Ergo eſt habitus demonſtrativus, proindéque eſt ſcientia propriè dicta.

OBIECTIO PRIMA.

Diſciplina, cujus objectum non eſt neceſſarium, non eſt ſcientia: atqui objectum Logicæ non eſt neceſſarium, ſed valdè contingens.

Resp. Dist. Min. Atqui objectum Logicæ non eſt neceſſarium neceſſitate exiſtentiæ, C. Neceſ-

ſitate eſſentiæ, N. Neceſſitas autem eſſentiæ ſufficit ad objectum ſcientiarum.

Inst. Atqui objectum Logicæ non eſt neceſſarium neceſſitate eſſentiæ; & quamvis eſſet, hoc non ſufficeret ad ſcientiam.

Prob. Subs. *Quoad primam partem*. Quod pendet à nobis liberè operantibus per præcepta, non eſt neceſſarium neceſſitate eſſentiæ: atqui objectum Logicæ pendet à nobis liberè operantibus per præcepta.

Resp. Dist. Maj. Quod pendet à nobis liberè operantibus per præcepta mutabilia, C. Immutabilia, N. At præcepta Logicæ ſunt immutabilia.

Inst. *Secundò*. Atqui præcepta vel immutabilia ſupponunt rem non eſſe neceſſariam neceſſitate eſſentiæ.

Prob. Subs. Nulla dantur præcepta vel immutabilia de eo, quod eſt neceſſariò & immutabiliter tale; ergo præcepta ſupponunt rem non eſſe neceſſariò talem neceſſitate eſſentiæ.

Resp. Dist. Ant. Nulla dantur præcepta de eo quod eſt neceſſariò tale, tum quoad ſe, tum quoad nos, C. Quoad ſe tantùm, N. Porrò operationes mentis non benè ſemper ſe habent quoad nos, quia poſſumus perperàm definire, v. g.

Inst. *Tertiò*. Præcepta traduntur ut facultas dirigatur inter operandum: atqui fruſtrà dirigeretur facultas in eo faciendo, quod eſt neceſſariò tale etiam quoad ſe.

Resp. Dist. Min. Fruſtrà dirigeretur facultas in eo faciendo, quod eſt neceſſariò tale quoad ſe, ſi illud non poſſit perperàm fieri à facultate, C. Secùs, N.

Inst. *Quartò*. Atqui præcepta quæ traduntur à Logica ſupponunt operationes mentis poſſe aliter & aliter ſe habere quoad ſe.

Prob. Subs. Præceptum Logicæ de definitione fert inter definiendum afferendum eſſe genus proximum & differentiam maximè propriam: atqui hoc ſupponit aliud quidpiam afferri poſſe.

Resp. Dist. Min. Hoc ſupponit aliud quidpiam afferri poſſe, & tunc non erit vera & accurata definitio, C. Secùs, N.

Inst. *Quintò*. Atqui erit tunc vera definitio.

Prob. Subs. Erit deſcriptio: atqui deſcriptio eſt vera definitio.

Prob. Min. Species directè & immediatè divi-

ſiva generis participat veram illius generis eſſentiam: atqui deſcriptio eſt ſpecies diviſiva definitionis in genere, ergo deſcriptio eſt vera definitio.

Resp. dist. min. Atqui deſcriptio eſt ſpecies diviſiva definitionis in genere, abſtrahentis ab accurata, & minùs accurata, *C*. Definitionis accuratæ, *N*. Quare deſcriptio eſt definitio, ſed minùs accurata.

Inst. *Sextò*. Ex illa reſponſione ſequitur eſſentiam definitionis neceſſariò non conſtare ex genere proximo & differentiâ maximè propriâ, niſi ex hypotheſi quod velimus accuratè definire: atqui neceſſitas hypothetica non ſufficit ad objectum ſcientiæ.

Resp. dist. min. Atqui neceſſitas hypothetica non ſufficit ad objectum ſcientiæ ſpeculativæ, *Esto*, Practicæ, *N*.

Inst. *Septimò*. Si neceſſitas hypothetica ſufficiat ad objectum ſcientiæ practicæ, grammatica eſſe poterit ſcientia practica, quia habet objectum neceſſarium ex hypotheſi: atqui hoc nemo dixerit.

Resp. dist. maj. Si neceſſitas hypothetica purè arbitraria ſufficiat, *C*. Si neceſſitas hypothetica naturalis ſufficiat, *N*. At quæ eſt in grammatica hypotheſis, eſt purè arbitraria, v. g. quod verbum activum regat accuſativum.

Inst. *Octavò*. Atqui neceſſitas hypothetica objecti Logicæ eſt arbitraria.

Prob. Subs. Ea neceſſitas eſt arbitraria quæ dicit eſſentialem ordinem ad liberum noſtri arbitrium: atqui neceſſitas objecti Logicæ dicit eſſentialem ordinem ad liberum noſtri arbitrium.

Resp. dist. min. Atqui neceſſitas objecti Logicæ dicit ordinem ad liberum noſtri arbitrium, ut redigatur ad praxim, *C*. Ut debeat eſſe talis, *N*. Nam præcepta Logicæ ſunt æternæ veritatis.

Probatur ſecunda pars antecedentis ſuperioris.

OBJECTIO.

Ea neceſſitas non ſufficit ad objectum ſcientiæ, quæ convenit artibus: atqui neceſſitas eſſentiæ convenit artibus bene multis, v. g. arti ædificatoriæ, ſutoriæ, & aliis.

Resp. dist. Maj. Quæ convenit artibus, quæ

non ſint ſcientiæ, *C.* Artibus, quæ ſint ſcientiæ, *N.* Porro artes bene multæ ſunt ſcientiæ, ut ars ædificatoria, & quæcumque veras faciunt demonſtrationes.

INSTABIS. Scientia eſt nomen dignitatis, denominans hominem ſcientem: atqui artes præſertim mecanicæ non ſunt hujuſmodi; quis enim dixerit, ſutorem eſſe ſcientem?

RESP. DIST. MAJ. Scientia ſimpliciter & ſine addito, *C.* Scientia ſecundùm quid & cum addito, *N.* Sic ſutor dici poteſt, non, ſciens ſimpliciter, ſed ſciens ſutor.

INST. *Secundo.* Membra ejuſdem diviſionis debent eſſe oppoſita: atqui ars & ſcientia ſunt membra ejuſdem diviſionis virtutis intellectualis in quinque ſpecies.

RESP. *Primo.* DIST. MAJ. Debent eſſe oppoſita formaliter, *C.* Realiter, *N.*

RESP. *Secundo.* DIST. MIN. Atqui ars & ſcientia ſpeculativa ſunt membra oppoſita, *C.* Ars & ſcientia practica, *N.*

INST. *Tertio.* Ars omnis eſt habitus effectivus; atqui nulla ſcientia poteſt eſſe habitus effectivus.

PROB. MIN. Habitus effectivus eſt de contingentibus: atqui nulla ſcientia eſt de contingentibus.

RESP. DIST. MAJ. Habitus effectivus eſt de contingentibus quoad exiſtentiam, *C.* Quoad eſſentiam, *N.* Scientia autem eſt de neceſſariis quoad eſſentiam duntaxat.

INST. *Quarto.* Scientia eſt de rebus quæ requiruntur ad veram demonſtrationem: atqui ad veram demonſtrationem requiruntur propoſitiones neceſſariæ non ſolùm quoad eſſentiam, ſed etiam quoad exiſtentiam.

PROB. MIN. Si ſufficeret neceſſitas eſſentiæ ad veram demonſtrationem; ex præmiſſis neceſſariis quoad eſſentiam, ſemper ſequeretur concluſio neceſſaria: atqui non ita ſe res habet in ſequenti ſyllogiſmo.

Omnis Rhetor eſt Grammaticus:
Atqui omnis Rhetor eſt homo;
Ergo aliquis homo eſt Grammaticus.

RESP. NEGO MIN. Vel DIST. MIN. Atqui ex præmiſſis neceſſariis ſequitur concluſio contingens

abſolutè, *C.* Hypothetìcè, *N.* Nam ſi omnis Rhetor eſt Grammaticus & omnis Rhetor ſit homo, prorſus neceſſe eſt aliquem hominem eſſe Grammaticum, putà qui dicitur eſſe Rhetor.

INST. *Quinto.* Ea propoſitio non eſt neceſſaria, cujus contradictoria vera eſt : atqui contradictoria concluſionis prædictæ poteſt eſſe vera, *Nullus homo eſt Grammaticus.*

RESP. DIST. MIN. Atqui contradictoria poteſt eſſe vera abſolutè & extra ſyllogiſmum, *C.* Hypotheticè & in ſyllogiſmo ſuperiori, *N.*

INST. *Sexto.* Propoſitio abſolutè neceſſaria non poteſt fieri hypotheticè contingens; Ergo nec propoſitio abſolutè contingens, poteſt fieri hypotheticè neceſſaria.

RESP. NEGO Conſ. & parit. Ratio diſp. eſt quia nihil fortè addi poteſt propoſitioni abſolutè neceſſariæ, per quod reddatur contingens; quippè quæ habeat neceſſitatem omnimodam : at verò propoſitioni abſolutè contingenti poteſt addi quædam conditio, per quam reddatur neceſſaria, hoc pacto, *homo eſt Grammaticus, ſi fuerit Rhetor.*

OBIECTIO II.

MOdus ſciendi non eſt ſcientia : atqui Logica eſt modus ſciendi; ergo Logica non eſt ſcientia.

RESP. DIST. MAJ. Modus ſciendi non eſt ſcientia illa, cujus eſt modus ſciendi, *C.* Non eſt ſcientia, quæ ſit ipſe modus ſciendi, *N.*

INSTABIS. Si modus ſciendi eſſet ſcientia, non eſſet abſurdum quærere ſimul ſcientiam & modum ſciendi : atqui hoc abſurdum eſt, ex Philoſopho.

RESP. DIST. MAJ. Non eſſet abſurdum quærere ſimul ſcientiam & modum ſciendi, ſcientiam indiſtinctam à modo ſciendi, *C.* Scientiam à modo ſciendi diſtinctam, *N.*

INST. *Secundo.* Atqui non datur ſcientia à modo ſciendi indiſtincta.

PROB. SUBS. Inſtrumentum non eſt ejuſdem rationis cum eo cujus eſt inſtrumentum; ergo modus ſciendi nunquam poteſt eſſe ſcientia.

RESP. DIST. ANT. Inſtrumentum in artefac-

tis, *Eſto*: nam malleus eſt inſtrumentum ad alterum malleum: inſtrumentum in ſcientiis & cognitionibus, N. Nam una cognitio poteſt eſſe inſtrumentum ad aliam.

INST. *Tertio*. Scientia eſt habitus demonſtrativus: atqui inſtrumentum ad alias ſcientias non poteſt eſſe habitus demonſtrativus.

PROB. MIN. Habitus demonſtrativus habetur per demonſtrationem: atqui inſtrumentum ad ſcientias non poteſt haberi per demonſtrationem.

PROB. MIN. Quod antecedit omnem demonſtrationem non poteſt haberi per demonſtrationem: atqui habitus demonſtrativus antecedit omnem demonſtrationem.

PROB. MIN. Id cujus eſt dirigere demonſtrationes omnes, antecedit omnem demonſtrationem; atqui inſtrumenti ad alias ſcientias eſt, dirigere omnes demonſtrationes.

RESP. DIST. HANC MIN. Atqui inſtrumenti ad alias ſcientias eſt dirigere demonſtrationes, quibus aliæ comparantur ſcientiæ, *C*. Demonſtrationes quibus ipſum comparatur ſciendi inſtrumentum, N. Nam prima demonſtratio non dirigitur ab alia priori.

INST. *Quarto*. Habitus qui habet pro objecto demonſtrationem in communi dirigendam, dirigit omnes demonſtrationes, nullâ exceptâ: atqui inſtrumentum ſciendi habet pro objecto demonſtrationem in communi dirigendam.

RESP. DIST. MAJ. Dirigit omnes demonſtrationes quatenus confusè comprehenſas in demonſtratione in communi, *C*. Omnes in particulari, explicitè, & ſeorſim à demonſtratione in communi. N.

INST. *Quinto*. Inſtrumentum ſciendi debet expendere quamlibet in particulari demonſtrationem; ergo dirigit omnes in particulari & ſeorſim.

RESP. DIST. ANT. Debet expendere quamlibet in particulari demonſtrationem ut factam, *C*. Ut faciendam:

SUBDISTINGUO. Per quam comparantur aliæ ſcientiæ, *C*. Per quam ipſum comparatur inſtrumentum ſciendi, N.

INST. *Sexto*. Atqui vera non eſt demonſtratio, per quam inſtrumentum ſciendi comparatur.

PROB. SUBS. Vera demonſtratio facit ſcientem

& convincit de veritate : atqui actus quo comparatur inſtrumentum ſciendi, non facit ſcientem, nec convincit.

PROB. MIN. Verè non eſt ſciens qui neſcit utrum cognitio ſua habeat caracteres veræ demonſtrationis: atqui Logicus dum comparat Logicam, neſcit an cognitio ſua habeat caracteres veræ demonſtrationis.

PROB. MIN. Qui nondum callet leges veræ demonſtrationis, neſcit an cognitio ſua habeat caracteres veræ demonſtrationis: atqui Logicus inter comparandam Logicam, eſt hujuſmodi.

RESP. DIST. MAJ. Qui nondum callet leges veræ demonſtrationis ſaltem virtualiter, & æquivalenter per evidentiam, *C.* Formaliter, actualiter per reflexionem actualem, *N.* Nam evidentia æquivalet reflexioni.

INST. *Septimo.* Logica non comparatur niſi per reflexionem actualem; ergo qui non callet leges veræ demonſtrationis formaliter & per reflexionem actualem, non habet veram demonſtrationem Logicam.

RESP. DIST. ANT. Logica non comparatur niſi per reflexionem actualem ſupra cæteras ſcientias earumque demonſtrationes directas & primarias, *C.* Niſi per reflexionem ſupra leges veræ demonſtrationis, *N.* Scilicet intellectus primò reflectit ſupra demonſtrationes aliarum ſcientiarum, & reflectendo videt ſic & ſic ratiocinandum eſſe, & deinde generales condit leges veræ demonſtrationis.

OBJECTIO III.

SCientia eſt virtus mentis : atqui Logica non eſt virtus mentis; ergo Logica non eſt ſcientia.

PROB. MIN. Diſciplina, quæ ferè tota eſt in fallaciis & ſophiſmatibus, non eſt virtus mentis: atqui Logica tota ferè eſt in fallaciis.

RESP. DIST. MIN. Atqui Logica ferè tota eſt in fallaciis detegendis, & ſolvendis, *C.* Conficiendis, vel docendis, *N.*

INSTABIS. Diſciplina quæ tradit præcepta tanquam vera, quæ tamen falſa ſunt, certè tota eſt in fallaciis docendis & conficiendis: atqui Logica eſt hujuſmodi.

PROB. MIN. Judicandum eſt de cæteris Logicæ, præceptis

præceptis, quomodo de regulis quas tradit Logica de ſyllogiſmis, converſionibus, & oppoſitionibus propoſitionum: atqui tales regulæ ſunt falſæ.

Prima difficultas contra regulas ſyllogiſmorum.

Illæ de ſyllogiſmis regulæ ſunt falſæ, quibus ritè obſervatis, ſequitur concluſio falſa: atqui ritè obſervatis regulis quas tradit Logica de ſyllogiſmis, ſequitur concluſio falſa, ut in ſequenti ſyllogiſmo.

Omne A eſt B:
Atqui omne C eſt A;
Ergo omne C eſt B.

Resp. Dist. Min. Sequitur concluſio falſa, per accidens & vi materiæ, C. Falſa per ſe & vi formæ, N. Scilicet duæ præmiſſæ allati ſyllogiſmi ſunt evidenter falſæ, hinc ſequitur ex iis concluſio evidenter falſa.

Instabis. Facio ſyllogiſmum in prima figura:

Omne ſecundum ſequitur immediatè primum:
Atqui omne tertium ſequitur immediatè ſecundum;
Ergo omne tertium ſequitur immediatè primum.

Atqui in hoc ſyllogiſmo materia ſyllogiſmi, nempe propoſitiones, benè ſe habet; obſervantur quoque quas tradit Logica regulas; & tamen concluſio eſt apertè falſa.

Resp. Nego Obſervari omnes quas tradit Logica regulas: nam in hoc ſyllogiſmo ſunt quatuor termini; medius enim terminus in majori propoſitione eſt *ſecundum*, in minori verò propoſitione eſt *ſequens ſecundum*. Atqui ſecundum & ſequens ſecundum, non ſunt unus idemque terminus.

Inst. *Secundò*. In prædicto ſyllogiſmo non ſunt quatuor termini, ſi medius terminus ſit unus & idem in duabus præmiſſis: atqui ita eſt.

Prob. Min. In prima propoſitione medius terminus eſt *ſecundum*: atqui pariter in minori eſt *ſecundum*.

Prob. Min. In prima figura medius terminus in minori eſt ille terminus qui immediatè ſequitur verbum jungens prædicatum cum ſubjecto: atqui terminus ille in minori allati ſyllogiſmi eſt *ſecundum*.

Resp. Dist. Maj. Eſt ille terminus qui immediatè ſequitur verbum jungens prædicatum cum ſub-

jecto, & eſt in recto caſu, *C.* Et eſt in obliquo, *N.* At in minori propoſitione ſuperioris ſyllogiſmi vox, *ſecundum*, eſt in obliquo, ſeu accuſativo, verbum autem, *ſequitur*, gerit vices copulæ ſimul & prædicati, hoc pacto, *eſt ſequens ſecundum.*

Inst. *Tertiò.* Atqui in minori ſuperioris ſyllogiſmi medius terminus non eſt, *ſequens ſecundum;* ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Medius terminus minoris propoſitionis alicujus ſyllogiſmi eſt ille terminus de quo habetur jam ſermo in majori; atqui in majori ſuperioris ſyllogiſmi non habetur ſermo hujus termini, *ſequens ſecundum.*

Resp. Dist. Maj. Medius terminus minoris ſyllogiſmi formati, *C.* informis, *N.* Porrò ſuperior ſyllogiſmus non eſt in formâ: ſiquidem in eo ſunt quatuor termini, ut dictum eſt.

Inst. *Quarto.* Atqui ut terminus alicujus propoſitionis cenſeatur prædicatum, nihil refert, an ſit in recto caſu vel obliquo; ergo nulla reſponſio ſuperior.

Prob. Anteced. En propoſitio *Petrum pœnitet peccati*: atqui hujus propoſitionis ſubjectum, *Petrum*, eſt in obliquo. Idem de prædicato dicendum.

Resp. dist. Min. Subjectum eſt in obliquo, ſi ſpectetur vox materialiter ſumpta, C. Si ſpectetur ſenſus vocis, N. Nam hæc propoſitio, *Petrum pœnitet peccati*, revocatur ad iſtam, *Petrus eſt pœnitens peccati.*

Altera difficultas contra regulas ſyllogiſmorum.

Regula Logicæ de ſyllogiſmis eſt, *ex puris negantibus non rectè concludi*; atqui hæc regula falſa eſt.

Resp. Nego min. Ratio hujus regulæ eſt quia ſi ambæ præmiſſæ ſunt negantes, duo extrema ſeparantur in illis à medio termino; ſed ex eo quod ſeparentur à medio termino in præmiſſis, non ſequitur quod ſeparentur à ſe invicem in concluſione: ſic v. g. ex eo quod lapis & marmor ſeparentur ab homine, non ſequitur ſeparari à ſe invicem.

Inst. *Primò.* Ideo dicitur ex puris negantibus non rectè concludi, quia ex eo quod duo extrema

in præmiſſis negantibus fuerint à medio termino ſeparata, non ſequitur quod ſeparentur à ſe invicem in concluſione: atqui ècontrà rectè infertur, ideò ſeparari in concluſione.

Prob. min. Ex eo quod duo extrema in præmiſſis affirmantibus ſint cum medio termino unita, ſequitur uniri inter ſe in concluſione; ergo à pari ex eo quod fuerint ſeparata à medio termino ſequitur ſeparari à ſe invicem in concluſione.

Resp. Nego. Conſ. & paritatem: Ratio diſparitatis eſt, quia *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: at quæ ſunt diverſa uni tertio, non ſunt diverſa inter ſe; ſicut quæ ſunt æqualia uni tertio, ſunt æqualia inter ſe: at quæ ſunt inæqualia uni tertio, non ſtatim inter ſe inæqualia ſunt.

Inst. *Secundò.* Facio ſyllogiſmum in prima figura.

Nullus lapis eſt equus:
Atqui nullus homo eſt lapis;
Ergo nullus homo eſt equus.

In ſecunda verò figura.

Nullus lapis eſt equus:
Atqui nullus homo eſt equus;
Ergo nullus homo eſt lapis.

In tertia tandem figura.

Nullus lapis eſt equus:
Atqui nullus lapis eſt homo;
Ergo nullus homo eſt equus.

Sed in his ſyllogiſmis aliquid concluditur verum ex puris negantibus.

Resp. Dist. Min. In his ſyllogiſmis aliquid verum concluditur ex puris negantibus, verum per accidens, vi materiæ, & conſequentis, *C.* Per ſe, vi formæ, & conſequentiæ, *N.*

Inst. *Tertiò.* Facio ſyllogiſmum in prima figura;

Qui non colit Deum, non erit ſalvus:
Atqui impius non colit Deum;
Ergo impius non erit ſalvus.

Sed in hoc ſyllogiſmo aliquid verum concluditur per ſe & vi formæ ex puris negantibus.

Resp. Nego Min. Namque minor iſtius ſyllogiſmi, quæ apparet primâ fronte negans, reipsâ eſt affirmans; & ſic verti debet (*Impius eſt is qui non colit Deum,*) id enim poſtulat diſpoſitio ſyllogiſmi, ut

ſit idem medius terminus in minori, qui fuit in majori.

Inst. *Quartò.* Tam iſta Minor, *Impius non colit Deum*, eſt negativa, quàm iſta: *Petrus non currit*: atqui hæc poſterior eſt negans.

Resp. Dist. Min. Atqui iſta propoſitio *Petrus non currit*, eſt negans, abſolutè, & extra ſyllogiſmum, *C.* Hypotheticè & in ſyllogiſmo, *N.* v. g. in ſequenti:

Qui non currit non accipiet præmium:
Atqui Petrus non currit;
Ergo Petrus non accipiet præmium.

In hoc ſyllogiſmo, Minor hæc, *Petrus non currit*, eſt reipsâ affirmans, & hunc habet ſenſum, *Petrus eſt is qui non currit.*

Inst. *Quintò.* Illa propoſitio eſt negans, in qua reperitur particula *non* ante copulam verbalem: atqui in iſtis propoſitionibus, *Impius non colit*, *Petrus non currit*, reperitur particula *non* ante copulam verbalem, contentam in his vocabulis, *colit, currit.*

Resp. dist. min. Reperitur particula *non* ante copulam verbalem propoſitionis incidentis, *C.* Propoſitionis principalis, *N.* Scilicet in hac Minore: *Impius non colit Deum*, duæ continentur propoſitiones, una principalis, altera incidens, & hæc eſt prædicatum prioris. Id patet ſi exprimatur hoc pacto: *Impius eſt is, qui non colit Deum.*

Inst. *Sextò.* Aut prædictæ propoſitiones ſunt negantes, aut nulla eſt propoſitio negans: falſum conſequens.

Resp. dist. maj. Aut nulla eſt propoſitio negans in paribus ſyllogiſmis, *C.* Abſolutè, *N.* Sic iſta propoſitio, quæ abſolutè negans eſt, *lapis non eſt animal*, evadit affirmans in ſequenti ſyllogiſmo.

Quod non eſt animal, non eſt homo:
Atqui lapis non eſt animal;
Ergo lapis non eſt homo.

Hæc, inquam, Minor, *lapis non eſt animal*, evadit affirmans, & hunc habet ſenſum in ſyllogiſmo.

Lapis eſt id quod non eſt animal.

Ratio hujus veritatis evidens eſt: nam debet eſſe idem terminus medius in Minore, qui fuit in Majore: Sed medius terminus in majore, qui erat ſubjectum, ſic ſe habet, *quod non eſt animal*; ergo idem medius terminus debet eſſet prædicatum in minore,

ſiquidem ſyllogiſmus eſt in prima figura, *Subpræ prima*; ergo prædicatum minoris eſſe debet, *quod non eſt animal*: quo poſito, tota minor ſic ſe habet *lapis eſt quod non eſt animal.*

INST. *Septimo.* Propoſitio abſolutè affirmans; nunquam evadit in ſyllogiſmo negans; ergo à pari propoſitio abſolutè negans, nunquam evadit in ſyllogiſmo affirmans.

RESP. NEGO Conſequentiam & paritatem: Ratio diſparitatis eſt, quia propoſitio abſolutè affirmans, non continet ullam negationem, neque ante, neque poſt copulam: proindeque eadem manens nequit fieri negans: at verò propoſitio abſolutè negans continet negationem, quæ ſi poſtponatur copulæ verbali, jam propoſitio erit affirmans ſeu infinitans; ſed ordo ſyllogiſmi exigere poteſt, ut poſtponatur hæc negatio, ut mox demonſtratum eſt.

Prima objectio contra regulas converſionum.

Regula Logicæ eſt, propoſitionem particularem affirmantem poſſe converti ſimpliciter, *feci ſimpliciter convertitur*: atqui hæc regula falſa eſt.

PROBATUR MIN. Facio propoſitionem particularem affirmantem, *aliquis ſenex fuit juvenis*, vel, *aliquis aper eſt in ſylva*: atqui hæ propoſitiones non poſſunt converti ſimpliciter.

RESP. NEGO MIN. Nam convertuntur ſic, *aliquis olim juvenis, nunc eſt ſenex*; *aliquid exiſtens in ſylva, eſt aper.*

INST. *Primo.* Ut iſta propoſitio converteretur ſimpliciter, *aliquis ſenex fuit juvenis*, dicendum foret, *aliquis juvenis fuit ſenex*; falſum conſequens.

RESP. NEGO MAJ. Sed dicendum eſt, aliquis olim juvenis, nunc eſt ſenex.

INST. *Secundò.* Ut fiat converſio ſimplex, eſt præcisè transferendum prædicatum in locum ſubjecti cæteris manentibus, ut priùs: atqui in convertendâ hac propoſitione, ſi præcisè transferatur prædicatum in locum ſubjecti, dicendum erit, *aliquis juvenis fuit ſenex.*

RESP. NEGO MIN. Nam prædicatum prædictæ propoſitionis non eſt præcisè, *juvenis*: Sed, ſi ita loqui fas eſt, *præteritus juvenis*, & ſignificatur per *fuit ju-*

veris. Sicque verti debet: *aliquis præteritus juvenis eſt ſenex.*

ſ I n ſ t. *Tertiò.* Atqui prædicatum hujus propoſitionis eſt præcisè *juvenis*; ergo nulla ſolutio.

P r o b. S u b s. In omni propoſitione prædicatum eſt ille terminus, qui ſequitur copulam verbalem: atqui terminus *juvenis* præcisè ſequitur copulam verbalem hujus propoſitionis, nempe ſequitur verbum *fuit.*

R e s p. n e g o m i n. Namque verbum, *fuit*, non ſolùm gerit vices copulæ, ſed etiam partis alicujus prædicati: ſignificat enim, *eſt præteritus*; & vox illa, *præteritus*, eſt pars prædicati hujus propoſitionis. *Aliquis ſenex fuit juvenis.*

I n s t. *Quarto.* In converſione ſimplici propoſitionis nihil quidquam mutari debet, præter tranſpoſitionem terminorum: atqui ſi dicatur, *aliquis olim juvenis, eſt nunc ſenex*, aliquid inſuper mutabitur.

R e s p. d i s t. m a j. Nihil quidquam mutari debet quoad ſenſum & ſignificationem. *C.* Quoad verba, *N.* Nam poteſt explicari expreſsè quod in voce aliqua habebatur confusè tantùm: ut v. g. in voce, *fuit*, & hoc contingit, quoties verbum non eſt in præſenti.

I n s t. *Quinto.* Iſta propoſitio eſt de præſenti, *aliquis aper eſt in ſylva*, neque tamen poteſt converti ſimpliciter.

P r o b. m i n. Si converteretur ſimpliciter, dicendum foret, *aliqua ſylva eſt in apro*; falſum conſequens.

R e s p. n e g o m a j. Nam ſylva non eſt prædicatum propoſitionis, ſed, *exiſtens in ſylva*; igitur dicendum eſt, *aliquid exiſtens in ſylva eſt aper.*

I n s t a b i s. *Sexto.* In hac propoſitione, *aliquis aper eſt in ſylva*, verbum, *eſt*, non ſignificat, *exiſtit*, ſeu, *eſt exiſtens*; ergo non debet dici, *aliquid exiſtens in ſylva eſt aper.*

P r o b. A n t e c e d. In hac propoſitione, *Homo eſt animal*, verbum, *eſt*, non ſignificat, *exiſtit*, ſeu, *eſt exiſtens*; ergo nec in iſta, *aliquis aper eſt in ſylva.*

R e s p. n e g o Conſequentiam & paritatem: Ratio diſparitatis eſt, quia hæc propoſitio, *Homo eſt animal*, eſt in materia neceſſaria, altera verò eſt in materia contingente.

Secunda difficultas contra regulas converſionum.

Regula Logicæ eſt, propoſitionem univerſalem affirmantem non poſſe converti ſimpliciter, ſed per accidens. *Eva per accid.* atqui hæc regula falſa eſt.

Prob. Min. Facio propoſitionem univerſalem affirmantem, *Omnis homo eſt rationalis* : atqui hæc converti poteſt ſimpliciter ſic, *omne rationale eſt homo.*

Resp. Dist. Min. Atqui hæc converti poteſt ſimpliciter, vi materiæ, *C.* Vi formæ, & in rigore logico, N. Nam in rigore logico dicendum eſt, *aliquod rationale eſt homo.*

Instabis. Quæ in rigore ſunt reciproca, poſſunt de ſe invicem univerſaliter affirmari in rigore: atqui, *homo* ; &, *rationale*, ſunt in rigore duo reciproca.

Resp. Dist. Maj. Quæ ſunt in rigore reciproca in propoſitione, & vi propoſitionis, *C.* Entitativè, N. Porro ad veritatem propoſitionis hujus, neceſſe non eſt, *rationale*, ſumi univerſaliter, quia ſenſus propoſitionis non eſt, omnem hominem eſſe omne rationale.

Inst. *Secundò*. Senſus prædictæ propoſitionis foret, *omnis homo eſt aliquod rationale* : atqui hoc falſum eſt.

Prob. Min. Qui dicit, *omnis homo eſt aliquod rationale*, ſupponit aliquid eſſe rationale præter hominem : atqui hoc ſupponere, eſt falſum ſupponere.

Resp. Dist. Maj. Supponit aliquid eſſe rationale præter hominem, ſupponit præſcindendo ab affirmatione aut negatione, *C.* Supponit affirmando rem ita ſe habere, N. Id eſt, qui dicit, *omnis homo eſt rationalis*, non expendit utrum ſolus homo ſit rationalis, necne, ſed ſolùm affirmat, hominem eſſe rationalem. Ut autem vera ſit propoſitio, ſatis eſt ſi homo fuerit de rationalibus, neceſſe non eſt, ut ſolus ſit rationalis.

Inst. *Tertiò.* Ille terminus ſumitur univerſaliter in propoſitione, cui præfigi poteſt particula, *omnis* : atqui in hac propoſitione, *omnis homo eſt rationalis*, huic termino, *rationalis*, præfigi poteſt particula, *omnis.*

Resp. Dist. Maj. Cui poteſt præfigi particu-

la, *omnis*, poteſt ex neceſſitate, ut vera ſit propoſitio, *C.* Poteſt abſque neceſſitate, *N.* at Logicus ſpectat ſolùm, quid in rigore neceſſe ſit, ad tuendam propoſitionum veritatem.

INST. *Quartò.* Niſi ex neceſſitate præfigeretur particula, *omnis*, huic termino, *rationalis*, dici poſſet, aliquod rationale non eſſe hominem: atqui hoc dici non poteſt.

RESP. DIST. MAJ. Dici poſſet aliquod rationale non eſſe hominem, ſi contrarium aliunde non conſtaret, *C.* Si conſtet, *N.* At aliunde conſtat, proindeque quod fuerat in ſuſpenſo vi propoſitionis affirmantis, *omnis homo eſt rationalis*, verificatur aliunde.

INST. *Quintò.* Si conſtet aliunde nihil eſſe rationale præter hominem, dici poteſt omnem hominem eſſe omne rationale.

RESP. DIST. Dici poteſt vi materiæ & reciprocationis, *C.* Vi formæ & affirmationis, *N.*

Tertia Difficultas contra regulas converſionum.

Regula Logicæ eſt, propoſitionem univerſalem negantem poſſe converti ſimpliciter. *Feci ſimpliciter convertitur*: atqui hæc regula falſa eſt.

PROB. MIN. Facio propoſitionem univerſalem negantem, *Nullus homo eſt Philoſophus*: atqui iſta propoſitio non poteſt converti ſimpliciter.

PROB. MIN. Si converteretur ſimpliciter dicendum foret, *nullus Philoſophus eſt homo*: atqui hoc dici non poteſt.

RESP. DIST. MIN. Dici non poteſt, *nullus Philoſophus eſt homo*, ſupponendo, aliquem exiſtere Philoſophum: *C.* ſecùs, *N.* Nam ſi verum eſt nullam humanitatem eſſe conjunctam cum Philoſophia, verum quoque eſt, nihil conjunctum cum Philoſophia eſſe humanitatem.

INST. Hæc converſio ſupponeret aliquem eſſe Philoſophum, qui non ſit homo.

RESP. DIST. Supponeret conditionatè; *C.* Abſolutè, *N.* Nam dum dico, *nullus Philoſophus eſt homo*, idem eſt ac ſi dicerem, *nullus Philoſophus*, ſi datur aliquis, *eſt homo*: quandoquidem nullus homo eſt Philoſophus, ex hypotheſi.

Prima objectio contra regulas oppoſitionum.

Regula Logicæ eſt, *duas propoſitiones contradictorias eſſe non poſſe ſimul veras aut ſimul falſas* : atqui hæc regula falſa eſt.

PROB. MIN. Facio duas propoſitiones contradictorias.

Omnis miles eſt exercitus :
Aliquis miles non eſt exercitus.

Atqui duæ iſtæ propoſitiones ſunt ambæ veræ. Verum eſt omnes milites eſſe exercitum, verum quoque aliquem hominem in particulari non eſſe exercitum.

RESP. NEGO illas propoſitiones eſſe contradictorias : nam non ſunt de eodem ſubjecto. In prima propoſitione, ſubjectum eſt, *omnis miles*, ſumptus pro collectione omnium ſimul militum. In ſecunda, ſubjectum eſt, *aliquis miles*, ſumptus pro diſtributione unius militis ; at collectio & diſtributio militum conſtituunt duo ſubjecta propoſitionum diverſa.

INSTABIS, Dum dicitur *omnis homo eſt rationalis* ; *aliquis homo non eſt rationalis*, ibi eſt contradictio ; ergo à pari dum dicitur,

Omnis miles eſt exercitus,
Aliquis miles non eſt exercitus.

RESP. NEGO Conſequentiam & paritatem : Ratio diſparitatis eſt, quia dum dicitur, *omnis homo eſt rationalis*, hoc accipitur de omni homine diſtributivè ſumpto, quo fit ut ſubinde dici nequeat aliquem hominem diſtributivè non eſſe rationalem : at verò dum dicitur, omnis miles eſt exercitus, hoc accipitur de omni milite collectivè ſumpto tantùm : quo fit ut ſubinde dici queat, aliquem militem diſtributivè, non eſſe exercitum : nam non pugnat, omnem militem collectivè ſumptum eſſe exercitum ; non eſſe verò, diſtributivè ſumptum.

Secunda objectio contra regulas oppoſitionum.

Facio duas propoſitiones contradictorias :

Nullus oculus eſt neceſſarius ad videndum,
Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum.

Sed illæ propoſitiones ſunt ambæ falſæ. Falſum eſt nullum oculum eſſe neceſſarium ad videndum : falſum

quoque aliquem oculum eſſe neceſſarium ad videndum.

Resp. Nego Min. Nam ſi falſum eſt, nullum oculum eſſe neceſſarium ad videndum; ergo verum eſt aliquem oculum eſſe neceſſarium ad videndum.

Instabis. Falſum eſt aliquem oculum eſſe neceſſarium ad videndum, ſi neque dexter, neque ſiniſter ſit neceſſarius: atqui neque dexter, neque ſiniſter eſt neceſſarius; non quidem dexter, quia ſufficit ſiniſter: neque ſiniſter eſt neceſſarius, quia ſufficit dexter.

Resp. Dist. Min. Neque dexter neque ſiniſter eſt neceſſarius determinatè, *C.* Indeterminatè, *N.* Ideoque aliquis oculus indeterminatè ſumptus, eſt neceſſarius ad videndum: quamobrem duæ prædictæ propoſitiones quatenus ſibi ſunt contradictoriæ, nec ſunt ambæ veræ; nec falſæ, ſed una vera, altera falſa, nam vel accipiuntur, hoc ſenſu:

Nullus oculus determinatè ſumptus, eſt neceſſarius ad videndum.

Aliquis oculus determinatè ſumptus, eſt neceſſarius ad videndum.

Et tunc prima eſt vera, ſecunda falſa: vel accipiuntur hoc ſenſu.

Nullus oculus indeterminatè ſumptus, eſt neceſſarius ad videndum,

Aliquis oculus indeterminatè ſumptus; eſt neceſſarius ad videndum.

Et tunc prima eſt falſa, ſecunda eſt vera.

Tertia objectio contra regulas oppoſitionum.

Suppono eſſe quatuor homines in ſchola: tres illorum ſcribere, quarto non ſcribente, & interim quempiam dicere.

Omnes in ſcholâ ſcribunt,

Aliqui in ſcholâ non ſcribunt.

Sed duæ illæ propoſitiones ſunt ambæ falſæ, & tamen contradictoriæ.

Resp. Nego Min. Et dico unam eſſe veram, alteram falſam: quâ parte ſunt contradictoriæ: nam hæc propoſitio, *Aliqui non ſcribunt*, eſt implicitè duplex hoc pacto: *Petrus*, v. g. *non ſcribit*: *Paulus*

non ſcribit, una autem illarum eſt vera, ſicut generalis hæc, *omnes in ſcholâ ſcribunt*, erat falſa, ex eo quòd unus eorum non ſcriberet; ſi ergo prior erat falſa, quia Petrus non ſcribit, vera eſt iſta poſterior, *Petrus non ſcribit*, quæ includitur in illa, *aliqui in ſcholâ non ſcribunt*.

III. PROPOSITIO.

Logica non eſt Scientia propriè dicta.

Probatur. Scientia non eſt de rebus quæ pendent à nobis liberè operantibus; Atqui Logica eſt de rebus quæ pendent à nobis liberè operantibus nimirùm mentiſ operationibus vero conformandis. Ergo Logica non eſt Scientia propriè dicta.

OBJECTIO.

Virtus mentis demoſtrativa eſt ſcientia propriè dicta: atqui Logica eſt virtus mentis demonſtrativa, *ex Philoſopho*; ergo Logica eſt ſcientia propriè dicta.

Resp. Dist. Min. Virtus mentis demonſtrativa formaliter, *C.* Demonſtrativa directivè ſolùm, *N.* Porro Logica dicitur demonſtrativa directivè ſolùm, eò quòd doceat modum conficiendi demonſtrationes accuratas.

Inst. Atqui Logica eſt demonſtrativa formaliter: ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Habitus mentis diſcurſivus, qui neque eſt formaliter topicus, neque formaliter ſophiſticus, eſt formaliter demonſtrativus: atqui Logica eſt habitus mentis diſcurſivus, neque formaliter topicus, neque formaliter ſophiſticus; ergo eſt habitus formaliter demonſtrativus.

Resp. Dist. Maj. Eſt formaliter demonſtrativus, latè loquendo, quatenus eſt cognitio rei neceſſariæ ſecundùm eſſentiam, *C.* Demonſtrativus propriè & accuratè loquendo, *N.* Quia non eſt de re neceſſaria ſecundùm exiſtentiam.

Inst. *Secundò.* Atqui Logica eſt habitus formaliter demonſtrativus propriè loquendo.

libertate Dei in ſua exiſtentia: nihilominus ſufficientem habet neceſſitatem ad ſcientiam conſtituendam: ergo à pari, licèt definitio pendeat à libertate noſtra, habet ſufficientem neceſſitatem ad ſcientiam.

Resp. Nego Conſequentiam & paritatem: Ratio diſparitatis eſt quia, quæ pendent à libertate Dei, majorem habent conſtantiam & neceſſitatem, quàm quæ pendent à libertate hominum, quæ inconſtans eſt & mutabilis.

Inst. *Sextò*. Tanta ſaltem eſt neceſſitas eſſentiæ in objecto Logices, quanta eſt in objecto Phyſices: atqui hoc ſufficit ut Logica tam ſit ſcientia propriè dicta, quàm Phyſica.

Prob. Min. Ad Logicam conſtituendam ſcientiam propriè & accuratè, ſufficit ſola neceſſitas, quæ ſola ſpectatur à ſcientiis propriè dictis: atqui ſola neceſſitas eſſentiæ ſpectatur à ſcientiis proprie dictis; nullatenus verò ſpectatur neceſſitas exiſtentiæ.

Prob. Min. Ibi non ſpectatur neceſſitas exiſtentiæ, ubi nullatenus attenditur exiſtentia: atqui in ſcientiis propriè dictis nullatenus attenditur exiſtentia objecti: ergo nec illius exiſtentiæ neceſſitas.

Prob. Min. In ſcientiis propriè dictis nullatenus attenditur id quod ſe habet contingenter ad objectum, eſtque ab eo ſeparabile ſine illius interitu: atqui exiſtentia objecti ſe habet contingenter ad objectum, eſtque ab eo ſeparabilis.

Confirmatur hoc ratiocinium. Si neceſſitas exiſtentiæ ſpectatur à ſcientiis propriè dictis, ſola Metaphyſica quæ tractat de Deo, eſſet ſcientia accuratè loquendo: atqui hoc falſum eſt in principiis adverſariorum.

Prob. Maj. Si neceſſitas exiſtentiæ ſpectatur à ſcientiis accurate dictis, ea ſola erit ſcientia accuratè, quæ ſola habet objectum accurate loquendo neceſſarium quoad exiſtentiam: atqui ſola Metaphyſica quæ tractat de Deo habet objectum accuratè loquendo neceſſarium quoad exiſtentiam.

Urgebis tandem: exiſtentia corporis naturalis & exiſtentia Dei magis diſtant, quàm exiſtentia operationum mentis, & exiſtentia corporis; ergo ſicut hoc non impedit, quin Phyſica ſit accuratè loquendo ſcientia, ut Metaphyſica; ita impedire non debet

quin Logica ſit accurate loquendo ſcientia, ut Phyſica.

Ab hujuſmodi difficultatibus videant quomodo ſe ſé extricent, qui negant Logicam eſſe ſcientiam accurate loquendo.

IV. PROPOSITIO.

Logica eſt Practica.

PROBATUR. Ea diſciplina eſt Practica, quæ non conquieſcit in objecti ſui contemplatione, ſed tranſit ad opus; atqui Logica non conquieſcit in objecti ſui contemplatione, ſed tranſit ad opus; nam ea diſciplina tranſit ad opus, quæ tota eſt in tradendis de objecto ſuo conficiendo regulis; atqui Logica eſt hujuſmodi: ſic docet, quâ ratione ſit conficienda definitio accurata, quo pacto ſit inſtituenda argumentatio; Ergo Logica tranſit ad opus, proindeque eſt practica.

OBJECTIO PRIMA.

DIſciplina quæ non dirigit praxim non eſt practica: atqui Logica non dirigit praxim.

PROB. MIN. Si Logica dirigeret praxim, intellectus eſſet practicus in ſuis operationibus: atqui intellectus non eſt practicus in ſuis operationibus.

PROB. MIN. Facultas quæ fit practica, ſeſe extendendo ad operationes aliarum à ſe facultatum, non eſt practica in ſuiſmet operationibus: atqui intellectus extenſione fit practicus, *ex Philoſopho.*

RESP. DIST. MIN. Intellectus extenſione fit practicus, praxi ſtrictè ſumpta, pro ſola actione libera, *C.* Praxi propriè dicta, pro qualibet operatione dirigibili per præcepta, *N.*

INSTABIS. *Primò.* Atqui intellectus non eſt practicus, praxi propriè dicta in ſuiſmet operationibus.

PROB. SUBS. Facultas quæ verſatur circa ſpeculationes propriè dictas, non eſt practica praxi propriè dictâ: atqui intellectus in ſuis operationibus verſatur circa ſpeculationes propriè dictas.

Resp. Dist. Min. Intellectus in ſuis operationibus verſatur circa ſpeculationes, quatenus ſunt praxès in Logica, C. Quatenus ſunt ſpeculationes in aliis ſcientiis; N.

Inst. *Secundò.* Logica verſatur circa operationes mentis, quatenus ſunt definitiones, diviſiones & argumentationes: atqui ſub hoc reſpectu ſunt ſpeculationes, quatenus ſpeculationes.

Resp. Dist. Maj. Logica verſatur circa operationes, quatenus ſunt definitiones operabiles per præcepta Logicæ, C. Quatenus ſunt definitiones objectorum præcisè, N. Hoc poſteriori modo ſpectantur ab aliis à Logica ſcientus.

Inst. *Tertiò.* Atqui Logica conſiderat definitiones quatenus ſunt veræ ſpeculationes.

Prob. Subs. Sub eo reſpectu definitiones ſunt ſpeculationes ſub quo ſua non faciunt objecta: atqui Logica conſiderat definitiones quatenus ſua non faciunt objecta, v. g. definitionem corporis prout non tranſit ad fabricam corporis.

Resp. Dist. maj. Sub eo reſpectu definitiones ſunt ſpeculationes objectorum ſuorum, C. ſunt ſpeculationes Logicæ, N. Nam definitio, v. g. corporis eſt ſimul ſpeculatio & praxis, ſpeculatio corporis, & praxis reſpectu Logicæ, à quâ fabricatur per præcepta.

Inst. *Quartò.* Atqui definitiones quatenus fabricantur à Logica, ſunt veræ ſpeculationes reſpectu Logicæ; ergo, &c.

Prob. Subs. Definitiones Aſtronomicæ vel Geometricæ quatenus fabricantur ab Aſtronomia vel Geometria, ſunt tamen veræ ſpeculationes reſpectu Aſtronomiæ vel Geometriæ; ergo à pari definitiones Logicæ, quatenus fabricantur à Logica, ſunt veræ ſpeculationes reſpectu Logicæ.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Et ratio diſparitatis eſt, quia definitiones Aſtronomicæ vel Geometricæ non ſunt objectum Aſtronomiæ vel Geometriæ: at verò definitiones Logicæ fabricantur à Logica tanquam proprium Logicæ objectum: ſcientia autem dicitur practica quando ſuum facit objectum.

Inst. *Quintò.* Ideo definitiones Aſtronomicæ vel Geometricæ ſunt veræ ſpeculationes reſpectu

utriuſque; quia ſunt actus Aſtronomici & Geometrici reſpondentes habitui Aſtronomico & Geometrico: atqui pariter definitiones Logicæ ſunt actus Logici reſpondentes habitui Logicæ.

Resp. Dist. Min. Atqui definitiones Logicæ ſunt actus Logicæ ſimul & objectum Logicæ ab ea faciendum, *C.* Sunt actus Logici præciſè, *N.*

Inst. *Sextò.* Atqui Logica propriè non facit definitiones tanquam ſuum objectum.

Prob. Subs. Cognoſcere naturam, ſpecies & proprietates rei alicujus non eſt rem iſtam propriè facere: atqui Logica nihil aliud præſtat circa definitiones, quàm cognoſcere earum naturam, ſpecies & proprietates.

Resp. Dist. Maj. Cognoſcere ſpeculativè, in contemplatione ſiſtendo, *C.* Cognoſcere practicè, tradendo præcepta de re conficiendâ, *N.* At Logica tradit præcepta de definitionibus conficiendis.

Inst. *Septimò.* Non aliter Logica cognoſcit naturam & proprietates definitionis, quàm Mathematica cognoſcit naturam & proprietates trianguli: atqui Mathematica cognoſcit ſpeculativè.

Resp. Nego Maj. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia Mathematica ita cognoſcit naturam trianguli ut non intendat facere: at verò Logica cognoſcit definitionem ea intentione ut faciat.

Inst. *Octavò.* Licèt Mathematica dicat, triangulum conſtare tribus angulis, non cenſetur proinde intendere fabricam trianguli: ergo à pari, licèt Logica dicat, definitionem conſtare genere & differentia, non ſtatim cenſeri debet intendere conſtructionem definitionis.

Resp. Nego Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia Mathematica id dicit, non ut doceat quomodo fabricandus ſit triangulus: at verò id dicit Logica, ut doceat quomodo ſit facienda definitio.

Inst. *Nonò.* Logica non intendit docere, quomodo ſit faciendum, id quod eſt tale independenter à Logica: atqui definitio eſt talis independenter à Logica; ergo Logica non intendit docere quomodo ſit facienda definitio.

Resp. Dist. Min. Atqui definitio eſt talis

independenter à Logica ; talis quoad eſſentiam ſeu veritatem objectivam, *C*. Talis quoad exiſtentiam in rerum natura, *N*. At Logica intendit eam facere quoad exiſtentiam.

Inst. *Decimò*. Logica non intendit facere quoad exiſtentiam, id quod non conſiderat quoad exiſtentiam : atqui Logica non conſiderat definitiones quoad exiſtentiam, ſed ſolùm quoad eſſentiam, ut & aliæ ſcientiæ.

Resp. Dist. Min. Atqui Logica non conſiderat definitionem quoad exiſtentiam, Logica ut ſcientia præcisè, *C*. Ut practica, *N*. Nam ratio praxeos addit ſupra eſſentiam objecti conſiderationem exiſtentiæ.

OBIECTIO SECVNDA.

Logica eſt ſcientia : atqui ſcientia ut ſcientia præcisè eſt ſpeculativa ; ergo Logica eſt ſpeculativa.

Resp. Nego Min. Nam ſcientia ut ſcientia præcisè abſtrahit à ſpeculativa & practica, ſicut genus à ſuis ſpeciebus.

Inst. *Primò*. Virtus mentis eſt vel ſpeculativa vel practica : atqui ſcientia ut ſcientia præcisè eſt virtus mentis, nec eſt practica : ergo eſt ſpeculativa.

Resp. Dist. Maj. Virtus mentis ſpecificè & in particulari, vel eſt ſpeculativa vel practica, *C*. Virtus mentis in genere & in communi, *N*. Nam ſic abſtrahit.

Inst. *Secundò*. Species virtutis mentis, eſt virtus mentis ſpecificè : atqui ſcientia ut ſcientia præcisè, eſt una è quinque ſpeciebus virtutis mentis ; ergo ſcientia ut ſcientia, eſt virtus mentis ſpecificè & in particulari.

Resp. Dist. Min. Atqui ſcientia ut ſcientia præcisè eſt una è ſpeciebus virtutis mentis, ſpecies ſubalterna, *C*. ſpecies infima, *N*. Nam ſcientia ut ſcientia, eſt genus ſubalternum diviſibile in duas ſpecies inferiores, in ſpeculativam & practicam.

Inst. *Tertiò* Atqui ſcientia ut ſcientia in genere eſt ſpeculativa,

Prob. Subs. Scientia ſpeculativa dicitur ea quæ ita cognoſcit objectum, ut non transeat ad opus: atqui ſcientia ut ſcientia in genere, cognoſcit objectum nec tranſit ad opus. Ergo ſcientia ut ſcientia in genere eſt ſpeculativa.

Resp. Dist. Ma. Scientia ſpeculativa dicitur ea quæ non tranſit ad opus, ſed poſitivè ſiſtit in contemplatione objecti, *C*. Nec poſitivè ſiſtit in contemplatione objecti ſui, *N*. Porro ſcientia ut ſcientia in genere non tranſit quidem ad opus, ſed nec poſitivè ſiſtit in contemplatione objecti: at abſtrahit ab utroque.

Inst. *Quartò*. Eo ipſo ſcientia ſiſtit in contemplatione objecti quo ſuum cognoſcens objectum non tranſit ad opus: atqui ſcientia ut ſcientia in genere non tranſit ad opus.

Resp. Dist. Maj. Eo ipſo ſcientia ſiſtit negativè in contemplatione objecti, *C*. Siſtit poſitivè, *N*. Sicut animal generatim eſt negativè irrationale, quia non eſt rationale.

Inst. *Quintò*. Atqui Logica eſt ſcientia quæ poſitivè ſiſtit in contemplatione objecti.

Prob. Subs. Diſciplina quæ tota eſt circa ſpeculationes, poſitivè ſiſtit in contemplatione objecti: atqui Logica tota eſt circa ſpeculationes, nempe circa operationes mentis.

Resp. Dist. Maj. Quæ tota eſt circa ſpeculationes ut ſpeculationes, *C*. Ut praxes, *N*. Porro operationes mentis ſpectantur à Logica tanquam praxes, ſeu factibiles per præcepta.

Inst. *Sextò*. Sub eo reſpectu operationes mentis non ſunt praxes ſub quo non ſunt operabiles: atqui Logica conſiderat operationes mentis quatenus non ſunt operabiles.

Prob. Min. Logica conſiderat definitionem in genere: atqui definitio in genere non eſt operabilis, quia *produci ſingularium eſt*.

Resp. Dist. Min. Atqui definitio in genere non eſt operabilis per ſe proximè, *C*. Per ſua ſingularia, *N*. Per hanc enim & illam definitionem producitur definitio generatim, ſicut per hoc & illud individuum naturæ humanæ producitur homo generatim.

Inst. *Septimò*. Licèt corpus naturale in genere

ſit operabile per hoc & illud corpus in particulari, nihilominus Phyſica quę ſpectat corpus in genere, cenſetur ſpeculativa; ergo à pari licèt definitio in genere ſit operabilis per ſua ſingularia, Logica quæ ſpectat definitionem in genere, cenſeri debet ſpeculativa.

Resp. Nego. Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia Phyſica non ſpectat corpus ut operabile à ſe ipſa, nec de illo conficiendo tradit præcepta; èconträ verò Logica conſiderat definitiones ut operabiles à ſe ipsâ per ſuas regulas.

Inst. *Octavò.* Actus non ſunt operabiles niſi ab ea facultate cujus ſunt eſſentialiter actus proprii: atqui operationes mentis ſunt eſſentialiter actus intellectûs; ergo non ſunt operabiles à Logica.

Resp. Dist. Maj. Actus non ſunt operabiles Phyſicè ſeu elicitivè niſi à facultate, *C.* Non ſunt operabiles moraliter ſeu directivè, *N.* Quare operationes mentis eliciuntur ab intellectu & diriguntur à Logica.

Inst. *Nonò.* Actus ſempiternæ veritatis non indigent dirigi à Logica; atqui operationes mentis, v. g. Definitio, ſunt ſempiternæ veritatis.

Resp. Dist. Min. Atqui operationes mentis ſunt ſempiternæ veritatis, ſi ſpectentur in ſe ipſis, ſuaque veritate objectiva, *C.* Si ſpectentur per ordinem ad intellectum, *N.* Nam poſſunt benè vel malè fieri, eſſe veræ vel falſæ; Logica autem inſtituta eſt ut intellectus dirigatur in illis, ut par eſt, conficiendis.

V. PROPOSITIO.

Logica eſt ſpeculativa.

Probatur Hæc propoſitio in principiis Thomiſtarum ſic: Diſciplina quæ tota eſt circa ſpeculationes eſt ſpeculativa; atqui Logica tota eſt circa ſpeculationes; eſt enim tota circa mentis operationes quæ ſunt totidem ſpeculationes, nuſquam verò praxes, cùm praxis ſit alterius ab intellectu facultatis, juxta illud, *Intellectus extenſione fit practicus.* Ergo Logica, tota eſt circa ſpeculationes, proindeque eſt ſpeculativa.

OBIECTIO.

EA diſciplina eſt practica, quæ intendit objecti ſui confectionem : atqui Logica intendit objecti ſui confectionem, ſiquidem de objecto ſuo præſcribit ; ergo Logica eſt practica.

Resp. dist. maj. Quæ intendit objecti ſui confectionem, ſi illa confectio ſit praxis, C. Si illa confectio ſit ſpeculatio, N. Porro confectio objecti Logicæ quædam eſt ſpeculatio : v. g. confectio ſyllogiſmi eſt actualis ejus ſpeculatio, cùm fiat ſpeculando, ſeu cognoſcendo.

Instabis. Ea diſciplina intendit confectionem objecti ſui practicam, quæ tradit regulas de objecto ſuo conficiendo : atqui Logica tradit regulas de objecto ſuo conficiendo ; ergo Logica intendit objecti ſui confectionem practicam.

Resp. Dist. Maj. Quæ tradit regulas de objecto ſuo conficiendo, regulas practicabiles, C. ſpeculabiles, N. Porro quas tradit Logica regulas, eæ non ſunt practicæ, quia ſunt regulæ bene ſpeculandi ſive cognoſcendi veritatem.

Inst. *Secundò.* Regulæ quæ tendunt ad opus aliquod, verè ſunt practicabiles : atqui quas tradit Logica regulas, eæ tendunt ad opus, v. g. hæc, *Definitio debet conſtare ex genere & differentia* ; ergo regulæ Logicæ ſunt practicabiles.

Resp. Dist. Maj. Regulæ quæ tendunt ad opus aliquod extra intellectum, C. Ad opus intra intellectum, N. Porro regulæ omnes Logicæ tendunt ad opus intra intellectum, id eſt, ad operationes mentis, quæ ſunt totidem ſpeculationes.

Inst. *Tertiò.* Atqui opus intra intellectum poteſt eſſe practicum, ſeu ſubjacere praxi.

Prob. Subs. Opus intra intellectum ſunt, definitio, diviſio & argumentatio : atqui hæ operationes ſunt totidem praxes.

Prob. Min. Praxis eſt executio, ſeu applicatio præceptorum ad uſum : atqui definitio, diviſio & argumentatio ſubjacent executioni præceptorum Logicæ ad uſum ; ergo praxi ſubjacent.

Resp. Dist. Maj. Praxis eſt executio præceptorum ad uſum, executio operis alicujus propriè

faciendi, C. executio ſpeculationis, N. At definire, dividere & argumentari, eſt ſpeculari; quod patet vel ex eo quòd ſcientiæ omnes ſpeculativæ definiant, dividant, & argumententur.

INST. *Quartò*. Ibi eſt opus aliquod propriè faciendum, ubi eſt aliquid contingens, & multifariàm operabile à nobis: atqui definitio, diviſio & argumentatio ſunt aliquid contingens operabile à nobis & quidem multifariàm; ergo definitio, diviſio & argumentatio ſunt opus propriè faciendum.

RESP. DIST. MAj. Si contingens illud atque operabile non ſit vera ſpeculatio, C. Si ſit ſpeculatio, N. At operationes mentis ſunt puræ ſpeculationes, quia ſunt cognitiones veritatis.

INST. *Quintò*. Idem ſit judicium de cęteris operationibus mentis, quòd de ſyllogiſmo: atqui ſyllogiſmus non eſt ſpeculatio reſpectu Logicæ.

PROB. MIN. Ea operatio non eſt ſpeculatio pura, in qua reperitur artificioſa quędam rerum cognitarum diſpoſitio: atqui in ſyllogiſmo reperitur artificioſa diſpoſitio terminorum & propoſitionum.

RESP. DIST. MAj. In qua reperitur artificioſa rerum cognitarum diſpoſitio, quæ fiat per tranſpoſitionem localem, aut aliam actionem practicam, qualis eſt diſpoſitio domûs, C. Diſpoſitio quæ fiat per ſpeculationem ordinis rerum cognitarum, N. Unde ipſa ſyllogiſmi effectio eſt ſpeculatio, quia nihil aliud eſt quàm apprehenſio ordinis rerum cognitarum ad invicem.

INST. *Sextò*. Ea ſyllogiſmi diſpoſitio verè practicum eſt aliquid, quæ ordinatur etiam ad ſcientias practicas: atqui diſpoſitio ſyllogiſmi ordinatur ad ſcientias practicas, quæ ſcilicet utuntur ſyllogiſmis.

RESP. DIST. MAj. Quæ ordinatur ad ſcientias practicas ſub eo reſpectu, ſub quo ſunt practicę, C. Sub eo reſpectu, ſub quo non ſunt practicæ, N. At ſcientia practica *primò* ſpeculatur, deinde procedit ad opus faciendum; Logica autem & ſyllogiſmus ipſi deſerviunt tantùm ad ſpeculandum. Ita reſpondet *R. P.* GOUDIN inſignis de Schola Thomiſtarum Philoſophus. *Quæſtion. Præambula. Art. 4. De Natura Logicæ.*

QUÆSTIO TERTIA.

De objecto Logices.

I. PROPOSITIO.

Res omnes non ſunt objectum Logicæ.

Probatur. Illud non eſt objectum Logicæ, cujus notitiam *primo* per ſe Logica non intendit; atqui rerum omnium notitiam Logica *primo* per ſe non intendit; hoc enim munus eſt aliarum à Logica ſcientiarum. Ergo Res omnes non ſunt objectum Logicæ.

OBIECTIO.

IDem eſt objectum Logicæ, quod & actuum Logicæ: atqui res omnes ſunt objectum actuum Logicæ, v. g. definitionum; ergo & ipſius Logicæ.

Resp. *Primò.* Dist. Maj. Idem eſt objectum Logicæ actualis, *C.* Habitualis, *N.* Nam ipſa Logica actualis ſeu actus Logicæ, eſt objectum Logicæ proximum.

Resp. *Secundò.* Dist. Maj. Quod eſt objectum actuum Logicæ dirigentium, *C.* Directorum, *N.* Porro res omnes ſunt objecta actuum Logicæ directorum, ſed non dirigentium: nam actus directi ſunt proximum objectum actuum dirigentium.

Instabis *Primò.* Illud eſt objectum actuum Logicæ dirigentium, quod cognoſcitur per Logicam, quodque ab ea expenditur ex profeſſo: atqui res omnes cognoſcuntur per Logicam, & ab ea expenduntur ex profeſſo in Tractatu de Categoriis.

Resp. Dist. Maj. Quod cognoſcitur per Logicam proximè & immediatè, *C.* Remotè tantùm & mediatè, *N.* Porro res omnes per Logicam cognoſcuntur mediantibus operationibus mentis, & expenduntur à Logica non propter ſe, ſed propter operationes mentis dirigendas.

Inst. *Secundò.* Illud per ſe proximè cognoſcitur & expenditur à Logica, in quod primò per ſe cadunt

præcepta Logicæ; atqui præcepta Logicæ per ſe primò cadunt in res omnes, definiendas & dividendas.

Prob. Min. Eodem modo judicandum eſt de cęteris Logicæ præceptis, quomodo de iſtis duobus, *Diviſio debet fieri in membra adæquata. Definitio debet conſtare ex genere & differentia*: atqui hæc duo præcepta *primo* per ſe cadunt in res definiendas & dividendas.

Resp. nego Min. Nam *primo* per ſe cadunt in definitionem & diviſionem formaliter ſumptas, prout ſunt operationes.

Inst. *Tertiò*. Hæc duo præcepta *primo* per ſe cadunt in id quod dividi poteſt, quod conſtat ex genere & differentia: atqui res definiendæ, dividendæ poſſunt dividi, & conſtant ex genere & differentia; non item operationes mentis formaliter.

Resp. Dist. Min. Atqui res definiendæ, dividendæ ſunt diviſibiles, & conſtant genere & differentiâ entitativè, *C.* Repræſentativè, *N.* At hæc pręcepta docent *primò* per ſe, quid repręſentare ſibi debeat intellectus inter definiendum & dividendum: ſed operationes mentis ſunt diviſibiles repręſentativè, quia poſſunt repræſentare membra diviſionis adęquata.

Inst. *Quartò*. Hæc duo præcepta Logicæ *primo* per ſe cadunt in id quod poteſt reciprocari cum re definita: atqui res cognita reciprocari poteſt, non autem ipſa cognitio, quæ quia non identificatur cum re definita, non poteſt cum ea reciprocari; ergo non cadunt in id quod conſtat genere & differentiâ repręſentativè.

Resp. Dist. Maj. Cadunt in id quod poteſt reciprocari repręſentativè, *C.* Entitativè, *N.* At cognitio reciprocatur repręſentativè, quatenus repræſentat aliquid reciprocum; v. g. Definitio hominis repræſentat animal rationale cum homine reciprocum.

Inst. *Quintò*. Atqui hęc duo pręcepta cadunt in id quod eſt reciprocum entitativè cum re definita.

Prob. Subs. Hęc duo pręcepta Logicę *primo* per ſe cadunt in id quod prius eſt magiſque ſpectabile, atqui eſſe reciprocum entitativè, prius eſt magiſque ſpectabile, quàm eſſe reciprocum repræſentativè, quia priùs eſt eſſe, quàm eſſe cognitum vel repręſentatum.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt priùs magiſque ſpectabile reſpectu Logicæ, C. Quod eſt priùs priùs abſolutè & in ſe, N. Porro reſpectu Logicæ prius eſt eſſe reciprocum repræſentativè, quia Logica primò per ſe intendit docere quid debeat operatio mentis repræſentare inter definiendum & dividendum.

Inst. *Sextò.* Illud eſt priùs magiſque ſpectabile reſpectu Logicæ, de quo *primo* per ſe Logica præſcribit: atqui de rebus, v. g. de genere & differentia *primò* per ſe Logica præſcribit.

Resp. Dist. Maj. De quo *primo* per ſe Logica præſcribit tanquam de objecto materiali ſuo, C. Tanquam de materia objecti materialis, N. Sicut enim colores in pictura ſunt materia picturæ, ſed non objectum ejus materiale, potiùs verò tabella; ſic genus & differentia aliique termini ſunt materia operationum mentis & Logicæ, at non objectum materiale.

Inst *Septimò.* In ſcientiis materia & objectum materiale ſunt quid idem: atqui termini Logici ſunt materia Logicæ; ergo & objectum materiale.

Resp. Dist. Maj. Materia *circa quam*, C. Materia *ex qua*, N. At termini Logici ſunt materia Logicæ, ex qua coaleſcunt operationes mentis, ſicut colores ſunt materia ex qua fit tabella.

Inst. *Octavò.* Illud eſt objectum materiale Logicæ, ſeu materia circa quam, propter quod inſtituta eſt Logica: atqui Logica inſtituta eſt propter res cognoſcendas clarè & diſtinctè.

Resp Dist. Maj. Propter quod tanquam objectum, C. Tanquam finem, N. At Logica inſtituta eſt propter operationes mentis tanquam objectum, & propter res diſtinctè cognoſcendas tanquam finem Logicæ: ſicut Architectura inſtituta eſt propter ædificium tanquam objectum, & propter commodam habitationem, tanquam finem.

Inst. *Norò.* In ſcientiis practicis objectum & finis ſunt quid idem.

Resp. Dist. Objectum & finis proximus, C. Objectum & finis remotus. N. Ut videre eſt in Architectura,

II. PROPOSITIO.

II. PROPOSITIO.

Non ſola demonſtratio eſt objectum Logicæ.

PROBATUR. Illud ſolum non eſt objectum Logicæ, quod non ſolum intenditur à Logica; atqui non ſola demonſtratio intenditur à Logica: Logicus enim non minus intendit definire aut dividere quam demonſtrare. Ergo non ſola demonſtratio eſt objectum Logicæ.

OBIECTIO.

Illud eſt objectum Logicę adęquatum, ad quod Logica refert quæcumque tractat: atqui Logica refert ad demonſtrationem ſolam quęcunque tractat; ergo ſola demonſtratio eſt objectum Logicę.

PROB. MIN. Habitus qui dicitur ſimpliciter demonſtrativus refert quęcumque tractat ad demonſtrationem: atqui Logica dicitur ſimpliciter demonſtrativa.

RESP. DIST. MIN. Atqui Logica dicitur demonſtrativa, id eſt ſcientifica, ut & aliæ ſcientiæ, *C.* Demonſtrativa, quaſi habeat pro objecto demonſtrationes, SUBDISTINGUO, pro objecto inadęquato magiſque pręcipuo, *C.* Pro objecto adęquato & unico, *N.* Scilicet magis elucet vis ingenii in demonſtratione quàm in apprehenſione, vel judicio: ideoque forſan Logica denominatur præſertim à demonſtratione, demonſtrativa.

INST. *Primò.* Si apprehenſio & judicium referantur ad argumentationem, certè ad eam referuntur quęcumque tractantur in Logica tanquam ad objectum unicum & adęquatum: atqui apprehenſio & judicium referuntur ad demonſtrationem.

PROB. MIN. Omnis pars refertur ad ſuum totum: atqui apprehenſio & judicium ſunt partes demonſtrationis; ergo referuntur ad demonſtrationem.

RESP. DIST. MAJ. Omnis pars per ſe, & ex natura ſua, *C.* Pars per accidens, *N.* At apprehenſio & judicium non ſunt partes per ſe demonſtrationis, quia per ſe ſinę demonſtratione manifeſtan veritatem.

1. PARS.

INST. *Secundò* Partes eſſentiales totius ſunt partes per ſe & ex natura ſua: atqui apprehenſio & judicium ſunt partes eſſentiales demonſtrationis, ſine quibus nulla poteſt eſſe vel concipi demonſtratio; ergo ſunt partes per ſe demonſtrationis.

RESP. DIST. MIN. Atqui apprehenſio & judicium ſunt partes eſſentiales demonſtrationis, ex parte demonſtrationis, *C.* Ex parte ſui, *N.* Sicut milites ſunt partes eſſentiales exercitûs, ex parte exercitûs, at nón ex parte ſui.

INST *Tertiò.* Atqui apprehenſio & judicium per ſe & ex parte ſui referuntur ad demonſtrationem.

PROB. SUBS. Apprehenſio & judicium per ſe & ex parte ſui réferuntur ad finem ultimum intellectûs: ſed finis intellectûs ultimus eſt demonſtratio; ergo referuntur ad demonſtrationem.

RESP. DIST. MAJ. Per ſe & ex parte ſui referuntur ad finem ultimum intellectûs, finem adæquatum, *C.* inadęquatum, *N.* At demonſtratio eſt finis ſolùm inadęquatus mentis.

INST. *Quarto.* Summa & ultima perfectio intellectûs, eſt finis ejus adæquatus: atqui demonſtratio eſt ſumma & ultima perfectio intellectus; ergo eſt finis ejus adęquatus.

RESP. DIST. MIN. Atqui demonſtratio eſt ſumma & ultima perfectio intellectus, ordine dignitatis & executionis, *C.* Ordine intentionis & relationis, *N.* Nam intellectus non minùs intendit definire quàm demonſtrare.

INST. *Quintò* Se habent apprehenſio & judicium ad demonſtrationem, ſicut materia & forma ad corpus naturale: atqui materia & forma per ſe & ex parte ſui referuntur ad corpus

RESP. NEGO MAJ. Et paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia materia & forma ſunt entia per ſe incompletæ, nata ingredi compoſitionem corporis: at verò apprehenſio & judicium ſunt operationes per ſe completæ, per ſe manifeſtantes veritatem.

INST. *Sextò.* Ideo materia & forma ſunt partes per ſe corporis, quia de ſe exigunt componere corpus: atqui pariter apprehenſio & judicium de ſe exigunt componere demonſtrationem.

PROB. MIN. Quæ non poſſunt aſſequi finem ſuum ſeorſim à demonſtratione, de ſe exigunt com-

ponere demonſtrationem : atqui apprehenſio & judicium non poſſunt aſſequi finem ſuum ſeorſim à demonſtratione.

Resp. Nego Min. Quia poſſunt ſeorſim à demonſtratione manifeſtare veritatem ; definitio quidem, explicando naturam rei per genus & differentiam : Diviſio autem, aperiendo partes & ſpecies.

Inst. *Septimò.* Finis apprehenſionis & judicii in Logica eſt parere ſcientiam : atqui apprehenſio & judicium ſeorſim à demonſtratione non poſſunt parere ſcientiam, ſiquidem ſcientia eſt fœtus demonſtrationis.

Resp. dist. Min. Atqui apprehenſio & judicium ſeorſim à demonſtratione non poſſunt parere ſcientiam ſtrictè ſumptam, pro cognitione per cauſas, *C.* Scientiam latè ſumptam, pro cognitione certa & evidente præcisè, N.

Inst. *Octavò.* Logica quæ eſt inſtrumentum ſciendi potiſſimum, ſpectat id quod parit ſcientiam perfectiorem : atqui demonſtratio parit ſcientiam perfectiorem, quàm apprehenſio & judicium, quia cognitio per cauſas perfectior eſt cognitione ſimplici abſque notitia cauſæ.

Resp. dist. maj. Logica potiſſimum ſpectat, id quod parit ſcientiam perfectiorem, ſpectat tanquam objectum primarium & præcipuum, *C.* Tanquam objectum adæquatum & unicum, *N.* Porro objectum ſcientiæ primarium, non eſt ſemper unicum & adæquatum : ſic v. g. Deus eſt objectum primarium Metaphyſices, non tamen unicum : nam inſuper Ens generatim, ſubſtantia, accidens, Angelus & anima rationalis ſunt de ipſius objecto totali & adæquato.

III. PROPOSITIO.

Tres mentis operationes ſunt objectum Logices.

Probatur. Illud eſt objectum Logicæ adæquatum, quod *primo* per ſe intenditur à Logica, & ad quod referuntur quæcumque tractantur in Logica. Atqui tres mentis operationes ſunt hujuſmodi ; quia quæcumque tractantur in Logica, vel ſunt operatio-

nes mentis, vel earum principia, proprietates, aut appendices. Ergo tres mentis operationes ſunt objectum Logices adæquatum.

OBIECTIO.

Illud non eſt objectum Logicæ, quod non conſideratur à Logica propter ſe, ſed propter aliud: atqui tres mentis operationes non conſiderantur à Logica propter ſe, ſed in gratiam aliarum rerum in aliis ſcientiis cognoſcendarum.

Resp. Dist. Min. Atqui tres mentis operationes conſiderantur à Logica propter aliud tanquam finem ultimum, C. Propter aliud tanquam objectum Logicæ, N. Nam aliæ ſcientiæ comparandæ ſunt finis ultimus Logicæ, at non illius objectum: ſicut commoda habitatio eſt finis Architecturæ, at non ejus objectum.

Inst. *Primo.* In diſciplinis practicis objectum & finis ſunt unum & idem: atqui tres mentis operationes non ſunt finis Logicæ: ergo nec objectum.

Resp. Dist. Maj. Objectum & finis proximus ſunt unum & idem, C. Objectum & finis remotus atque ultimus, N. Porro tres mentis operationes ſicut ſunt objectum Logicæ, ita ſunt ejus finis proximus.

Inst. *Secundo.* Objectum & finis proximus Logicæ debet habere unitatem, commenſurationem, diſtinctionem & relationem: atqui tres mentis operationes non habent illas conditiones, v. g. unitatem & diſtinctionem.

Prob. Min. *De unitate.*. Operationes eſſentialiter diverſæ non habent unitatem: atqui tres mentis operationes ſunt eſſentialiter diverſæ: ergo non habent unitatem.

Resp. dist. maj. Operationes eſſentialiter diverſæ non habent unitatem ſpecificam, C. Genericam, N. At habent operationes mentis unitatem genericam: *primo*, ex eo quòd ſint operationes mentis, *ſecundò* ex eo quòd ſint dirigibiles ad veritatem per regulas Logicæ.

Inst. *Tertio.* Ut operationes mentis haberent unitatem genericam requiſitam ad objectum Logicæ, deberent omnes eſſe dirigibiles ad veritatem: atqui non ſunt omnes dirigibiles ad veritatem.

PROB. MIN. Apprehenſio, prima mentis operatio non eſt dirigibilis ad veritatem ; ergo non ſunt omnes ad veritatem dirigibiles.

PROB. ANT. Operatio ita ſemper vera, ut nunquam poſſit eſſe falſa, certè non eſt dirigibilis ad veritatem : atqui apprehenſio ſimplex ſemper eſt veritatis particeps & quidem neceſſariò ; ergo non eſt dirigibilis ad veritatem.

RESP. DIST. MAj. Operatio ſemper vera non eſt dirigibilis ad veritatem, metu erroris & falſitatis, *C*. Metu confuſionis & obſcuritatis., *N*. At apprehenſio dirigitur à Logica, ſi non metu falſitatis, ſaltem metu obſcuritatis & confuſionis, quæ ſolet occurrere inter apprehendendum.

INST. *Quartò*. Atqui apprehenſio ſimplex non eſt dirigibilis ad veritatem, metu obſcuritatis & confuſionis.

PROB. SUBS. Operatio ſimpliciſſima, unicum ſimplexque repræſentans objectum, non poteſt eſſe obſcura vel confuſa : atqui apprehenſio ſimplex eſt operatio ſimpliciſſima, unicum ſimplexque repræſentans objectum ; ergo nec obſcura, nec confuſa eſſe poteſt.

RESP. DIST. MAj. Operatio ſimpliciſſima tam formaliter quàm præſuppoſitivè, *C*. Formaliter ſolùm, *N*. Porro apprehenſio eſt quidem ſimplex formaliter, ſed eſt præſuppoſitivè complexa, quia multa præſupponit objecta ita permixta, ut ſine Tractatu de Categoriis & Univerſalibus ; difficile ſit unumquodque diſtinctè percipere.

INST. *Quinto*. Si apprehenſio non ſit formaliter confuſa vel obſcura ; ergo formaliter ſumpta non eſt dirigibilis ad veritatem.

RESP. DIST. CONS. Ergo formaliter ſumpta non eſt dirigibilis per ſe, ſuamque immediatè eſſentiam, *C*. Per conditiones requiſitas, ſine quibus ipſa non poteſt bene ſe habere, *N*.

QUÆSTIO QUARTA.

De neceſſitate Logices ad alias ſcientias.

I. PROPOSITIO.

Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias in ſtatu perfecto comparandas.

PROBATUR. Ea diſciplina non eſt ſimpliciter neceſſaria, ad alias ſcientias in ſtatu perfecto comparandas, ſine qua cæteræ ſcientiæ poſſunt abſolutè comparari in ſtatu perfecto; atqui ſine Logica artificiali poſſunt comparari cæteræ ſcientiæ in ſtatu perfecto; nam ſcientiæ primariæ & directæ poſſunt comparari, ſine ſcientia ſecundaria tantùm & reflexa. Atqui cæteræ præter Logicam ſcientiæ, ſunt primariæ & directæ, Logica verò eſt ſcientia ſecundaria tantùm & reflexa, quę non comparatur niſi per reflexionem ſupra cęteras ſcientias præhabitas. Ergo ſine Logica artificiali poſſunt comparari cæteræ ſcientiæ, vel etiam in ſtatu perfecto, proindeque Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria, ad alias ſcientias etiam in ſtatu perfecto comparandas.

OBJECTIO.

EA diſciplina eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias comparandas, ſine qua cæteræ ſcientiæ non poſſunt abſolutè comparari in ſtatu perfecto: atqui ſine Logica cæteræ ſcientiæ non poſſunt abſolutè comparari.

PROB. MIN. Sine ea diſciplina non poſſunt aliæ ſcientiæ comparari, quæ ſola ſcientes facit, quâ clauſâ clauduntur alię, quâ apertâ cæteræ omnes patent: atqui Logica artificialis eſt hujuſmodi, *ex S. Auguſt. Lib. 1. de Ordine, Cap. 13.*

RESP. DIST. MIN. Atqui ſola Logica ſcientes facit, ſpectando id quod ut plurimùm fit, *C.* ſpectando id quod fieri poteſt abſolutè, *N.* Licèt enim ordinariè aliæ ſcientiæ non acquirantur niſi interven-

tu Logicæ, poſſunt tamen abſolutè comparari ſine Logica.

Inst. *Primò.* Ut aliquis ſit perfectè ſciens debet ſcire ſe ſcire, ſe bene proceſſiſſe in acquirenda ſcientia ſua: atqui ſine Logica artificiali nemo poteſt abſolutè ſcire ſe ſcire.

Prob. min. Nemo poteſt abſolutè ſcire ſe ſcire ſine modo & inſtrumento ſciendi: atqui modus ſeu inſtrumentum ſciendi, eſt Logica artificialis.

Resp. Dist. Maj. Nemo poteſt ſcire ſe ſcire ſine modo ſciendi naturali, *C.* Sine modo ſciendi artificiali, *N.* At Logica naturalis eſt modus ſciendi naturalis & abſolutè ſufficiens.

Inst. *Secundò.* Atqui nemo poteſt ſcire ſe ſcire ſine modo ſciendi artificiali.

Prob. Subs. Nemo poteſt ſcire ſe ſcire, niſi calleat leges tutò procedendi in ſcientiis acquirendis: atqui ſine modo ſciendi artificiali nemo poteſt ſcire leges tutò procedendi in ſcientiis acquirendis.

Resp. Dist. Maj. Niſi calleat leges tutò procedendi in ſcientiis, calleat æquivalenter per Logicam naturalem ſeu evidentiam, *C.* Niſi calleat formaliter per actualem reflexionem, *N.*

Inst. *Tertiò.* Atqui ſine modo ſciendi artificiali nemo poteſt ſcire æquivalenter & ſufficienter leges procedendi in ſcientiis.

Prob. Subs. Nemo poteſt ſcire ſufficienter leges procedendi in ſcientiis, niſi aliunde penetret bonitatem definitionis, diviſionis & demonſtrationis: atqui ſine modo ſciendi artificiali nemo poteſt aliunde penetrare vim & bonitatem definitionis, diviſionis & demonſtrationis.

Resp. Nego Min. Nam per ſolam terminorum evidentiam, atque ſedulam attentionem penetrari poteſt abſolutè, vis & connexio prædicati cum ſubjecto, antecedentis cum conſequente, idque liquet, vel ex eo quòd prima demonſtratio, per quam comparata fuit prima Logica, ſine regulis & legibus comparata fuerit.

Inst. *Quartò.* Nemo poteſt abundè penetrare bonitatem definitionis, diviſionis & demonſtrationis, niſi noverit genus & differentiam, majus & minus

extremum : atqui ſine modo ſciendi artificiali nemo poteſt dignoſcere quid ſint genus & differentia, majus & minus extremum.

Resp. Dist. Min. Atqui ſine modo ſciendi artificiali nemo poteſt dignoſcere quid ſit genus formaliter ſumptum, ut genus eſt, *C.* Quid genus materialiter ſumptum, quod eſt genus, v. g. vivens ſentiens in homine, *N.* At ſufficit abſolutè dignoſcere genus materialiter ſumptum.

Inst. *Quintò.* Atqui ad habendam ſcientiam in ſtatu perfecto non ſufficit dignoſcere genus materialiter aut majus extremum materialiter ſumptum.

Prob. Subs. Ut aliquis habeat ſcientiam in ſtatu perfecto, ita debet eſſe comparatus, ut valeat ſolvere fallacias & ſophiſmata contra veritatem pugnantia : atqui hoc nemo præſtare poteſt, niſi dignoſcat genus & majus extremum formaliter ſumptum.

Resp. Dist. Maj. Ut valeat reſolvere fallacias & ſophiſmata utendo terminis naturalibus & primę intentionis, v. g. *cauſæ*, *effectûs*, *partis*, *totius*, *C.* utendo terminis artificialibus & ſecundę intentionis, v. g. *ex puris negantibus*, vel *ex puris particularibus nihil concluditur*, *N.* At ſufficit ad hoc cognoſcere genus materialiter, pariter & majus minuſve extremum.

Inst. *Sextò* Nemo poteſt ſolvere fallacias pugnantes contra rectam Logicę formam, niſi noverit formam Logicam : atqui fieri poteſt ut fallacię ſe teneant ex parte formæ ſyllogiſticę, & pugnent contra rectam Logicę formam.

Resp Dist. Maj. Niſi noverit formam Logicę ſaltem ęquivalenter per evidentiam, *C.* Formaliter per reflexionem ſupra leges & regulas ſyllogiſmorum, *N.* v. g. Si fallacia concludat ex particularibus, reſpondebit qui fuerit Logica artificiali deſtitutus, nihil ſequi ex parte ad totum.

Inst. *Septimò.* Tam ad rectè diſſerendum, vel ad reſolvendas difficultates contra operationes mentis, opus eſt Logicâ artificiali formaliter ſumpta, quàm opus eſt arte pingendi vel ſaltandi, ad rectè & ſine errore pingendum & ſaltandum : atqui hoc poſterius neceſſe eſt.

Resp. *Primò.* Nego Maj. & parit. Ratio diſ-

paritatis eſt, quia in aliis artibus nihil eſt fortaſſis, quod ęquivaleat earum regulis & pręceptis : at in Logica eſt aliquid æquivalens regulis Logicæ artificialis, nimirùm evidentia connexionis prędicati cum ſubjecto, conſequentis cum antecedente.

Resp. *Secundò.* Nego Min. Nam abſolutè loquendo poteſt aliquis, quamquam difficiliùs appoſitè pingere ſine arte pingendi formata: ſic qui primus omnium rectè pinxit, videtur pinxiſſe abſque arte pingendi formata.

Inst. *Octavò.* Nemo poteſt habere objectum Logicæ ſine Logica: atqui operationes mentis ſunt objectum Logicæ.

Resp. Dist. Min. Operationes mentis ut dirigendę per regulas & pręcepta Logicæ, C. Operationes mentis præcisè, N. Quare opus eſt Logica artificiali ad operationes mentis exercendas per regulas & pręcepta: non, ad operationes mentis ſimpliciter & abſolutè exercendas, evidentiâ monſtrante viam.

II. PROPOSITIO.

Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias in ſtatu perfecto comparandas.

Probatur. Ea diſciplina eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias in ſtatu perfecto comparandas; ſine quâ nemo poteſt eſſe perfectè ſciens, & imperturbabilis in ſuâ ſcientiâ. Atqui ſine Logica artificiali nemo poteſt eſſe perfectè ſciens, & imperturbabilis in ſcientiâ ſuâ; nam nemo poteſt eſſe perfectè ſciens, niſi ſciat ſe bene proceſſiſſe in ſcientiâ ſuâ: atqui ſine Logica nemo poteſt ſcire ſe benè proceſſiſſe in ſua ſcientia; quia ſola Logica docet modum benè procedendi in ſcientiis comparandis. Ergo ſine Logica artificiali nemo poteſt eſſe perfectè ſciens, proindeque Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias in ſtatu perfecto comparandas.

OBJECTIO.

Ea ſcientia non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias, ſine quâ cæteræ ſcientiæ poſſunt abſo-

ſute comparari : atqui ſine Logica artificiali poſſunt abſolute comparari aliæ ſcientiæ in ſtatu perfecto.

Prob. Min. Scientiæ directæ & primariæ poſſunt abſolute comparari ſine ſcientia reflexa & ſecundaria : atqui cæteræ ſcientiæ ſunt directæ, Logica verò artificialis, eſt reflexa & poſterior.

Resp. Dist. Min. Atqui cæteræ ſcientiæ ſunt directæ & priores, ſi ſpectentur in ſtatu imperfecto, C. Si ſpectentur in ſtatu perfecto, N. Igitur Logica eſt prior ſimul & poſterior aliis ſcientiis : prior illis in ſtatu perfecto ſpectatis, poſterior illis in ſtatu imperfecto.

Inst. *Primò.* Tunc ſcientia habetur in ſtatu perfectò, quando eſt cognitio vera, certa & evidens rei neceſſariæ per cauſas : atqui ante Logicam inventam per reflexionem, fuerunt cognitiones veræ, certæ & evidentes rerum neceſſariarum per cauſas.

Resp. Dist. Maj. Quando eſt cognitio talis, ut ſciens ſit imperturbabilis in ſua ſcientia, C. Secùs, N. At ſine Logica artificiali nemo ſciens, eſſe poteſt imperturbabilis in ſua ſcientia, quia poterit irretiri fallaciis & ſophiſmatibus.

Inst. *Secundò.* Tunc aliquis eſt ſciens & imperturbabilis in ſua ſcientia, quando evidentem deprehendit connexionem conſequentis cum antecedente : atqui ſine Logica artificiali deprehendi poteſt evidens connexio antecedentis cum conſequente : v. g. in Phyſica ſic, *Corpus mixtum conſtat ex contrariis ; ergo eſt corruptibile.*

Resp. Dist. Min. Poteſt ſine Logica deprehendi evidens connexio conſequentis cum antecedente in materia faciliori, C. In quacumque materia, vel difficiliori, N. Ad hoc enim non ſufficit naturale lumen.

Inst. *Tertiò.* Res Mathematicæ ſunt materia difficilis : atqui ſine Logica artificiali deprehendi poteſt evidens connexio conſequentis cum antecedente in rebus Mathematicis.

Prob. Min. Sunt Mathematici, & quidem eruditionis ſingularis qui nunquam rebus Logicis ſtuduerunt ; ergo ſine Logica artificiali deprehendi poteſt evidens connexio conſequentis cum antecedente in rebus Mathematicis.

Resp. Dist. Ant. Sunt Mathematici qui nunquam rebus Logicis ſtuduerunt ſeorſim à Matheſi, C. Unà cum Matheſi, N. Nam didicerunt ſimul & Matheſim & Logicam, audiendo quid eſſet definitio, diviſio & argumentatio.

Inst. *Quartò* Illi ſunt perfecti Mathematici, qui Mathematicas concluſiones omnes deducunt ex principiis: atqui ſine ulla Logica poſſunt deduci concluſiones Mathematicæ omnes.

Pro. Min. Quæ continentur in principiis à Logica independentibus poſſunt deduci ex illis ſine Logica: atqui concluſiones Mathematicæ omnes continentur in principiis Matheſeos a Logica independentibus.

Resp. Dist. Maj. Quæ continentur formaliter & explicitè, C. virtualiter tantùm & implicitè, N. At concluſiones Matheſeos continentur implicitè ſolùm in principiis: ideoque opus eſt Logicâ, ut tutò inde eruantur ſine errandi formidine.

Inst. *Quintò*. Atqui ut eruantur turò concluſiones Matheſeos ex principiis nullâ opus eſt artificiali Logicâ.

Prob. Subs. Logica requiritur ſolùm ad eas faciliùs eruendas, non autem ad eas abſolutè eruendas: ergo poſſunt abſolutè erui ex principiis ſine Logica artificiali.

Prob. Ant. Habitus naturalis dat ſolùm ut faciliùs obtineamus, quod ſine illo abſolutè poſſumus, v. g. habitus temperantiæ ad faciliùs vivendum temperanter: atqui Logica artificialis eſt habitus naturalis; ergo dat ſolùm, ut faciliùs eruamus concluſiones Matheſeos.

Resp. Dist. Min. Atqui Logica artificialis eſt habitus naturalis, Logica habitualis, C. Actualis, N. At Logica ſaltem actualis ſeu reflexio ſupra operationes mentis requiritur abſolutè ut turò diſſeramus.

Inst. *Sextò* Si opus eſſet Logica artificiali ad eruendas concluſiones in Mathematica aliiſque ſcientiis, Logica eſſet quoque neceſſaria ad ſeipſam, ut ſuas erueret concluſiones: atqui hoc dici non poteſt.

Resp. Nego Maj. Nam quamvis aliæ ſcientiæ egeant Grammaticâ ad congruè loquendum, ipſa tamen Grammatica non eget alia priori Grammati-

ca ad congruè loquendum. Ita quamvis aliæ ſcientiæ egeant Logicâ, ipſa tamen Logica non eget aliâ Logicâ ad differendum: quia *quod eſt tale per ſe, non indiget fieri tale per aliud.*

Inst. *Septimò.* Logica eſſet neceſſaria ad eruendas concluſiones Logicas: atqui concluſiones Logicæ ſunt ipſa Logica, ſaltem actualis; ergo neceſſaria eſſet ad ſeipſam.

Resp. Dist. maj. Logica dirigens & ſecundùm diverſas ſui partes, *C.* Logica directa & ſecundùm eandem ſui partem, *N.* Porrò concluſiones Logicæ, ſunt ipſa Logica directa, non autem dirigens; Logica igitur dirigens eſt neceſſaria ad directam: ſed directa non eſt neceſſaria ad ſeipſam, alioquin eſſet prior & poſterior ſeipsâ.

QUÆSTIO QUINTA.

De diſtinctione Logicæ docentis ab utente.

Iª. PROPOSITIO.

Logica docens & utens ſunt duo habitus realiter inter ſe diſtincti.

Probatur. Illi habitus diſtinguuntur realiter qui tollunt diſtinctas realiter difficultates; atqui Logica docens & utens tollunt diſtinctas realiter difficultates; nam Logica docens tollit difficultatem quæ occurrit in cognoſcendis Logicæ præceptis; Logica verò utens tollit difficultatem quæ occurrit in applicandis Logicæ præceptis: atqui eæ difficultates ſunt ab invicem realiter diſtinctæ & ſeparabiles; fit enim ſæpiùs ut ſuperatâ difficultate, quæ eſt in cognoſcendis Logicæ pręceptis, ſuperſit adhuc difficultas non mediocris in iiſdem pręceptis applicandis; idque præſertim videre eſt in regulis ſyllogiſmorum executioni demandandis. Ergo Logica docens & utens tollunt diſtinctas realiter difficultates, proindeque ſunt duo habitus realiter inter ſe diſtincti.

OBJECTIO.

Illi habitus non diſtinguuntur realiter, qui non tollunt diverſas difficultates; atqui Logica docens & utens

utens non tollunt diverſas difficultates; ergo Logica docens & utens non diſtinguuntur realiter.

Prob. Min. Si ſuperatâ difficultate, quæ eſt in cognoſcendis Logicæ præceptis nulla remaneat difficultas ſuperanda in applicandis, certè Logica docens & utens non tollunt diverſas difficultates: atqui ſuperatâ per docentem difficultate, quæ eſt in cognoſcendis Logicæ præceptis, nulla remanet difficultas ſuperanda per utentem in iiſdem applicandis.

Prob. Min. Si remaneret alia difficultas in applicandis præceptis ſuperatâ difficultate in cognoſcendis, illa difficultas ſe teneret vel èx parte materiæ, vel ex parte formæ Logicæ, vel ex parte facultatis dirigentis & exequentis: atqui non ſe tenet, *Primò*, ex parte materiæ, quia eam ſubminiſtrare aliarum eſt ſcientiarum. *Secundò*, non ſe tenet ex parte formæ, quia eam ſuppeditat Logica docens: *Tertiò*, non ex parte facultatis dirigentis & exequentis, quia idem eſt intellectus qui docet & exequitur præcepta Logicæ.

Resp. Nego Min. Et dico novam illam difficultatem ſe tenere ex parte formæ, non quidem cognoſcendæ, ſed introducendæ in materiam, vel potiùs ex parte facultatis exequentis, quæ neſcio quam ingenii tarditatem experitur in applicandis Logicæ præceptis.

Inst. *Primò*. Ibi nulla debet ſe tenere difficultas ex parte facultatis exequentis, ubi eadem eſt facultas dirigens & exequens: atqui idem eſt intellectus, qui docet ſeu dirigit, & qui exequitur, jamque ſupponitur facilè dirigere ſeu noſſe formam Logicam.

Resp. Dist. Maj. Ubi eadem eſt facultas dirigens & exequens ſine novâ difficultate, C. Dirigens & exequens cum novâ difficultate, N. At intellectus novam patitur difficultatem in exequendis Logicæ præceptis, iiſque in ſubjectam materiam introducendis, ut vel ipsâ conſtat experientiâ.

Inst. *Secundò*. Facultas adjuta habitu ſubordinante non patitur novam difficultatem in exercendis actibus habitûs ſubordinati, v. g voluntas amans Deum facilè amat proximum: atqui actus Logicæ utentis ſunt ſubordinati actibus & habitui Logicæ docentis; ergo intellectus Logicâ docente inſtructus

non patitur novam difficultatem in exequendis Logicæ præceptis.

RESP. DIST. MAj. Facultas adjuta habitu ſubordinante non patitur novam difficultatem in actibus ſubordinati habitûs, quando actus non exigunt novum habitum, ut facilè exerceantur, v. g. actus amoris proximi in eo qui amat Deum, C. Quando actus illi ſubordinati novum exigunt habitum, ut v. g. actus Medicinæ in eo qui habet Phyſicam, N. At actus Logicæ docentis & utentis exigunt diverſum habitum, ſicut actus Medicinæ & Phyſicæ.

INST. *Tertio.* Ut exerceatur actus Logicæ utentis, ſufficit ſedula attentio ad præcepta Logicæ docentis jam cognita.

RESP. DIST. ANT. Ut exerceantur utcunque, nec ſine difficultate; C. Ut exerceantur facilè & promptè, N. Nam præterea requiritur praxis & uſus, quo novus comparatur exequendi habitus, nova facilitas, quæ ſanè major eſt centeſimâ vice quàm primâ.

INST. *Quartò.* Atqui ad exercendos facilè actus ſubordinatos Logicæ docentis & utentis ſufficit unicus habitus cum attentione.

PROB. SUBS. Toties ſufficit unicus habitus ad exercendos actus ſubordinatos, quoties unicum eſt objectum actuum ſubordinatorum: atqui unicum eſt objectum actuum Logicæ docentis & utentis nempe operationes mentis; ergo ſufficit unicus Logicæ docentis & utentis habitus.

RESP. DIST. MAj. Quoties unicum eſt objectum formale, C. objectum materiale, N. At in Logica docente & utente duo ſunt diverſa objecta formalia, nimirum docere & exequi; aliud autem eſt docere, aliud exequi, ut experientiâ conſtat.

INST. *Quintò.* Unicum eſt objectum formale Logicæ docentis & utentis, ſi utraque habeat pro objecto formali dirigibilitatem operationum mentis ad veritatem: atqui ita ſe res habet.

RESP. DIST. MAj. Unicum eſt objectum formale genericum, C. ſpecificum, N. Nam quamvis Logica docens & utens conveniant in dirigibilitate mentis operationum, differunt tamen in eo quòd docens dirigat cognoſcendo & tradendo præcepta,

utens verò exequendo tradita & cognita præcepta.

Inst. *Sextò* Atqui implicat Logicam docentem & utentem habere idem objectum genericum, niſi habeant & ſpecificum.

Prob. Subs. Implicat objectum conſtitutivum & diſtinctivum alicujus ſcientiæ, eſſe genericum & commune: atqui objectum formale, eſt conſtitutivum & diſtinctivum ſcientiarum; ergo implicat dari objectum formale genericum.

Resp. Dist. Maj. Implicat objectum diſtinctivum eſſe genericum & commune iis à quibus eſt diſtinctivum, *C.* iis quorum eſt diſtinctivum, *N.* At dirigibilitas operationum mentis diſtinguit Logicam docentem & utentem ab aliis ſcientiis: ideoque non eſt communis & generica aliis ſcientiis, ſed non diſtinguit Logicam docentem ab utente: ideoque poteſt eſſe communis utrique: ſicut ſenſitivitas diſtinguens hominem à plantis, eſt communis homini cum belluis.

Inst. *Septimò.* Una diſciplina debet habere idem objectum formale ſpecificum: atqui Logica docens & utens ſunt una diſciplina.

Resp. Dist. Maj. Una diſciplina ſimplex & partialis, *C.* Complexa & totalis, *N.* Alioqui tota latè Philoſophia unicum haberet objectum formale ſpecificum pro Logicâ, Phyſicâ & aliis, quod apertè falſum eſt.

II. PROPOSITIO.

Logica docens & utens non ſunt duo habitus realiter diſtincti.

Probatur. Illi habitus non diſtinguuntur realiter quorum unum eſt idemque objectum formale; habitus enim ſpecificantur ab objectis formalibus. Atqui Logicæ docentis & utentis unum eſt idemque objectum formale, nempè dirigibilitas trium mentis operationum ad veritatem per regulas & præcepta. Ergo Logica docens & utens non ſunt duo habitus realiter inter ſe diſtincti.

OBIECTIO.

Illi habitus ſunt realiter inter ſe diſtincti, qui tollunt diſtinctas realiter difficultates: atqui Logica docens & utens tollunt diſtinctas realiter difficultates; ergo Logica docens & utens ſunt duo habitus realiter inter ſe diſtincti.

Prob. Min. Logica docens tollit eam difficultatem, quæ eſt in cognoſcendis Logicæ præceptis, Logica verò utens tollit eam difficultatem, quæ eſt in applicandis Logicæ præceptis: atqui duæ illæ difficultates ſunt realiter diſtinctæ.

Prob. Min. Experientiâ conſtat ſæpè ſæpiùs Logicis eſſe nota Logicæ præcepta, cùm interim gravem patiantur difficultatem in definiendo, dividendo & argumentando; ergo difficultates docendi & applicandi ſunt realiter diſtinctæ.

Resp. Dist. ult. Ant. Cùm interim gravem patiantur difficultatem, in definiendo, dividendo & argumentando, difficultatem quæ ſe teneat ex parte materię, vel defectu attentionis ad pręcepta Logicæ, C. Difficultatem quæ ſe teneat ex defectu habitûs Logicæ utentis, N.

Inst. *Primò*. Idem contingit in Logica utente, quòd in Grammatica utente: atqui ſæpè fit, ut qui novit Grammaticæ regulas & præcepta ad congruè loquendum, qui præſentem habet materiam, de quâ congruè loquatur, qui tandem omnem animi attentionem adhibet ad congruè loquendum, adhuc patiatur difficultatem in congruè loquendo ex tempore; ergo id provenit ut in Grammaticâ, ita & in Logicâ ex defectu habitûs utentis.

Resp. Dist. Min. Atqui ſæpè fit ut qui novit Grammaticæ regulas patiatur adhuc difficultatem in congruè loquendo, qui novit memoriter ſolùm, C. Qui novit ſcientificè, earumque vim penetrat, N.

Inst. *Secundò*. In applicandis ut Grammaticæ ſic & Logicæ præceptis eſt quædam ingenii tarditas ſuperanda etiam ab iis, qui Logicâ docente ſcientificâ prædıti ſunt.

Resp. Dist. Maj. In applicandis præceptis eſt quædam ingenii tarditas ſuperanda per ſedulam at-

tentionem ad regulas, *C.* Superanda per novum habitum, *N.*

Inst. *Tertiò.* Ibi opus eſt novo habitu Logicæ utentis, ubi requiritur facilitas exequendi præcepta, diſtincta à facilitate cognoſcendi præcepta; atqui requiritur facilitas exequendi diſtincta realiter à facilitate cognoſcendi præcepta Logicæ.

Prob. Min. Et ſuppono quempiam perfectè penetrare vim præceptorum Logicæ per actus Logicæ docentis ſæpè repetitos; nunquam verò vel rarò exercuiſſe illa præcepta: atqui in illa hypotheſi habebit facilitatem cognoſcendi præcepta ſine facilitate ea applicandi.

Resp. Nego Min. Cùm enim eadem ſit entitas utriuſque facilitatis cognoſcendi & exequendi, ſi ſemel habeat facilitatem unam, habebit & alteram.

Inst. *Quartò.* Habebit ille, quem ſuppono, facilitatem, quæ comparatur per actus Logicæ docentis ſæpè repetitos: atqui per actus ſæpè repetitos Logicæ docentis producitur ſola facilitas docendi, nullatenùs facilitas exequendi; ergo habebit facilitatem cognoſcendi præcepta ſine facilitate ea applicandi.

Prob. Min. Facilitas non producitur niſi per actus ſibi reſpondentes & ſimiles: atqui actus Logicæ docentis non ſunt ſimiles aut reſpondentes facilitati Logicæ utentis; ergo per actus Logicæ docentis nullatenùs producitur facilitas exequendi.

Resp. Dist. Min. Atqui actus Logicæ docentis non ſunt ſimiles facilitati Logicæ utentis, facilitati ſpectatæ, formaliter ut eſt utens, *C.* Facilitati ſpectatæ realiter & identicè, *N.* Cùm enim eadem ſit docentis atque utentis entitas, dum producitur una, producitur & altera quoad entitatem & realiter.

Inst. *Quintò.* Per actus Logicæ utentis non producitur facilitas docendi quoad entitatem; ergo à pari per actus Logicæ docentis non producitur facilitas utendi quoad entitatem.

Resp. Nego Conseq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia actus Logicæ utentis ſupponit jam comparatam Logicam docentem cui ſubordinatur: at verò actus Logicæ docentis non ſupponit habitum Lo-

gicæ utentis jam comparatum, imò ei comparando non parùm inſervit.

Inst. *Sextò*. Ibi non eſt producta Logica utens etiam quoad entitatem, ubi nova ſubinde producitur facilitas definiendi, dividendi & argumentandi: atqui per actus Logicæ utentis producitur ſubinde facilitas definiendi, dividendi & argumentandi.

Prob. Min. Ibi producitur nova facilitas definiendi, dividendi & argumentandi, ubi minùs difficultatis ſupereſt: atqui ſucceſſu temporis minùs ſupererit difficultatis definiendi, dividendi & argumentandi, quàm fuerat ab initio.

Resp. Dist. Min. Atqui ſucceſſu temporis minùs difficultatis ſupererit definiendi, dividendi, & argumentandi, ob incrementum quotidianum prioris habitûs, *C*. Secùs, *N*. At qui fuerat primâ vice productus per actus Logicæ docentis habitus, pergit augeri per actus Logicæ utentis ſæpè repetitos.

Inst. *Septimò* Sed diverſus eſt habitus, qui producitur primâ vice per actus docentis, ab eo qui producitur ſecundâ vice per actus utentis, ſicut & actus à quibus producuntur ſunt diverſi.

Resp. Dist. Sed diverſus eſt habitus, diverſus, officio, munere & formalitate, *C*. Diverſus re & entitate, *N*. Nam eadem habitûs entitas diverſa ſortitur nomina pro diverſo munere atque officio.

Inst. *Octavò*. Illi habitus ſunt diverſi re atque entitate, qui ſæpè ſeparantur quoad exiſtentiam: atqui habitus docendi ſeparatur quoad exiſtentiam ab habitu utendi, qui ſucceſſu temporis acquiritur.

Resp. Dist. Min. Atqui habitus docendi ſpectatus quoad ſui principium, ſeparatur ab habitu exequendi ſpectato quoad ſui incrementum, *C*. Habitus docendi ſpectatus quoad ſui principium ſeparatur ab habitu exequendi ſpectato quoad ſui principium, *N*. Igitur dum incipit habitus docendi, incipit quoque habitus exequendi. *Secundò*, Dum ſubinde creſcit habitus docendi, creſcit & habitus exequendi, & vice verſâ, aucto habitu exequendi, augetur habitus docendi, quia ſunt una eademque entitas, ex hypotheſi.

QUESTIO SEXTA.

An apprehenſio incomplexa ſit capax falſitatis.

I. PROPOSITIO.

Apprehenſio incomplexa non eſt capax falſitatis.

Probatur. Ea mentis operatio non eſt capax falſitatis, quæ non poteſt repræſentare objectum ſuum aliter quam eſt; atqui apprehenſio incomplexa non poteſt objectum ſuum aliter repræſentare quam eſt: nam ut apprehenſio repræſentaret objectum ſuum aliter quam eſt, deberet vel objecto ſuo alienum quid affingere, vel proprium aliquid detrahere; atqui apprehenſio incomplexa nec poteſt objecto ſuo alienum quid affingere, nec proprium aliquid detrahere; non quidem affingere, alioqui jam non eſſet incomplexa, ſiquidem jam plura repræſentaret, contra ſuppoſitionem; neque etiam detrahere, alioqui totum non repræſentaret objectum, adhuc contrà ſuppoſitionem, ſi quidem apprehenſio totum repræſentat id quod repræſentat. Ergo apprehenſio incomplexa non poteſt objectum ſuum aliter repræſentare quàm eſt, proindeque non eſt capax falſitatis.

OBJECTIO.

Operatio mentis capax veritatis, eſt quoque capax falſitatis: atqui apprehenſio incomplexa, eſt capax veritatis: ergo & falſitatis.

Resp. Nego Maj. Vel Dist. Maj. Operatio mentis capax veritatis, eſt quoque capax falſitatis, ſi poſſit eſſe difformis objecto ſuo, *C.* Si non poſſit eſſe difformis objecto ſuo, *N.* Porro apprehenſio incomplexa non poteſt eſſe difformis objecto ſuo, quia non poteſt repræſentare objectum alio modo quàm ſit.

Inst. *Primo.* Si ſubjectum capax unius contrarii, ſit etiam capax alterius contrarii, operatio capax veritatis, eſt quoque capax falſitatis: atqui ſubjectum capax contrarii, eſt quoque capax alterius.

Resp. dist. min. Atqui ſubjectum capax unius contrarii, ſeparabilis à ſubjecto, capax eſt alterius, *C*. Subjectum capax unius contrarii inſeparabilis à ſubjecto, *N*. Sic Deus eſt capax juſtitiæ, non tamen injuſtitiæ: Porro veritas eſt inſeparabilis ab apprehenſione incomplexâ.

Inst. *Secundo*. Atqui omne contrarium eſt ſeparabile à ſubjecto.

Prob. Subs. Ea ſunt ſeparabilia à ſubjecto, quæ ſe ſe mutuò expellunt ab eodem ſubjecto: atqui contraria dicuntur ea quæ ſe ſe mutuò expellunt ab eodem ſubjecto; ergo omne contrarium eſt ſeparabile à ſubjecto.

Resp. dist. min. Atqui contraria dicuntur ea, quæ ſe ſe mutuò expellunt ab eodem ſubjecto, niſi alterum eorum inſit à natura, *C*. Si alterum eorum inſit à natura, *N*. Sic calor non eſt ab igne ſeparabilis: ita veritas ineſt apprehenſioni incomplexæ à natura.

Inst. *Tertiò* Omne accidens poteſt adeſſe & abeſſe à ſubjecto: atqui veritas eſt accidens apprehenſionis incomplexæ, ſiquidem non eſt de eſſentia ipſius.

Resp. Dist. Maj. Omne accidens poteſt adeſſe & abeſſe à ſubjecto, accidens commune, *C*. Proprium, subdistinguo. Poteſt abeſſe à ſubjecto abſentiâ præciſivâ, *C*. Abſentiâ reali vel judicativâ, *N*. At veritas eſt accidens proprium apprehenſionis incomplexæ.

Inst. *Quarto*. Atqui veritas poteſt abeſſe ab apprehenſione incomplexâ, abſentiâ reali, phyſicâ & judicativâ.

Prob. Subs. Veritas poteſt ſeparari ab ea operatione, quæ poteſt repræſentare objectum alio modo quàm eſt: atqui apprehenſio incomplexa poteſt repræſentare objectum alio modo quàm ſit.

Prob. min. Apprehenſio poteſt repræſentare objectum eo modo quo eſt; ergo etiam poteſt repræſentare alio modo quàm eſt.

Resp. nego. Conſequent. & parit. Ratio diſparitatis, eſt quia ut repræſentet objectum eo modo quo eſt, ſatis eſt quòd totum repreſentet objectum, nihilque alienum ipſi affingat, id autem poteſt: at verò ut repræſentaret objectum alio modo quàm eſt, deberet repræſentare objectum & modum objecti

alienum ab objecto, id autem non poteſt, alioqui deſineret eſſe incomplexa.

INST. *Quinto.* Suppono quempiam procul aſpicere canem, & interim apprehendere lupum: atqui in illa hypotheſi apprehenſio incomplexa repræſentaret objectum alio modo quàm ſit.

PROB. MIN. Objectum illius apprehenſionis eſt canis: atqui illa apprehenſio non repręſentat canem ut eſt, ſed lupum; ergo illa apprehenſio repręſentaret objectum alio modo quàm eſt.

RESP. NEGO MAJ. Nam objectum apprehenſionis eſt id quod per ipſam repræſentatur: atqui non canis ſed lupus repræſentatur; ergo objectum illius apprehenſionis non eſt canis ſed lupus.

INST. *Sexto.* Illud eſt objectum apprehenſionis, quod objicitur conſiderandum, eſtque præſens apprehendenti: atqui canis in illa hypotheſi objicitur conſiderandus, eſtque præſens apprehendenti; ergo canis eſt objectum illius apprehenſionis.

RESP. DIST. MAJ. Illud eſt objectum apprehenſionis quod objicitur conſiderandum, objicitur intellectui, *C.* Viſui, *N.* Porro canis in illa hypotheſi eſt quidem præſens viſui, ſed lupus intellectui.

INST. *Septimo.* Nihil eſt præſens intellectui, quod priùs non fuerit in ſenſu: atqui lupus non eſt in ſenſu apprehendentis; ergo nec præſens eſſe deberet intellectui.

RESP. DIST. MAJ. Quod priùs non fuerit in ſenſu occaſionaliter & ſecundùm formam ſaltem exteriorem, *C.* Formaliter, & ſecundùm formam interiorem ſeu eſſentiam, *N.* Porro in illa hypotheſi lupus non fuit quidem in ſenſu per formam interiorem lupi, bene autem per formam aliquam lupi exteriorem, quæ multùm accedit ad formam exteriorem canis.

INST. *Octavo.* Atqui apprehenſio quæ repræſentat lupum ad præſentiam canis eſt falſa.

PROB. SUBS. Illa apprehenſio eſt falſa, ex qua oritur judicium falſum: atqui ex illa apprehenſione, quæ repræſentat lupum ad præſentiam canis, oritur judicium falſum, putà illud (hoc quod video eſt lupus.)

RESP. DIST. MAJ. Illa apprehenſio eſt falſa

occaſionaliter & per accidens, ex qua oritur judicium falſum, *C.* Eſt falſa formaliter & per ſe, *N.*

INST. *Nono.* Atqui apprehenſio quæ repræſentat lupum ad præſentiam canis, eſt falſa formaliter & per ſe; ergo nulla ſolutio.

PROB. SUBS. Illa operatio eſt falſa formaliter & per ſe, quæ non repræſentat id quod debet repræſentare: atqui apprehenſio lupi ad præſentiam canis non repræſentat id quod debet repræſentare, putà canem.

RESP. DIST. MAJ. Illa operatio eſt falſa formaliter, ſi ſpectetur ratione rei repreſentandæ, *C.* Si ſpectetur ratione rei repræſentatæ, *N.* At apprehenſio magis attenditur ſecundùm rem repræſentatam, quàm ſecundùm rem repræſentandam.

INST. *Decimo.* Tabella ſeu imago hoc ipſo dicitur falſa, quo non repræſentat, id quod pictor habebat repræſentandum; ergo à pari apprehenſio hoc ipſo dici debet falſa, quo non repræſentat id quod intellectus habebat repræſentandum.

RESP. DIST. ANT. Tabella hoc ipſo dicitur falſa relativè ad intentionem pictoris, *C.* Abſolutè, *N.* Si enim tabella picta repræſentet leonem, cùm tamen debeat repræſentare equum, hæc tabella eſt abſolutè vera leonis tabella, & falſa relativè ad intentionem pictoris; at ſimpliciter & ſine addito æſtimari debet vera, quia magis attenditur abſolutè quàm relativè, magis ex fine operis, quàm ex fine operantis, magis ſecundùm quod primariò repræſentat.

INST. *Undecimò.* Sequeretur inde judicium ipſum nunquam eſſe falſum abſolutè, quia benè repræſentat id quod repræſentat.

RESP. NEGO Conſeq. Nam judicium & apprehenſio complexa dicuntur falſa, eo quòd jungant duo ſimul incompoſſibilia: v. g. crudelitatem cum Deo; non item apprehenſio incomplexa.

II. PROPOSITIO.

Apprehenſio incomplexa capax eſt falſitatis.

PROBATUR. Ea mentis operatio eſt capax falſitatis quæ poteſt eſſe difformis objecto: atqui ap-

prehenſio incomplexa poteſt eſſe difformis objecto; nam ea mentis operatio eſt difformis objecto quæ non repræſentat, id quod debet repræſentare: atqui, apprehenſio incomplexa quandoque non repræſentat id quod debet repræſentare, ut ſi quis ſibi repræſentet lupum, cum debeat ſibi repræſentare leonem. Ergo apprehenſio incomplexa poteſt eſſe difformis, objecto, proindeque eſt capax falſitatis.

OBIECTIO.

Ea mentis operatio non eſt capax falſitatis, quæ non poteſt eſſe difformis objecto ſuo: atqui apprehenſio incomplexa non poteſt eſſe difformis objecto ſuo; ergo non eſt capax falſitatis.

Prob. min. Ea mentis operatio non poteſt eſſe difformis objecto, quæ nihil ab objecto detrahit proprium, nihil objecto affingit alienum: atqui apprehenſio incomplexa nihil quidquam ab objecto detrahit proprium, nihilvè affingit alienum, quia objectum totum & unicum repræſentat; ergo non poteſt eſſe difformis objecto.

Resp. Dist. Min. Atqui apprehenſio nihil detrahit aut affingit objecto repreſentato, C. Objecto repreſentando, N. Nam ſæpè repreſentat aliud ab eo quod repreſentare debeat, v. g. leonem, pro bove.

Inst. *Primo.* Atqui veritas apprehenſionis non debet æſtimari ab objecto repreſentando, ſed repreſentato.

Prob. Subs. Veritas apprehenſionis non debet æſtimari ab eo circa quod non verſatur apprehenſio: atqui apprehenſio non verſatur circa rem repreſentandam, ſed circa rem repreſentatam; ergo veritas apprehenſionis non debet æſtimari ab objecto repreſentando.

Resp. Dist. Maj. Circa quam non verſatur, nec verſari debet, C. Sed verſari debet, N. Nam eo ipſo apprehenſio falſa eſt, quo non repræſentat, id quod erat repreſentandum.

Inst. *Secundò.* Atqui veritas aut falſitas apprehenſionis, non debet æſtimari ab eo circa quod verſari debet apprehenſio.

Prob. Subs. Si veritas apprehenſionis æſtimetur ab eo circa quod verſari debet apprehenſio, ea

erit vera, quæcumque fuerit intentio pictoris.

Resp. Dist. Min. Atqui intentio pictoris nihil facit ad veritatem tabellæ, intentio impertinens ad picturam, qualis eſt intentio lucri, C. Intentio pertinens ad picturam, v. g. intentio repræſentandi Cæſaris, N.

Inst. *Sextò.* Intentio quælibet etiam repręſentandi nihil facit ad veritatem tabellæ, ſi tabella judicetur elegans, quando eſt confecta juxta regulas artis, abſtrahendo ab intentione pingentis: atqui ita ſe res habet.

Resp. dist. Maj. Si tabella judicetur elegans abſtrahendo ab intentione pingentis, elegans ſecundùm id quod debet repręſentare, C. Secundùm id quod repræſentat, N. Porrò tabella confecta juxta regulas artis cenſetur elegans ſecundùm id quod repręſentat, non autem ſecundùm id quod debet repræſentare, hoc enim attenditur ex intentione pingentis.

Inst. *Septimò.* Tabella priùs attendi debet ſecundùm id quod repręſentat, quàm ſecundùm id quod repræſentare debet ex intentione pingentis.

Resp. dist. Ant. Priùs attendi debet, ſi ſpectetur abſolutè, C. Si ſpectetur relativè ad id cui conformari debet, N.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De diſtinctione graduum Metaphyſicorum.

I. PROPOSITIO.

Gradus Metaphyſici ejuſdem individui non diſtinguuntur realiter.

Probatur. Illi gradus non diſtinguuntur realiter, qui ſunt una eademque realiter entitas. Atqui omnes gradus Metaphyſici ejuſdem individui ſunt una eademque realiter entitas; nam illi gradus ſunt una eademque realiter entitas qui fundantur in iiſdem realiter principiis, quibus cum identificantur. At qui omnes gradus Metaphyſici, ejuſdem individui

fundantur in iiſdem realiter principiis quibuscum realiter identificantur, ſic, v. g. omnes gradus Metaphyſici Petri fundantu in corpore & animâ Petri ſimul unitis. Ergo gradus Metaphyſici ſunt una eademque realiter entitas, proindeque non diſtinguun realiter.

OBIECTIO I.

IDem ſit judicium de cæteris gradibus Metaphyſicis, quòd de animalitate & rationalitate Petri: atqui animalitas & rationalitas Petri diſtinguuntur realiter.

PROB. MIN. Partes ejuſdem totius, potentia & actus, ſubjectum & forma diſtinguuntur realiter: atqui animalitas & rationalitas ſunt partes ejuſdem totius, ſe habent ut potentia & actus, ſubjectum & forma.

RESP DIST. MAj. Partes phyſicæ, potentia & actus phyſici, ſubjectum & forma phyſica, C. Partes Metaphyſicæ, potentia & actus, ſubjectum & forma Metaphyſica, N. At animalitas & rationalitas ſe habent ut partes metaphyſicæ, nam ſunt partes ſicut ſunt gradus: atqui ſunt gradus metaphyſici.

INST. *Primò*. Partes totius phyſici ſunt partes phyſicæ: atqui animalitas & rationalitas ſunt partes totius phyſici, v. g. Petri: ergo ſunt partes phyſicæ.

RESP. DIST. MAj. Partes totius phyſici phyſicè ſumpti, C. Partes totius phyſici metaphyſicè ſumpti, N Porro animalitas & rationalitas ſunt partes Petri metaphyſicè ſumpti, ſeu Petri quatenus ſpectatur ut conſtans gradibus inſeparabilibus.

INST. *Secundò*. Partes quæ identificantur partibus phyſicis Petri phyſicè ſumpti, ſunt partes phyſicæ Petri phyſicè ſumpti: atqui animalitas & rationalitas identificantur partibus phyſicis Petri phyſicè ſumpti, nempe corpori & animæ.

RESP. DIST. MAj. Partes quæ identificantur partibus phyſicis diſtributivè ſumptis, C. Partibus phyſicis collectivè ſumptis, N. Porrò animalitas & rationalitas identificantur corpori & animæ collectivè ſumptis, id eſt, utraque utrique ſimul & indiviſim.

INST. *Tertiò.* Illi gradus identificantur corpori & animæ diſtributivè ſumptis, quorum unus identificatur ſoli corpori, alter ſoli animæ: atqui animalitas identificatur ſoli corpori, rationalitas ſoli animæ rationali; ergo identificantur corpori & animæ diſtributivè ſumptis.

RESP. NEGO MIN. Quoad utramque partem; alioqui cadaver hominis eſſet animal; & rationalitas Petri non differret à rationalitate animæ ſeparatæ.

Probatur primâ pars Minoris, quæ eſt de animalitate.

INST. *Quartò.* Gradus corporeus & materialis identificatur ſoli corpori & non animæ ſpiritali: atqui animalitas Petri eſt gradus corporeus & materialis; ergo animalitas Petri identificatur ſoli corpori & non animæ ſpiritali.

RESP. DIST. MAJ. Gradus corporeus purè, C. mixtim, N. Porro animalitas hominis non eſt gradus purè corporeus, ſed mixtim, quia fundatur in corpore ſimul & animâ rationali, atque ex unione utriuſque reſultat.

INST. *Quintò.* Ille gradus eſt in homine purè corporeus, per quem homo convenit univocè cum belluis purè corporeis: atqui homo convenit univocè cum belluis purè corporeis per animalitatem; ergo animalitas eſt gradus purè corporeus.

RESP. DIST. MAJ. Per quem homo convenit univocè cum belluis quatenus ſunt purè materiales, C. Cum belluis quatenus ſunt materiales præcisè, N. Porro homo convenit per animalitatem cum belluis quatenus ſunt materiales præcisè, non autem quatenus ſunt purè materiales: ſcilicet animalitas generatim, in quâ conveniunt homo & bellua, eſt quidem materialis, ſed non eſt purè materialis, abſtrahit enim à materiali purè & mixtim: quod ſingulari obſervatione dignum eſt.

INST. *Sextò.* Atqui animalitas hominis & belluæ, eſt purè materialis in utroque.

PROB. SUBS. Gradus qui in homine & in bellua oritur ab eodem prorſus principio, eſt purè materialis in utroque; atqui animalitas in homine & in bel-

ſua oritur ab eodem prorſus principio.

Prob. Min. Animalitas belluæ oritur ab anima ſentiente : ſed pariter animalitas hominis oritur ab animâ ſentiente ; ergo oritur ab eodem prorſus principio in homine & bellua.

Resp. Dist. Maj. Animalitas belluæ oritur ab anima ſentiente, quæ eſt purè materialis, C. Secùs, N. At animalitas hominis oritur ab anima ſentiente, quæ ſimul eſt ſentiens & rationalis, proindeque ſpiritalis.

Inst. *Septimò.* Quod in homine præcedit animam rationalem, non oritur ab anima rationali : atqui animalitas præcedit in fœtu humano animam rationalem ; ergo non oritur ab anima rationali.

Prob. Min. Quod præcedit operationes animæ rationalis, præcedit & animam rationalem : atqui animalitas hominis præcedit operationes animæ rationalis ; ergo præcedit & animam rationalem.

Resp. dist. min. Atqui animalitas hominis præcedit operationes animæ rationalis, ſpectatæ ut rationalis formaliter, C. Animæ rationalis ſpectatæ ut ſentientis, N. Nam eadem anima rationalis eſt ſentiens, vegetans & rationalis, ſub diverſis virtualitatibus.

Inst. *Octavò.* Niſi animalitas hominis præcederet animam rationalem entitativè ſumptam & abſolutè, ſenſationes hominum orirentur à principio ſpiritali : atqui hoc falſum eſt.

Prob. Min. Si ſenſationes hominum orirentur à principio ſpiritali aliquatenùs ; jam non eſſent ejuſdem rationis in hominibus & belluis : atqui ſenſationes ſunt ejuſdem rationis in hominibus & belluis.

Resp Dist. Maj. Jam ſenſationes non eſſent ejuſdem rationis in hominibus & belluis, non eſſent ejuſdem rationis principiativè, C. Formaliter & virtualiter, N. At quamvis ſenſationes hominum & belluarum ſint eædem formaliter, non tamen principiativè, quia oriuntur à diverſis principiis, ſicut liquefactio vel induratio Solis & ignis, eſt eadem formaliter, non tamen principiativè.

Probatur ſecunda pars Minoris, quæ eſt de rationalitate.

Inst. *Nonò.* Quod remanet in animâ à corpore

ſeparatâ identificatur ſoli animæ rationali : atqui rationalitas remanet in anima à corpore ſeparata, quia anima tunc ratiocinatur.

Resp. Dist. Min. Atqui rationalitas remanet in anima à corpore ſeparata, rationalitas inadæquatè ſumpta, & quæ ſit gradus Metaphyſicus ſolius animæ, *C*. Rationalitas adæquatè ſumpta, & quæ ſit gradus Metaphyſicus Petri, *N*. Hæc enim fundatur partim in corpore, partim in anima.

Inst. *Decimò*. Vel remanet rationalitas adæquatè ſumpta in anima rationali ſeparata, vel corpus dici poteſt principium rationalitatis adæquatè ſumptæ; atqui corpus non eſt principium rationalitatis adæquatè ſumptæ.

Prob. Min. Si corpus eſſet principium rationalitatis etiam inadæquatum, ubicumque eſſet corpus, ibi eſſet rationalitas ſaltem inadæquatè ſumpta: atqui hoc apertè falſum eſt.

Resp. dist. maj. Ubicumque eſſet corpus animatum animâ rationali, *C*. Corpus præcisè, *N*. Nam rationalitas oritur ex unione utriuſque, corporis & animæ rationalis.

Inst. *Undecimò*. Corpus etiam animatum animâ rationali non eſt principium gradûs ſpiritalis: atqui rationalitas eſt gradus ſpiritalis; ergo corpus animatum anima rationali, non eſt principium rationalitatis.

Resp. Dist. Maj. Non eſt principium gradus ſpiritalis purè & ex omni parte, *C*. Gradus ſpiritalis mixtim, & ex aliqua ſolùm parte, *N*.

Inst. *Duodecimò*. Principium intellectionis & volitionis eſt purè ſpiritale: atqui rationalitas eſt principium intellectionis & volitionis; ergo rationalitas eſt purè ſpiritalis.

Resp. Dist. Maj. Principium intellectionis & volitionis à corpore independentis, ut v. g. Divinæ vel Angelicæ, *C*. A corpore dependentis, v. g. Humanæ, *N*.

Inst. *Decimo tertiò*. Illæ operationes ſunt purè ſpiritales, per quas efficaciter demonſtratur ſpiritalitas pura animæ rationalis: atqui per intellectionem & volitionem humanam efficaciter demonſtratur ſpiritalitas pura animæ rationalis; ergo intellectio & volitio ſunt operationes purè ſpiritales in nobis.

Resp. dist. Maj. Per quas adæquatè ſumptas demonſtratur efficaciter ſpiritalitas pura animæ rationalis, *C.* Per quas inadæquatè ſumptas efficaciter demonſtratur ſpiritalitas pura animæ rationalis, *N.* Atprobatur ſpiritalitas pura animæ rationalis per intellectionem, non quatenùs eſt à corpore dependens, ſed quatenùs aſſurgit objectivè ſuprà corpus & corporeitatem omnem.

Inst. *Decimo quartò.* Quod eſt iners & otioſum nihil poteſt conferre ad rationalitatem aut intellectionem, atqui corpus eſt iners & otioſum.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt iners & otioſum, nihil poteſt conferre activè, *C.* Paſſivè ſaltem, *N.* Sicut enim corpus confert ſuo modo ad hominem conſtituendum; ita & confert ſuo modo ad rationalitatem.

Inst. *Decimo quintò.* Si corpus conferret ad rationalitatem; conveniremus cum belluis aliquatenùs per noſtram rationalitatem: falſum conſequens.

Resp. dist. maj. Per rationalitatem identicè ſumptam, *C.* Formaliter ut rationalitatem, *N.* Nam convenimus cum belluis per corpus, & aliquatenùs per animam, ut ſentientem.

Inst. *Decimo ſextò.* Rationalitas identicè non eſt in belluis; ergo non convenimus per rationalitatem identicè ſumptam.

Resp. Dist. ant. Rationalitas identicè ſumpta non eſt in belluis formaliter, *C.* æquivalenter, *N.* Nam anima ſentiens belluarum æquivalet in ſentiendo animæ noſtræ.

Inst. *Decimo ſeptimò.* Differentia hominis petitur à ſola anima rationali: atqui rationalitas eſt differentia hominis; ergo rationalitas petitur à ſola anima rationali.

Resp. Dist. Maj. Differentia phyſica, *C.* Metaphyſica, *N.* Quia gradus Metaphyſici oriuntur ab eodem gradu Phyſico virtualiter multiplici, v. g. Gradus ſentiendi & gradus ratiocinandi oriuntur ab eadem anima rationali.

Inst. *Decimo octavò.* Niſi differentia hominis metaphyſica peteretur ex ſola anima rationali, differentia in Metaphyſicis non reſponderet formæ in phyſicis, nec genus, materiæ phyſicæ: atqui genus reſpondet materiæ, & differentia formæ phyſicæ,

Resp. Dist. Maj. Niſi differentia hominis Metaphyſica peteretur ex ſola anima rationali, differentia non reſponderet formæ quoad omnia, *C.* Quoad aliqua, *N.* Sicut enim forma in phyſicis contrahit, determinat & perficit materiam, ita differentia contrahit & determinat genus.

OBIECTIO II.

Gradus entis, corporis & viventis, ſunt gradus Metaphyſici ejuſdem individui, v. g. hominis: atqui gradus entis, corporis & viventis diſtinguuntur realiter; ergo gradus Metaphyſici ejuſdem individui diſtinguuntur realiter.

Prob. Min. Gradus qui non includunt in ſe materiam diſtinguuntur realiter ab iis gradibus qui materiam includunt: atqui gradus entis, ſubſtantiæ, viventis, non includunt materiam, gradus autem corporis includit materiam.

Resp. Dist. Min. Gradus qui non includunt in ſe materiam, nec realiter, nec formaliter, *C.* Qui non includunt formaliter, includunt verò realiter, *N.* Porro gradus entis & ſubſtantiæ, non includunt quidem formaliter ſeu in idea & conceptu ſuo materiam: at includunt eam realiter & identicè, quia fundantur in corpore ſimul & animâ.

Inst. *Primò.* Illi gradus non includunt realiter & identicè materiam, qui reperiuntur ubi nulla reperitur materia: atqui gradus entis & ſubſtantiæ reperiuntur ubi nulla eſt materia, v. g. in Angelis.

Resp. dist. Min. Atqui gradus entis & ſubſtantiæ, reperiuntur ubi nulla eſt materia, in individuo purè ſpirituali, *C.* In individuis corporeis, v. g. Petro, *N.* At ſermo inſtituitur de gradu entis, ſubſtantiæ, corporis, &c. in Petro ſeu individuo corporeo.

Inst. *Secundò.* Gradus illi diſtinguuntur realiter, quorum uno pereunte remanet alter: atqui in individuis corporeis pereunte gradu viventis, remanet gradus corporis, ſeu corporeitatis.

Resp. Dist. Min. Atqui pereunte gradu viventis, remanet gradus corporis inadæquatè ſumptus, *C.* adæquatè ſumptus, *N.* Quia non remanet

compoſitum ex materia & forma phyſicis.

Inst. *Tertiò.* Ibi remanet gradus corporis adæquatè ſumptus, ubi remanet totum corpus: atqui moriente Petro, pereunte gradu viventis, remanet totum Petri corpus.

Resp. Dist. Maj. Ubi remanet totum corpus, ſumptum pro compoſito ex materia & forma phyſicis, *C.* Ubi remanet totum corpus ſumptum pro materia, *N.* At in cadavere remanet materia, ſed non corpus adæquatè ſumptum, ſiquidem diſſolvitur.

Inst. *Quartò.* Ibi remanet corpus ſumptum pro compoſito ex materia & forma, ubi remanet verum corpus naturale, habens materiam & formam: atqui mortuo Petro remanet in cadavere verum corpus naturale.

Resp. Dist. Min. Atqui mortuo Petro remanet verum corpus naturale, diverſum ab eo quod fuerat vivente Petro, *C.* Idipſum quod erat, dum viveret Petrus, *N.* Nam anteà erat Petrus, & poſteà nihil eſt præter cadaver.

Inst. *Quintò.* Ibi remanet idem corpus, ubi remanet materia cum iiſdem formis quæ corpus conſtituunt: atqui mortuo Petro remanet in cadavere materia cum iiſdem formis quæ corpus conſtituunt, v. g. figurâ & colore, longitudine, latitudine & profunditate.

Resp. Dist. Maj. Ubi remanet materia cum iiſdem formis eſſentialibus, & primariis, *C.* Accidentalibus & ſecundariis, *N.* At figura, color, &c. ſunt formæ accidentales.

Inst *Sextò* Corpus dicitur id quod eſt extenſum in longum, latum & profundum, & quidem eſſentialiter: atqui mortuo Petro, hoc remanet.

Resp. Dist. Maj. Corpus Mathematicè ſumptum, *C.* Corpus phyſicè ſumptum, *N.* Nam ſic, eſt totum conſtans ex materia & forma phyſicis.

Inst. *Septimò* Subſtantia ſpiritalis non eſt pars corporis: atqui anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritalis: ergo ſola magnitudo eſt eſſentialis.

Resp. Dist. Maj. Subſtantia ſpiritalis completa, *C.* Incompleta, *N.*

II. PROPOSITIO.

Gradus Metaphyſici non diſtinguuntur formaliter ex naturâ rei, ad ſenſum Scotiſtarum.

Probatur. Gradus Metaphyſici non diſtinguuntur ab invicem, eâ diſtinctione, quæ non ſolùm eſt inutilis ſed & inintelligibilis. Atqui diſtinctio formalis ex naturâ rei, ad ſenſum Scotiſtarum, eſt inutilis & inintelligibilis; eſt quidem inutilis, quia ſine tali diſtinctione poſſunt & quidem facilè explicari, quæcumque pertinent ad gradus Metaphyſicos; eſt etiam inintelligibilis; quia dici non poteſt quid ſint illæ formalitates inter quas ſtatuitur iſta diſtinctio; quidve ſit illa entitas quæ aſſeritur à Scotiſtis ſubjectum omnium formalitatum; ſitne & ipſa, quædam formalitas; necne? ſi primum, ergo dabitur formalitas formalitatum; ſi ſecundum, eſtne eſſentialis individuo, necne? Si primum, vel eſt pars eſſentiæ magis communis, vel pars eſſentiæ minùs communis, vel tota eſſentia, atque ita erit vel genus, vel ſpecies, vel differentia, quæ ſunt totidem formalitates. Si verò entitas illa non eſt eſſentialis individuo, quo modo erit quid primum in illo, ut aiunt eſſe? Ergo diſtinctio formalis ex naturâ rei eſt & inutilis & inintelligibilis, proindeque gradus Metaphyſici non diſtinguuntur formaliter ex naturâ rei.

OBJECTIO.

EA diſtinguuntur formaliter ex natura rei, quorum unum non eſt actu formaliter alterum ante omnem mentis operationem: atqui unus gradus Metaphyſicus non eſt actu formaliter alter ante omnem mentis operationem, v. g. animalitas non eſt actu rationalitas.

Prob. Min. Si animalitas eſſet actu rationalitas ante omnem mentis operationem, vera eſſet iſta propoſitio, *animalitas eſt rationalitas*: atqui vera non eſt iſta propoſitio; ergo animalitas non eſt actu rationalitas.

Resp. Dist Maj. Vera eſſet iſta propoſitio; *animalitas eſt rationalitas*, vera in ſenſu reali, actuali, identico, *C.* In ſenſu formali & virtuali, *N.* Porro hæc propoſitio vera non eſt in ſenſu formali & virtuali Thomiſtarum, ſed eſt vera in ſenſu reali, actuali, identico, hoc pacto, *Animalitas eſt realiter, actualiter, identicè, rationalitas.*

Inst. *Primò.* Principium conveniendi realiter cum belluis, non eſt principium diſcrepandi realiter à belluis: atqui animalitas eſt principium conveniendi realiter cum belluis, rationalitas verò principium diſcrepandi; ergo animalitas non eſt realiter rationalitas.

Resp. Dist. Maj. Principium conveniendi realiter cum belluis, non eſt realiter principium diſcrepandi, non eſt realiter virtualiter ad ſenſum Thomiſtarum, *C.* Non eſt realiter actualiter ad ſenſum Scotiſtarum, *N.*

Inst. *Secundò.* Idem non poteſt eſſe æquale ſimul & inæquale per idem realiter actualiter reſpectu ejuſdem; ergo à pari homo non poteſt convenire ſimul & diſcrepare à belluis per idem realiter actualiter.

Resp. Nego Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia quantitas, quæ eſt fundamentum æqualitatis, non eſt virtualiter multiplex, nec profundit ex ſe quidquam per quod poſſit eſſe æqualis ſimul & inæqualis eidem quantitati: at verò eadem entitas hominis eſt virtualiter multiplex, & ex ſe profundit ſenſationes & ratiocinia, quæ ſunt fundamentum convenientiæ & diſconvenientiæ hominis à bellua.

Inst. *Tertiò.* Quæ diverſimodè concipiuntur, ſuntque diverſæ intelligibilitates & conceptibilitates, ea non ſunt quid idem realiter, actualiter, & formaliter: atqui animalitas & rationalitas ſunt hujuſmodi.

Resp. Nego Maj. Quia ſufficit diſtinctio virtualis Thomiſtarum ad diverſos ejuſdem rei conceptus explicandos.

Inst. *Quartò.* Quæ diverſimodè concipiuntur, non ſunt quid idem realiter actualiter, ſi unum & idem non poſſit diverſimodè concipi: atqui unum & idem non poteſt diverſimodè concipi: v. g enſis & gladius; ergo quæ diverſimodè concipiuntur,

ea non ſunt quid idem realiter.

Resp. Dist. Min. Atqui unum & idem non poteſt diverſimodè concipi, ſi ſit virtualiter ſimplex ut enſis & gladius, C. Si ſit virtualiter multiplex, ut miſericordia & juſtitia Dei, N.

Inst. Quintò. Unum & idem non poteſt concipi diverſimodè, ſi diverſitas conceptuum ſit argumentum certiſſimum diverſitatis realis actualis rerum: atqui ita ſe res habet.

Resp. Nego Min. Sicut enim ſeparatio conceptuum animalitatis & rationalitatis non eſt argumentum ſeparationis realis utriuſque: ita diverſitas conceptuum animalitatis & rationalitatis, non eſt argumentum diverſitatis realis actualis earum.

Inst. Sextò. Diverſitas conceptuum eſt certiſſimum diverſitatis realis rerum conceptarum argumentum, ſi res tales eſſe debeant quales concipiuntur: atqui res tales eſſe debent quales concipiuntur; ergo diverſitas conceptuum eſt argumentum diverſitatis realis actualis rerum.

Resp. Dist. Min. Atqui res tales eſſe debent quales concipiuntur, tales quoad repræſentationem, ideam & definitionem, C. tales quoad diverſitatem aut diſtinctionem, Subdistinguo, Quando concipiuntur conceptu adæquato, C. Conceptu inadæquato, N.

Inst. Septimò. Res ſunt realiter actualiter diverſæ & diſtinctæ, quæ diverſimodè concipiuntur, ſi de rerum diverſitate & identitate non poſſimus judicare niſi interventu conceptuum, idearum & cognitionum: atqui de rerum diverſitate & identitate non poſſumus judicare niſi interventu conceptuum; ergo, &c.

Resp. Dist. Min. Atqui de rerum diverſitate non poſſumus judicare niſi interventu conceptuum, de rerum diverſitate virtuali, C. De rerum diverſitate actuali, Subdistinguo, niſi interventu conceptuum res tanquam realiter actualiter diverſas repræſentantium, C. Niſi interventu conceptuum res diverſimodè repræſentantium objectivè ſolùm, N. Alioqui res illas diceremus realiter ſeparatas, quas mens ſeparatim exhibet, quod apertè falſum eſt.

Inst. Octavò. Tam diverſitas conceptuum in men-

te eſt argumentum res conceptas eſſe diverſas realiter actu, quàm diverſitas viſionum in oculo ſit argumentum colores eſſe diverſos realiter, qui diverſimodè videntur: atqui hoc poſterius verum eſt.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia viſio eſt cognitio intuitiva, quæ colores ut ſunt in ſe realiter & adæquatè videt, proindeque ſi diverſos videt, reipsâ diverſi ſunt: at verò conceptus mentis eſt cognitio abſtractiva, quæ res concipit ut ſunt objectivè in intellectu, ſecundùm abſtractionem unius virtualitatis ab alterâ, proindeque neceſſe non eſt eſſe realiter diverſas quas diverſimodè concipit.

III. PROPOSITIO.

Gradus Metaphyſici diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinatâ.

Probatur. Ea diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinatâ, quæ cum ſint una eadémque realiter entitas, tamen diverſimodè concipiuntur cum legitimo fundamento. Atqui gradus Metaphyſici ejuſdem individui ſunt hujuſmodi; nam ea diverſimodè concipiuntur cum legitimo fundamento, quæ diverſas habent definitiones, ſuntque principia diverſarum operationum. Atqui gradus Metaphyſici habent diverſas definitiones, ut animalitas & rationalitas, ſuntque principia diverſarum operationum, ut v. g. ſentiendi & ratiocinandi: Ergo gradus Metaphyſici diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinatâ.

OBJECTIO.

Ea non diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinata, quorum unum non poteſt concipi ſine altero: atqui unus gradus Metaphyſicus non poteſt concipi ſine altero; ergo non diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinata.

Resp. Transeat. Maj. Quia relata non poſſunt concipi ſine ſe invicem, & nihilominus diſtinguuntur plus quàm virtualiter, Nego Min.

Inst.

Inst. *Primò.* Humanitas & rationalitas ſunt duo gradus Metaphyſici hominis : atqui humanitas non poteſt concipi ſine rationalitate ; ergo unus gradus Metaphyſicus non poteſt concipi ſine altero.

Resp. Dist. Maj. Humanitas & rationalitas ſunt duo gradus Metaphyſici, qui ſe habent ut totum & pars, *C.* Qui ſe habent ut pars & pars, *N.* Hic autem quæſtio eſt de gradibus, qui ſe habent ut pars & pars.

Inst. *Secundò.* Animalitas & rationalitas ſunt duo gradus Metaphyſici, qui ſe habent ut pars & pars : atqui animalitas non poteſt concipi ſine rationalitate: ergo unus gradus Metaphyſicus non poteſt concipi ſine altero, quando ſe habent ut pars & pars.

Resp. Nego Min. Nam animalitas concipitur ut principium ſentiendi : atqui principium ſentiendi concipitur ſine principio ratiocinandi.

Inst. *Tertiò.* Non magis animalitas poteſt concipi ſine rationalitate, quàm produci ſine ipſâ : atqui animalitas non poteſt produci ſine rationalitate : ergo nec concipi.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia animalitas & rationalitas unicam habent entitatem atque exiſtentiam ; proindeque & unicam productionem, quæ *terminatur ad exiſtentiam* : at verò diverſum habent conceptum atque definitionem.

Inst. *Quartò.* Atqui pariter animalitas & rationalitas unicum habent eundemque conceptum.

Prob. Subs. Niſi animalitas & rationalitas haberent unicum & eundem conceptum, idem conciperetur ſimul & non conciperetur : atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Idem conciperetur inadæquatè, ſimul & non conciperetur adæquatè, *C.* Idem conciperetur adæquatè, & non conciperetur adæquatè, *N.* v. g. Homo conciperetur ut animal, & non conciperetur ut rationalis.

Inst. *Quintò.* Atqui homo non poteſt concipi ut animal, & non concipi ut rationalis.

Prob. Subs. Si Homo conciperetur ut animal & non conciperetur ut rationalis, mens noſtra ſepararet animalitatem hominis ab ejus rationalitate : atqui mens non debet ſeparare animalitatem hominis à rationalitate.

Resp. Dist. Maj. Mens ſepararet animalitatem hominis à rationalitate, ſepararet per ſimplicem mentis abſtractionem, C. Separaret per judicium, N. Id eſt conciperet unam ſine altera, ſed non judicaret unam non eſſe realiter alteram.

Inst. *Sextò.* Mens non debet repræſentare res aliter quàm ſunt: atqui repræſentaret res aliter quàm ſunt, ſi ſepararet animalitatem à rationalitate per ſimplicem abſtractionem; ergo mens non debet eas ſeparare etiam per abſtractionem ſimplicem.

Prob. Min. Mens repræſentaret animalitatem ſine rationalitate: atqui animàlitas hominis non eſt ſine rationalitate; ergo mens repræſentaret res aliter quàm ſunt.

Resp Dist. Maj. Mens repræſentaret animalitatem objectivè ſumptam ſine rationalitate, C. Animalitatem realiter ſumptam ſine rationalitate, N. At animalitas objectivè ſumpta in mente non includit rationalitatem.

Inst. *Septimò.* Animalitas objectivè ſumpta includit illud cum quo identificatur: atqui animalitas identificatur cum rationalitate; ergo includit rationalitatem.

Resp. Dist. Maj. Animalitas objectivè includit illud cum quo identificatur formaliter, C. Realiter, N. Porro animalitas non identificatur formaliter cum rationalitate, quia aliter concipitur animalitas, aliter rationalitas.

Ints. *Octavò.* Animalitas, de quâ quæſtio eſt, eſt animalitas hominis: atqui animalitas hominis includit formaliter rationalitatem.

Resp. Dist. Maj. Eſt animalitas hominis præciſa à ſuis differentiis, C. Eſt animalitas ut contracta, N. Animalitas enim, ut ſic, abſtrahit à ſuis differentiis.

QUÆSTIO OCTAVA.

An detur univerſale formaliter à parte rei.

I. PROPOSITIO.

Non datur univerſale formaliter à parte rei.

PROBATUR. Ut detur univerſale formaliter à parte rei, dari debet natura communis formaliter una in multis à parte rei; atqui non datur à parte rei natura formaliter una in multis; ea namque natura non eſt formaliter una in multis à parte rei, quæ eſt à parte rei formaliter multiplex & diviſa in multis; atqui quælibet natura eſt à parte rei formaliter multiplex & diviſa in multis; ſiquidem realiter identificatur cum multis individuis diſtinctis & diviſis, ut humanitas cum Petro & Paulo. Ergo non datur à parte rei natura formaliter una in multis, proindeque non datur univerſale formaliter à parte rei.

OBJECTIO I.

UNiverſale eſt unum formaliter & multiplex in multis: atqui datur à parte rei unum formaliter & multiplex in multis, v. g. humanitas; ergo datur univerſale formaliter à parte rei.

RESP. DIST. MAJ. Univerſale eſt unum & multiplex, unum unitate univerſali, *C.* Unum unitate ſingulari, *N.* Porro humanitas eſt quidem à parte rei una ſimul & multiplex, ſed una unitate ſingulari, v. g. Una in Petro, at non eſt una unitate univerſali in omnibus hominibus.

INST. *Primò.* Unitas ſpecifica eſt unitas univerſalis: atqui natura humana eſt à parte rei una unitate ſpecificâ in omnibus hominibus; ergo eſt una unitate univerſali.

RESP. DIST. MAJ. Unitas ſpecifica formalis eſt univerſalis, *C.* Unitas ſpecifica fundamentalis, *N.*

Porro humanitas eſt una unitate ſpecifica fundamentali, quia eſt valdè ſimilis in omnibus realiter individuis: at non eſt una unitate ſpecifica formali, quia eſt formaliter diviſa.

Inst. *Secundò*. Natura humana eſt à parte rei una unitate ſpecifica formali, ſi Petrus & Paulus ſint ejuſdem ſpeciei formalis à parte rei: atqui Petrus & Paulus ſunt ejuſdem ſpeciei formalis à parte rei.

Prob. Min. Illa ſunt ejuſdem ſpeciei formalis à parte rei, quæ non ſunt diviſa in ſpecie formali à parte rei: atqui Petrus & Paulus non ſunt diviſi in ſpecie formali: ergo ſunt ejuſdem ſpeciei formalis,

Resp. Nego Maj. Quia non datur ſpecies formalis à parte rei; ergo nec ſunt quid idem in ſpecie, nec ſunt diviſi in ſpecie à parte rei.

Inst. *Tertiò*. In eâ ratione aliqua ſunt unum, in qua non ſunt diviſa, unitas enim eſt indiviſio; ergo quæ non ſunt diviſa in ſpecie formali, ſunt ejuſdem ſpeciei formalis.

Resp. Dist. Ant. In ea ratione quam participant, v. g. homines in colore, C. In ea ratione quam non participant, v. g. Angeli in coloribus, N. At Petrus & Paulus non participant ſpeciem à parte rei.

Inst. *Quartò*. Illa participant ſpeciem, quæ participant eundem gradum ſpecificum: atqui Petrus & Paulus participant à parte rei eundem gradum ſpecificum, nempe humanitatem in qua conveniunt.

Resp. Dist. Maj. Quæ participant eundem gradum ſpecificum unum & ſine diviſione, C. Multiplicem & cum diviſione, N. At Petrus & Paulus habent gradum ſpecificum multiplicem & diviſum.

Inst. *Quintò*. Si Petrus & Paulus participarent gradum ſpecificum multiplicem & diviſum, eſſent diviſi in ſpecie: atqui Petrus & Paulus non ſunt diviſi in ſpecie.

Resp. Dist. Maj. Si Petrus & Paulus participarent gradum ſpecificum diviſum & multiplicem ſpecie, C. Diviſum & multiplicem numero, N. At illum habent numero tantùm multiplicem & diviſum.

Inst. *Sextò.* Atqui diviſio ſeu multiplicitas numerica non impedit ſpeciem formalem à parte rei.

Prob. Subs. Quod non opponitur unitati ſpecificæ formali, non impedit ſpeciem formalem: atqui diviſio numerica non opponitur unitati ſpecificæ formali, ſed unitati numericæ. Ergo eam non impedit.

Resp. Dist. Min. Atqui diviſio numerica non opponitur unitati ſpecificæ formali, non opponitur directè, *C.* Indirectè, *N.* Quia indirectè multiplicat gradum ſpecificum, multiplicando directè gradum numericum qui identificatur cum ſpecifico.

Inst. *Septimò.* Quod requiritur ad unitatem ſpecificam formalem, non opponitur vel indirectè unitati ſpecificæ formali: atqui diviſio numerica requiritur ad unitatem ſpecificam formalem.

Resp. Dist. Min. Atqui diviſio numerica extrinſeca gradui ſpecifico, requiritur ad unitatem ſpecificam formalem, *C.* Diviſio numerica intrinſeca, ut eſt à parte rei, *N.* Talis enim diviſio multiplicat & dividit intrinſecùs gradum ſpecificum realiter identificatum cum numerico.

Inst. *Octavò.* Diviſio ſeu multipſicitas intrinſeca partium non impedit unitatem totius: atqui diviſio numerica intrinſeca, eſt multiplicitas partium; unitas verò ſpecifica eſt totum; ergo diviſio numerica intrinſeca non impedit unitatem ſpecificam formalem à parte rei.

Resp. Dist. Maj. Non impedit unitatem totius, ſi ſit totum actuale ut homo reſpectu corporis & animæ, *C.* Si ſit totum potentiale ut homo reſpectu Petri & Pauli, *N.*

Inst. *Nonò.* Multiplicitas intrinſeca partium actualium non impedit unitatem totius actualis; ergo à pari multiplicitas intrinſeca partium potentialium, v. g. Petri & Pauli, non debet impedire unitatem totius potentialis, v. g. humanitatis à parte rei.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt; quia totum actuale non diſtinguitur à collectione ſuarum omnium partium, v. g. Homo non diſtinguitur à collectione corporis & animæ. At verò totum potentiale diſtinguitur à collectione ſuarum partium potentialium, v. g. Homo à collectione Petri & Pauli & aliorum.

Resp. dist. Maj. Per quas adæquatè ſumptas demonſtratur efficaciter ſpiritalitas pura animæ rationalis, C. Per quas inadæquatè ſumptas efficaciter demonſtratur ſpiritalitas pura animæ rationalis, N. At probatur ſpiritalitas pura animæ rationalis per intellectionem, non quateiùs eſt à corpore dependens, ſed quatenùs aſſurgit objectivè ſuprà corpus & corporeitatem omnem.

Inst. *Decimo quartò*. Quod eſt iners & otioſum nihil poteſt conferre ad rationalitatem aut intellectionem, atqui corpus eſt iners & otioſum.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt iners & otioſum, nihil poteſt conferre activè, C. Paſſivè ſaltem, N. Sicut enim corpus confert ſuo modo ad hominem conſtituendum; ita & confert ſuo modo ad rationalitatem.

Inst. *Decimo quintò*. Si corpus conferret ad rationalitatem; conveniremus cum belluis aliquatenùs per noſtram rationalitatem: falſum conſequens.

Resp. dist. Maj. Per rationalitatem identicè ſumptam, C. Formaliter ut rationalitatem, N. Nam convenimus cum belluis per corpus, & aliquatenùs per animam, ut ſentientem.

Inst. *Decimo ſextò*. Rationalitas identicè non eſt in belluis; ergo non convenimus per rationalitatem identicè ſumptam.

Resp. Dist. ant. Rationalitas identicè ſumpta non eſt in belluis formaliter, C. æquivalenter, N. Nam anima ſentiens belluarum æquivalet in ſentiendo animæ noſtræ.

Inst. *Decimo ſeptimò*. Differentia hominis petitur à ſola anima rationali: atqui rationalitas eſt differentia hominis; ergo rationalitas petitur à ſola anima rationali.

Resp. Dist. Maj. Differentia phyſica, C. Metaphyſica, N. Quia gradus Metaphyſici oriuntur ab eodem gradu Phyſico virtualiter multiplici, v. g. Gradus ſentiendi & gradus ratiocinandi oriuntur ab eadem anima rationali.

Inst. *Decimo octavò*. Niſi differentia hominis metaphyſica peteretur ex ſola anima rationali, differentia in Metaphyſicis non reſponderet formæ in phyſicis, nec genus, materiæ phyſicæ: atqui genus reſpondet materiæ, & differentia formæ phyſicæ,

Resp. Dist. Maj. Niſi differentia hominis Metaphyſica peteretur ex ſola anima rationali, differentia non reſponderet formæ quoad omnia, C. Quoad aliqua, N. Sicut enim forma in phyſicis contrahit, determinat & perficit materiam, ita differentia contrahit & determinat genus.

OBIECTIO II.

Gradus entis, corporis & viventis, ſunt gradus Metaphyſici ejuſdem individui, v. g. hominis: atqui gradus entis, corporis & viventis diſtinguuntur realiter; ergo gradus Metaphyſici ejuſdem individui diſtinguuntur realiter.

Prob. Min. Gradus qui non includunt in ſe materiam diſtinguuntur realiter ab iis gradibus qui materiam includunt: atqui gradus entis, ſubſtantiæ, viventis, non includunt materiam, gradus autem corporis includit materiam.

Resp. Dist. Min. Gradus qui non includunt in ſe materiam, nec realiter, nec formaliter, C. Qui non includunt formaliter, includunt verò realiter, N. Porro gradus entis & ſubſtantiæ, non includunt quidem formaliter ſeu in idea & conceptu ſuo materiam: at includunt eam realiter & identicè, quia fundantur in corpore ſimul & animâ.

Inst. *Primò.* Illi gradus non includunt realiter & identicè materiam, qui reperiuntur ubi nulla reperitur materia: atqui gradus entis & ſubſtantiæ reperiuntur ubi nulla eſt materia, v. g. in Angelis.

Resp. dist. Min. Atqui gradus entis & ſubſtantiæ, reperiuntur ubi nulla eſt materia, in individuo purè ſpirituali, C. In individuis corporeis, v. g. Petro, N. At ſermo inſtituitur de gradu entis, ſubſtantiæ, corporis, &c. in Petro ſeu individuo corporeo.

Inst. *Secundò.* Gradus illi diſtinguuntur realiter, quorum uno pereunte remanet alter: atqui in individuis corporeis pereunte gradu viventis, remanet gradus corporis, ſeu corporeitatis.

Resp. Dist. Min. Atqui pereunte gradu viventis, remanet gradus corporis inadæquatè ſumptus, C. adæquatè ſumptus, N. Quia non remanet

compoſitum ex materia & forma phyſicis.

Inst. *Tertiò.* Ibi remanet gradus corporis adæquatè ſumptus, ubi remanet totum corpus: atqui moriente Petro, pereunte gradu viventis, remanet totum Petri corpus.

Resp. Dist. Maj. Ubi remanet totum corpus, ſumptum pro compoſito ex materia & forma phyſicis, *C.* Ubi remanet totum corpus ſumptum pro materia, *N.* At in cadavere remanet materia, ſed non corpus adæquatè ſumptum, ſiquidem diſſolvitur.

Inst. *Quartò.* Ibi remanet corpus ſumptum pro compoſito ex materia & forma, ubi remanet verum corpus naturale, habens materiam & formam: atqui mortuo Petro remanet in cadavere verum corpus naturale.

Resp. Dist. Min. Atqui mortuo Petro remanet verum corpus naturale, diverſum ab eo quod fuerat vivente Petro, *C.* Idipſum quod erat, dum viveret Petrus, *N.* Nam anteà erat Petrus, & poſteà nihil eſt præter cadaver.

Inst. *Quintò.* Ibi remanet idem corpus, ubi remanet materia cum iiſdem formis quæ corpus conſtituunt: atqui mortuo Petro remanet in cadavere materia cum iiſdem formis quæ corpus conſtituunt, v. g. figurâ & colore, longitudine, latitudine & profunditate.

Resp. Dist. Maj. Ubi remanet materia cum iiſdem formis eſſentialibus, & primariis, *C.* Accidentalibus & ſecundariis, *N.* At figura, color, &c. ſunt formæ accidentales.

Inst *Sextò* Corpus dicitur id quod eſt extenſum in longum, latum & profundum, & quidem eſſentialiter: atqui mortuo Petro, hoc remanet.

Resp. Dist. Maj. Corpus Mathematicè ſumptum, *C.* Corpus phyſicè ſumptum, *N.* Nam ſic, eſt totum conſtans ex materia & forma phyſicis.

Inst. *Septimò* Subſtantia ſpiritalis non eſt pars corporis: atqui anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritalis: ergo ſola magnitudo eſt eſſentialis.

Resp. Dist. Maj. Subſtantia ſpiritalis completa, *C.* Incompleta, *N.*

II. PROPOSITIO.

Gradus Metaphyſici non diſtinguuntur formaliter ex naturâ rei, ad ſenſum Scotiſtarum.

PROBATUR. Gradus Metaphyſici non diſtinguuntur ab invicem, eâ diſtinctione, quæ non ſolùm eſt inutilis ſed & inintelligibilis. Atqui diſtinctio formalis ex naturâ rei, ad ſenſum Scotiſtarum, eſt inutilis & inintelligibilis; eſt quidem inutilis, quia ſine tali diſtinctione poſſunt & quidem facilè explicari, quæcumque pertinent ad gradus Metaphyſicos; eſt etiam inintelligibilis; quia dici non poteſt quid ſint illæ formalitates inter quas ſtatuitur iſta diſtinctio; quidve ſit illa entitas quæ aſſeritur à Scotiſtis ſubjectum omnium formalitatum; ſitne & ipſa, quædam formalitas; necne? ſi primum, ergo dabitur formalitas formalitatum; ſi ſecundum, eſtne eſſentialis individuo, necne? Si primum, vel eſt pars eſſentiæ magis communis, vel pars eſſentiæ minùs communis, vel tota eſſentia, atque ita erit vel genus, vel ſpecies, vel differentia, quæ ſunt totidem formalitates. Si verò entitas illa non eſt eſſentialis individuo, quo modo erit quid primum in illo, ut aiunt eſſe? Ergo diſtinctio formalis ex naturâ rei eſt & inutilis & inintelligibilis, proindeque gradus Metaphyſici non diſtinguuntur formaliter ex naturâ rei.

OBIECTIO.

EA diſtinguuntur formaliter ex natura rei, quorum unum non eſt actu formaliter alterum ante omnem mentis operationem: atqui unus gradus Metaphyſicus non eſt actu formaliter alter ante omnem mentis operationem, v. g. animalitas non eſt actu rationalitas.

PROB. MIN. Si animalitas eſſet actu rationalitas ante omnem mentis operationem, vera eſſet iſta propoſitio, *animalitas eſt rationalitas*: atqui vera non eſt iſta propoſitio; ergo animalitas non eſt actu rationalitas.

Resp. Dist Maj. Vera eſſet iſta propoſitio, *animalitas eſt rationalitas*, vera in ſenſu reali, actuali, identico, *C.* In ſenſu formali & virtuali, *N.* Porro hæc propoſitio vera non eſt in ſenſu formali & virtuali Thomiſtarum, ſed eſt vera in ſenſu reali, actuali, identico, hoc pacto, *Animalitas eſt realiter, actualiter, identicè, rationalitas.*

Inst. *Primò.* Principium conveniendi realiter cum belluis, non eſt principium diſcrepandi realiter à belluis: atqui animalitas eſt principium conveniendi realiter cum belluis, rationalitas verò principium diſcrepandi; ergo animalitas non eſt realiter rationalitas.

Resp. Dist. Maj. Principium conveniendi realiter cum belluis, non eſt realiter principium diſcrepandi, non eſt realiter virtualiter ad ſenſum Thomiſtarum, *C.* Non eſt realiter actualiter ad ſenſum Scotiſtarum, *N.*

Inst. *Secundò.* Idem non poteſt eſſe æquale ſimul & inæquale per idem realiter actualiter reſpectu ejuſdem; ergo à pari homo non poteſt convenire ſimul & diſcrepare à belluis per idem realiter actualiter.

Resp. Nego Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia quantitas, quæ eſt fundamentum æqualitatis, non eſt virtualiter multiplex, nec profundit ex ſe quidquam per quod poſſit eſſe æqualis ſimul & inæqualis eidem quantitati: at verò eadem entitas hominis eſt virtualiter multiplex, & ex ſe profundit ſenſationes & ratiocinia, quæ ſunt fundamentum convenientiæ & diſconvenientiæ hominis à bellua.

Inst. *Tertiò.* Quæ diverſimodè concipiuntur, ſuntque diverſæ intelligibilitates & conceptibilitates, ea non ſunt quid idem realiter, actualiter, & formaliter: atqui animalitas & rationalitas ſunt hujuſmodi.

Resp. Nego Maj. Quia ſufficit diſtinctio virtualis Thomiſtarum ad diverſos ejuſdem rei conceptus explicandos.

Inst. *Quartò.* Quæ diverſimodè concipiuntur, non ſunt quid idem realiter actualiter, ſi unum & idem non poſſit diverſimodè concipi: atqui unum & idem non poteſt diverſimodè concipi: v. g. enſis & gladius; ergo quæ diverſimodè concipiuntur,

ea non ſunt quid idem realiter.

Resp. Dist. Min. Atqui unum & idem non poteſt diverſimodè concipi, ſi ſit virtualiter ſimplex ut enſis & gladius, C. Si ſit virtualiter multiplex, ut miſericordia & juſtitia Dei, N.

Inst. *Quintò.* Unum & idem non poteſt concipi diverſimodè, ſi diverſitas conceptuum ſit argumentum certiſſimum diverſitatis realis actualis rerum: atqui ita ſe res habet.

Resp. Nego Min. Sicut enim ſeparatio conceptuum animalitatis & rationalitatis non eſt argumentum ſeparationis realis utriuſque: ita diverſitas conceptuum animalitatis & rationalitatis, non eſt argumentum diverſitatis realis actualis earum.

Inst. *Sextò.* Diverſitas conceptuum eſt certiſſimum diverſitatis realis rerum conceptarum argumentum, ſi res tales eſſe debeant quales concipiuntur: atqui res tales eſſe debent quales concipiuntur; ergo diverſitas conceptuum eſt argumentum diverſitatis realis actualis rerum.

Resp. Dist. Min. Atqui res tales eſſe debent quales concipiuntur, tales quoad repræſentationem, ideam & definitionem, C. tales quoad diverſitatem aut diſtinctionem, Subdistinguo, Quando concipiuntur conceptu adæquato, C. Conceptu inadæquato, N.

Inst. *Septimò.* Res ſunt realiter actualiter diverſæ & diſtinctæ, quæ diverſimodè concipiuntur, ſi de rerum diverſitate & identitate non poſſimus judicare niſi interventu conceptuum, idearum & cognitionum: atqui de rerum diverſitate & identitate non poſſumus judicare niſi interventu conceptuum; ergo, &c.

Resp. Dist. Min. Atqui de rerum diverſitate non poſſumus judicare niſi interventu conceptuum, de rerum diverſitate virtuali, C. De rerum diverſitate actuali, Subdistinguo, niſi interventu conceptuum res tanquam realiter actualiter diverſas repræſentantium, C. Niſi interventu conceptuum res diverſimodè repræſentantium objectivè ſolùm, N. Alioqui res illas diceremus realiter ſeparatas, quas mens ſeparatim exhibet, quod apertè falſum eſt.

Inst. *Octavò.* Tam diverſitas conceptuum in men-

te eſt argumentum res conceptas eſſe diverſas realiter actu, quàm diverſitas viſionum in oculo ſit argumentum colores eſſe diverſos realiter, qui diverſimodè videntur: atqui hoc poſterius verum eſt.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia viſio eſt cognitio intuitiva, quæ colores ut ſunt in ſe realiter & adæquatè videt, proindeque ſi diverſos videt, reipsâ diverſi ſunt: at verò conceptus mentis eſt cognitio abſtractiva, quæ res concipit ut ſunt objectivè in intellectu, ſecundùm abſtractionem unius virtualitatis ab alterâ, proindeque neceſſe non eſt eſſe realiter diverſas quas diverſimodè concipit.

III. PROPOSITIO.

Gradus Metaphyſici diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinatâ.

Probatur. Ea diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinatâ, quæ cum ſint una eadémque realiter entitas, tamen diverſimodè concipiuntur cum legitimo fundamento. Atqui gradus Metaphyſici ejuſdem individui ſunt hujuſmodi; nam ea diverſimodè concipiuntur cum legitimo fundamento, quæ diverſas habent definitiones, ſuntque principia diverſarum operationum. Atqui gradus Metaphyſici habent diverſas definitiones, ut animalitas & rationalitas, ſuntque principia diverſarum operationum, ut v. g. ſentiendi & ratiocinandi: Ergo gradus Metaphyſici diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinatâ.

OBIECTIO.

Ea non diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinata, quorum unum non poteſt concipi ſine altero: atqui unus gradus Metaphyſicus non poteſt concipi ſine altero; ergo non diſtinguuntur virtualiter & ratione ratiocinata.

Resp. Transeat. Maj. Quia relata non poſſunt concipi ſine ſe invicem, & nihilominus diſtinguuntur plus quàm virtualiter, Nego Min.

Inst.

Inst. *Primò.* Humanitas & rationalitas ſunt duo gradus Metaphyſici hominis : atqui humanitas non poteſt concipi ſine rationalitate ; ergo unus gradus Metaphyſicus non poteſt concipi ſine altero.

Resp. Dist. Maj. Humanitas & rationalitas ſunt duo gradus Metaphyſici, qui ſe habent ut totum & pars, *C.* Qui ſe habent ut pars & pars, *N.* Hic autem quæſtio eſt de gradibus, qui ſe habent ut pars & pars.

Inst. *Secundò.* Animalitas & rationalitas ſunt duo gradus Metaphyſici, qui ſe habent ut pars & pars : atqui animalitas non poteſt concipi ſine rationalitate: ergo unus gradus Metaphyſicus non poteſt concipi ſine altero, quando ſe habent ut pars & pars.

Resp. Nego Min. Nam animalitas concipitur ut principium ſentiendi : atqui principium ſentiendi concipitur ſine principio ratiocinandi.

Inst. *Tertiò.* Non magis animalitas poteſt concipi ſine rationalitate, quàm produci ſine ipſâ : atqui animalitas non poteſt produci ſine rationalitate ; ergo nec concipi.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia animalitas & rationalitas unicam habent entitatem atque exiſtentiam ; proindeque & unicam productionem, quæ *terminatur ad exiſtentiam* : at verò diverſum habent conceptum atque definitionem.

Inst. *Quartò.* Atqui pariter animalitas & rationalitas unicum habent eundemque conceptum.

Prob. Subs. Niſi animalitas & rationalitas haberent unicum & eundem conceptum, idem conciperetur ſimul & non conciperetur : atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Idem conciperetur inadæquatè, ſimul & non conciperetur adæquatè, *C.* Idem conciperetur adæquatè, & non conciperetur adæquatè, *N.* v. g. Homo conciperetur ut animal, & non conciperetur ut rationalis.

Inst. *Quintò.* Atqui homo non poteſt concipi ut animal, & non concipi ut rationalis.

Prob. Subs. Si Homo conciperetur ut animal & non conciperetur ut rationalis, mens noſtra ſepararet animalitatem hominis ab ejus rationalitate : atqui mens non debet ſeparare animalitatem hominis à rationalitate.

Resp. Dist. Maj. Mens ſepararet animalitatem hominis à rationalitate, ſepararet per ſimplicem mentis abſtractionem, *C*. Separaret per judicium, *N*. Id eſt conciperet unam ſine altera, ſed non judicaret unam non eſſe realiter alteram.

Inst. *Sextò*. Mens non debet repræſentare res aliter quàm ſunt: atqui repræſentaret res aliter quàm ſunt, ſi ſepararet animalitatem à rationalitate per ſimplicem abſtractionem; ergo mens non debet eas ſeparare etiam per abſtractionem ſimplicem.

Prob. Min. Mens repræſentaret animalitatem ſine rationalitate: atqui animalitas hominis non eſt ſine rationalitate; ergo mens repræſentaret res aliter quàm ſunt.

Resp Dist. Maj. Mens repræſentaret animalitatem objectivè ſumptam ſine rationalitate, *C*. Animalitatem realiter ſumptam ſine rationalitate, *N*. At animalitas objectivè ſumpta in mente non includit rationalitatem.

Inst. *Septimò*. Animalitas objectivè ſumpta includit illud cum quo identificatur: atqui animalitas identificatur cum rationalitate; ergo includit rationalitatem.

Resp. Dist. Maj. Animalitas objectivè includit illud cum quo identificatur formaliter, *C*. Realiter, N. Porro animalitas non identificatur formaliter cum rationalitate, quia aliter concipitur animalitas, aliter rationalitas.

Ints. *Octavò*. Animalitas, de quâ quæſtio eſt, eſt animalitas hominis: atqui animalitas hominis includit formaliter rationalitatem.

Resp. Dist. Maj. Eſt animalitas hominis præciſa à ſuis differentiis, *C*. Eſt animalitas ut contracta, *N*. Animalitas enim, ut ſic, abſtrahit à ſuis differentiis.

Digitized by Google

QUÆSTIO OCTAVA.

An detur univerſale formaliter à parte rei.

I. PROPOSITIO.

Non datur univerſale formaliter à parte rei.

Probatur. Ut detur univerſale formaliter à parte rei, dari debet natura communis formaliter una in multis à parte rei; atqui non datur à parte rei natura formaliter una in multis; ea namque natura non eſt formaliter una in multis à parte rei, quæ eſt à parte rei formaliter multiplex & diviſa in multis; atqui quælibet natura eſt à parte rei formaliter multiplex & diviſa in multis; ſiquidem realiter identificatur cum multis individuis diſtinctis & diviſis, ut humanitas cum Petro & Paulo. Ergo non datur à parte rei natura formaliter una in multis, proindeque non datur univerſale formaliter à parte rei.

OBIECTIO I.

Univerſale eſt unum formaliter & multiplex in multis: atqui datur à parte rei unum formaliter & multiplex in multis, v. g. humanitas; ergo datur univerſale formaliter à parte rei.

Resp. Dist. Maj. Univerſale eſt unum & multiplex, unum unitate univerſali, *C.* Unum unitate ſingulari, *N.* Porro humanitas eſt quidem à parte rei una ſimul & multiplex, ſed una unitate ſingulari, v. g. Una in Petro, at non eſt una unitate univerſali in omnibus hominibus.

Inst. *Primò.* Unitas ſpecifica eſt unitas univerſalis: atqui natura humana eſt à parte rei una unitate ſpecificâ in omnibus hominibus; ergo eſt una unitate univerſali.

Resp. Dist. Maj. Unitas ſpecifica formalis eſt univerſalis, *C.* Unitas ſpecifica fundamentalis, *N.*

Inst. *Sextò* Atqui diviſio ſeu multiplicitas numerica non impedit ſpeciem formalem à parte rei.

Prob. Subs. Quod non opponitur unitati ſpecificæ formali, non impedit ſpeciem formalem: atqui diviſio numerica non opponitur unitati ſpecificæ formali, ſed unitati numericæ. Ergo eam non impedit.

Resp. Dist. Min. Atqui diviſio numerica non opponitur unitati ſpecificæ formali, non opponitur directè, *C.* Indirectè, *N.* Quia indirectè multiplicat gradum ſpecificum, multiplicando directè gradum numericum qui identificatur cum ſpecifico.

Inst. *Septimò.* Quod requiritur ad unitatem ſpecificam formalem, non opponitur vel indirectè unitati ſpecificæ formali: atqui diviſio numerica requiritur ad unitatem ſpecificam formalem.

Resp. Dist. Min. Atqui diviſio numerica extrinſeca gradui ſpecifico, requiritur ad unitatem ſpecificam formalem, *C.* Diviſio numerica intrinſeca, ut eſt à parte rei, *N.* Talis enim diviſio multiplicat & dividit intrinſecùs gradum ſpecificum realiter identificatum cum numerico.

Inst. *Octavò.* Diviſio ſeu multiplicitas intrinſeca partium non impedit unitatem totius: atqui diviſio numerica intrinſeca, eſt multiplicitas partium; unitas verò ſpecifica eſt totum; ergo diviſio numerica intrinſeca non impedit unitatem ſpecificam formalem à parte rei.

Resp. Dist. Maj. Non impedit unitatem totius, ſi ſit totum actuale ut homo reſpectu corporis & animæ, *C.* Si ſit totum potentiale ut homo reſpectu Petri & Pauli, *N.*

Inst. *Nonò.* Multiplicitas intrinſeca partium actualium non impedit unitatem totius actualis; ergo à pari multiplicitas intrinſeca partium potentialium, v. g. Petri & Pauli, non debet impedire unitatem totius potentialis, v. g. humanitatis à parte rei.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia totum actuale non diſtinguitur à collectione ſuarum omnium partium, v. g. Homo non diſtinguitur à collectione corporis & animæ. At verò totum potentiale diſtinguitur à collectione ſuarum partium potentialium, v. g. Homo à collectione Petri, Pauli & aliorum.

Inst. *Decimò.* Species humana eſt totum potentiale : atqui ſpecies humana non diſtinguitur à collectione omnium hominum ; ergo totum potentiale non diſtinguitur à collectione ſuarum partium.

Resp. Dist. Maj. Species humana formaliter ſumpta, pro indiviſione gradûs ſpecifici, *C.* Species humana materialiter ſumpta pro ſimilitudine individuorum, *N.*

OBIECTIO II.

IBi datur univerſale formaliter, ubi datur unitas univerſalis formalis : atqui datur à parte rei unitas univerſalis naturæ in multis ; ergo datur univerſale formaliter à parte rei.

Prob. Min. Datur à parte rei fundamentum identitatis ſeu ſimilitudinis realis Petrum inter & Paulum : atqui fundamentum hujuſmodi eſt unitas univerſalis in multis, (Juxtà illud axioma) *ea ſunt idem quorum una eſt eſſentia.*

Resp. Dist. Min. Atqui fundamentum identitatis eſt unitas univerſalis fundamentalis, *C.* Formalis, *N.* Nam dum dicitur (*ea ſunt idem quorum una eſt eſſentia*) intelligitur una unitate fundamentali quæ nihil aliud eſt quam convenientia multorum individuorum in functionibus, proprietatibus, & operationibus.

Inst. *Primò.* Datur à parte rei unitas quæ fundamentum eſt realis identitatis Petrum inter & Paulum : atqui talis unitas eſt requiſita & ſufficiens ad univerſale formaliter.

Prob. Min. Unitas illa, quæ datur à parte rei, eſt unitas indiverſitatis, ut aiunt : atqui unitas indiverſitatis eſt requiſita & ſufficiens ad univerſale formaliter.

Prob. Min. Unitas requiſita & ſufficiens ad univerſale formaliter eſt unitas quâ major eſſe non poteſt in multis : atqui unitate indiverſitatis major unitas eſſe non poteſt in multis ; ergo eſt unitas ſufficiens ad univerſale formaliter.

Resp. Dist. Min. Atqui unitate indiverſitatis major unitas eſſe non poteſt in multis à parte rei, *C.* Major unitas eſſe non poteſt abſolutè, *N.*

Nam per abſtractionem mentis fit major unitas naturæ communis, quæ avellitur à ſuis differentiis diviſivis.

INST. *Secundò*. Ad univerſale formaliter requiritur unitas quæ ſtare poſſit cum multiplicitate: atqui ſola unitas indiverſitatis eſt hujuſmodi.

RESP. DIST. MAJ. Requiritur unitas quæ ſtare poſſit cum multiplicitate extrinſecâ & potentiali, *C*. Cum multiplicitate intrinſecâ & actuali, N. Nam univerſale debet eſſe unum actu, multiplex poteſtate & extrinſecè, quod utique fit per abſtrationem mentis.

INST. *Tertiò*. Ad univerſale formaliter ſufficit unitas indiverſitatis, vel requiritur unitas indiſtinctionis ſeu identitatis: atqui non requiritur unitas indiſtinctionis.

PROB. MIN. Ad univerſale formaliter non requiritur unitas ſingularis atque incommunicabilis: atqui unitas indiſtinctionis eſt unitas ſingularis atque incommunicabilis; ſicut enim diſtinctio eſt multiplicitas, ita indiſtinctio eſt negatio multiplicabilitatis.

RESP. DIST. MIN. Atqui unitas indiſtinctionis gradûs numerici, eſt ſingularis, *C*. Unitas indiſtinctionis gradus ſpecifici vel generici, *N*. Sic gradus ſpecificus humanitatis habet per mentis abſtractionem unitatem indiſtinctionis, & tamen eſt communicabilis pluribus.

INST. *Quartò*. Atqui quælibet unitas indiſtinctionis eſt ſingularis & numerica.

PROB. SUBS. Ea unitas eſt ſingularis & numerica quæ non poteſt pluribus diſtinctis convenire: atqui unitas indiſtinctionis non poteſt pluribus diſtinctis convenire; ergo eſt ſingularis & numerica.

RESP. DIST. MIN. Atqui unitas indiſtinctionis gradûs incommunicabilis, v. g. Petreitatis, non poteſt convenire multis, *C*. Unitas indiſtinctionis gradûs communicabilis, v. g. Humanitatis, N.

INST. *Quintò*. Atqui unitas indiſtinctionis gradûs ſpecifici, vel generici non requiritur ad univerſale formaliter.

PROB. SUBS. Unitas quæ repugnat à parte rei repugnat quoque à parte mentis: atqui unitas indiſtinctionis gradûs ſpecifici in multis repugnat à parte rei; ergo & à parte mentis.

Prob. Maj. Quidquid repugnat à parte rei, repugnat quoque per mentem. Ergo quæ unitas repugnat à parte rei, repugnat quoque per mentem.

Resp. Nego hoc Ant. Nam circulus generatim ut circulus, qui neque ſit aureus neque alterius cujuſcumque materiæ, repugnat à parte rei, non tamen per mentem.

Inst. *Sextò.* Quia circulus quadratus repugnat à parte rei, repugnat quoque per mentem; ergo quod repugnat à parte rei, repugnat quoque per mentem.

Resp. Dist. Conſeq. Quod repugnat à parte rei, repugnat quoque per mentem, aliquandò, *C.* Semper, *N.* Sic repugnat miſericordiam Dei eſſe realiter ſine juſtitiâ, ſed non repugnat mentaliter, quia *abſtrahentium non eſt mendacium.*

Inst. *Septimò.* Quod repugnat à parte rei, involvit manifeſtam ſuis in attributis contradictionem; atqui quod involvit manifeſtam ſuis in attributis contradictionem, repugnat à parte mentis: ergo quidquid repugnat à parte rei, repugnat quoque per mentem.

Resp. dist. Maj. Quod repugnat à parte rei involvit manifeſtam contradictionem ſuis in attributis, ſub eo reſpectu, *C.* Sub alio reſpectu, *N.* Nam fieri poteſt ut per operationem mentis removeantur impedimenta atque contradictio omnis.

Inst. *Octavò.* Si ità eſt, mens non ſibi repræſentaret res tales quales ſunt in ſe ipſis, atque ita res immutaret.

Resp. Dist. Mens non ſibi repræſentaret res tales quales ſunt in ſe ipſis realiter, *C.* Objectivè, *N.*

Inst. *Nonò.* Mens debet ſibi repræſentare res tales quales ſunt in ſe ipſis realiter.

Resp. Dist. Si res ſibi repræſentet conceptu adæquato & judicativo, *C.* Conceptu inadæquato & præciſivo, *N.* Sic v. g. ſibi repræſentat humanitatem ſine Petreitate, Pauleitate &c. Neque interim errat, quia *abſtrahentium non eſt mendacium.*

II. PROPOSITIO.

Datur univerſale formaliter à parte rei.

Probatur. Ut detur univerſale formaliter à

parte rei, ſatis eſt quod detur natura communis formaliter una ſimul, & multiplex in multis à parte rei. Atqui datur à parte rei natura formaliter una ſimul & multiplex in multis, quantum requiritur ad univerſale formaliter; namque datur à parte rei natura formaliter una in multis unitate indiverſitatis; atqui unitas indiverſitatis eſt unitas requiſita, & ſufficiens ad univerſale: nam ea ſola unitas requiritur & ſufficit ad univerſale, quæ ſola poteſt ſtare cum verâ multiplicitate in multis; atqui ſola unitas indiverſitatis poteſt ſtare cum multiplicitate in multis; ergo ſola unitas indiverſitatis requiritur & ſufficit ad univerſale formaliter, talis autem unitas datur à parte rei. Ergo datur univerſale formaliter à parte rei.

OBIECTIO.

SI daretur univerſale à parte rei, univerſalitas formalis conveniret naturæ communi à parte rei: atqui univerſalitas non convenit naturæ communi à parte rei.

Prob. Min. Si univerſalitas formalis conveniret naturæ humanæ à parte rei, vel tanquam aliquid eſſentiale, vel tanquam proprietas, vel tanquam accidens commune: atqui nullum ex his dici poteſt.

Resp. Nego Min. Et dico convenire vel eſſentialiter, vel ſaltem tanquam proprietatem, quia neceſſariò convenit.

Inst. Primò. *Quod convenit eſſentialiter & neceſſariò ſuperiori, convenit & inferiori cuilibet*: atqui univerſalitas formaliter non convenit ſingulis inferioribus naturæ communis; ergo non convenit neceſſariò naturæ communi à parte rei.

Resp. dist. Maj. Quod convenit neceſſariò ſuperiori primò intentionaliter, convenit & inferiori, *C*. Quod convenit ſuperiori ſecundò intentionaliter, tanquam ſecunda quædam intentio, & non tanquam gradus aliquis eſſentialis, *N*.

Inst. *Secundò*. Atqui univerſalitas formalis non convenit à parte rei naturæ communi ſecundò intentionaliter ſumptæ.

Prob. Subs. Univerſalitas formalis non convenit naturæ quæ eſt intrinſecùs diviſa & multiplex: atqui natura communis eſt à parte rei intrinſecùs di-

viſa & multiplex in multis, v. g. humanitas.

Resp. Dist. Min. Atqui natura communis eſt à parte rei intrinſecùs diviſa & multiplex, numericè ſeu multiplicitate diſtinctionis, *C.* Specificè ſeu multiplicitate diverſitatis, *N.* Habet enim à parte rei unitatem indiverſitatis.

Inst. *Tertiò.* Atqui natura communis non eſt à parte rei una unitate ſpecificâ, ſeu indiverſitatis.

Prob. Subs. Ut natura communis eſſet à parte rei una unitate ſpecificâ in multis, deberet gradus naturæ ſpecificus eſſe unus atque indiviſus in multis: atqui gradus ſpecificus naturæ communis non eſt à parte rei unus atque indiviſus in multis; ergo, &c.

Resp. Dist. Min. Atqui gradus ſpecificus naturæ non eſt à parte rei unus, unitate numericâ ſeu indiſtinctionis, *C.* Non eſt à parte rei unus unitate ſpecificâ ſeu indiverſitatis, *N.*

Inst. *Quartò.* Atqui gradus ſpecificus non eſt à parte rei unus unitate univerſali.

Prob. Subs. Ille gradus non eſt formaliter unus unitate univerſali, qui eſt formaliter ſingularis: atqui gradus ſpecificus à parte rei eſt formaliter ſingularis.

Prob. Min. Quidquid exiſtit realiter, ſingulare eſt, *exiſtere* enim *ſingularium eſt*: atqui gradus ſpecificus formaliter exiſtit à parte rei; ergo formaliter ſingularis eſt.

Resp. Dist. Maj. Quidquid exiſtit realiter per ſe, ſingulare eſt, *C.* quidquid exiſtit per aliud, *N.* Porro gradus ſpecificus realiter exiſtit non per ſe, ſed per gradum numericum: v. g. humanitas per Petrum.

Inst. *Quintò.* Gradus qui realiter identificatur cum ſingulari eſt realiter ſingularis: atqui gradus ſpecificus identificatur realiter cum ſingulari; ergo ſingularis eſt.

Resp. Dist. Min. Atqui gradus ſpecificus identificatur realiter cum ſingulari, realiter entitativè, *C.* Realiter formaliter, *N.* Nam diſtinguuntur formaliter ex natura rei.

Inst. *Sextò.* Atqui gradus ille ſpecificus formaliter diſtinctus à numerico, non eſt unus unitate univerſali.

Prob. Subs. Si gradus ſpecificus ut formaliter

diſtinctus à numerico eſſet formaliter univerſalis à parte rei, vel haberet ſuam univerſalitatem totam in unico individuo, vel totam in omnibus, vel partim in uno & partim in altero: atqui nullum ex his dici poteſt.

Resp. nego min. Et dico ſuam habere univerſalitatem totam in omnibus, ſed non in ſingulis.

Inst. *Septimò*. Si haberet ſuam univerſalitatem totam in omnibus ſolùm individuis & non in ſingulis, univerſale formaliter fieret ex pluribus non univerſalibus formaliter: atqui univerſale formaliter non debet fieri ex pluribus non univerſalibus formaliter, alioqui fieret ex ſingularibus.

Resp. dist. maj. Univerſale formaliter fieret ex pluribus non univerſalibus, qui ſunt gradus ſpecifici & communes, *C*. Qui ſunt gradus numerici & ſingulares, N. Nam in ſingulis individuis eſt gradus aliquis ſpecificus & communis, qui eſt univerſalis in omnibus.

QUÆSTIO NONA.

De numero univerſalium.

I. PROPOSITIO.

Quinque ſunt univerſalia.

Probatur. Tot ſunt univerſalia, quot ſunt modi eſſentialiter diverſi quibus unum poteſt ineſſe multis, & de illis prædicari univocè & diviſim. Atqui ſunt quinque modi quibus unum poteſt ineſſe, & prædicari de multis univocè. Nam quidquid prædicatur de multis, vel prædicatur eſſentialiter, vel accidentaliter: ſi prædicatur eſſentialiter, vel tanquam pars eſſentiæ communior, & eſt genus, vel tanquam pars eſſentiæ ſtrictior, & eſt differentia, vel tanquam tota communis eſſentia, & eſt ſpecies: jam ſi prædicatur accidentaliter, vel neceſſariò, & eſt proprium, vel contingenter, & eſt accidens communè,

Ergo quinque ſunt modi quibus unum poteſt ineſſe, & prædicari de multis univocè, proindéque ſunt quinque univerſalia, genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens.

OBJECTIO.

Non ſunt quinque univerſalia, ſi accidens commune revocetur ad genus & ſpeciem; atqui accidens commune revocatur ad genus & ſpeciem.

Prob. min. Quod prædicatur ut genus & ſpecies, revocatur ad genus & ſpeciem: atqui accidens commune prædicatur ut genus & ſpecies, v. g. Color de albedine & nigredine.

Resp. Dist. Min. Atqui accidens prædicatur ut genus & ſpecies de ſuis propriis inferioribus, ut color de albedine & nigredine, C. De ſuis ſubjectis ut color de pariete colorato, N. Nam de illis prædicatur contingenter.

Instabis. Atqui ſubjecta accidentis ſunt ejus inferiora: nam accidens de illis prædicatur tanquam ſuperius; ergo accidens eſt genus & ſpecies reſpectu ſubjectorum.

Resp. Dist. Ant. Subjecta accidentis ſunt ejus inferiora impropriè dicta, C. Propriè dicta, N. Nam inferiora accidentis propriè dicta ſunt ea de quibus accidens, v. g. color prædicatur in recto: at de ſubjectis in recto non prædicatur.

Inst. *Secundò.* Atqui accidens eſt genus vel ſpecies reſpectu inferiorum, quæ ſunt ſubjecta.

Prob. Subs. Accidens eſt genus vel ſpecies reſpectu illorum inferiorum de quibus prædicatur eſſentialiter, vel nullo modo prædicatur univocè: atqui accidens prædicatur eſſentialiter de ſuis ſubjectis, vel nullo modo prædicatur univocè.

Prob. min. Quoad primam partem. Color prædicatur eſſentialiter de ſubjectis; ergo & accidens quodlibet.

Prob. Ant. Subjecta coloris ſunt colorata; atqui color prædicatur eſſentialiter de coloratis, quia colorata non poſſunt concipi ſine colore.

Resp. dist. Min. Atqui color prædicatur eſſentialiter de coloratis formaliter ſumptis, quatenùs coloratis, C. De coloratis materialiter ſumptis, quæ, & non quatenùs, colorata ſunt, N.

Inst.

INST. *Tertiò.* Licèt animalitas non prædicetur de homine, niſi formaliter ſumpto quatenùs animal eſt, tamen hoc ſufficit ut animalitas prædicetur eſſentialiter; ergo à pari licèt color non prædicetur de coloratis niſi formaliter ſumptis quatenùs colorata ſunt, tamen hoc ſufficit ut prædicetur eſſentialiter.

RESP. NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia animalitas eſt quid primum in homine, proindeque eſſentialis eſt: at verò color non eſt quid primum in ſubjecto, v. g. in pariete; ita ut eo ſublato adhuc paries eſſet in ſua integritate.

INST. *Quartò.* Atqui pariter color eſt quid primum in colorato.

RESP. DIST. ANT. In colorato formaliter ut coloratum eſt, *C.* In colorato materialiter ſumpto, N. Nam coloratum formaliter ut coloratum, eſt ens per accidens.

INST. *Quintò.* Atqui color non eſt univerſalis reſpectu ſubjectorum coloratorum materialiter ſumptorum.

PROB. SUBS. Univerſale debet prædicari univocè: atqui color non prædicatur univocè de ſubjectis coloratis.

PROB. MIN. Non poteſt dici paries eſt color; ergo color non prædicatur univocè de ſubjectis.

RESP. DIST. CONSEQ. Ergo color non prædicatur univocè, color in abſtracto, *C.* Color in concreto, N. Nam abſtracta inſunt; & concreta prædicantur.

INST. *Sexto.* Atqui color in concreto non prædicatur univocè de ſubjectis, nam prædicatur paronymè.

RESP. DIST. Non prædicatur univocè ſtrictè ſeu eſſentialiter, *C.* Univocè latè, *N.* Nam prædicatur ſecundùm eandem ſignificationem.

INST. *Septimò.* Quod aliud ſignificat quando prædicatur de uno ſubjecto, & aliud quando prædicatur de alio, non prædicatur univocè de ſubjectis: atqui color aliud & aliud ſignificat, quando prædicatur de ſuis ſubjectis.

PROB. MIN. In his propoſitionibus (paries eſt coloratus: homo eſt coloratus,) coloratum diverſa ſignificat in pariete & homine: ergo aliud & aliud ſignificat.

RESP. DIST. ANT. Coloratum diverſa ſigni-

gnificat in pariete & homine materialiter ſumptis & ratione ſubſtantiæ ſuæ, *C.* In pariete & homine formaliter ſumptis, *N.* Quamvis enim ſint diverſæ ſubſtantiæ parietis & hominis, eſt idem color in utroque & idem modus recipiendi coloris: quarè conveniunt paries & homo in ratione habentium colorem.

OBIECTIO SECUNDA.

Plura ſunt quàm quinque univerſalia, ſi differentia generica & ſpecifica duo conſtituant univerſalia: atqui ita ſe res habet.

Prob. Min. Tam differentia generica & ſpecifica duo conſtituunt univerſalia, quàm genus & ſpecies.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia genus & ſpecies diverſum habent prædicandi modum, nempe genus ut pars eſſentiæ magis communis, & ſpecies ut tota communis eſſentia: at verò differentia tum generica tum ſpecifica ambæ prædicantur ut partes eſſentiæ minùs communes.

Inst. *Primò.* Ideo genus & ſpecies duo conſtituunt univerſalia diverſa, quia genus prædicatur de multis ſpecie differentibus, ſpecies verò de multis ſolo numero differentibus: atqui pariter differentia generica & ſpecifica.

Resp. nego Maj. Sed quia genus prędicatur ut pars eſſentiæ magis communis, ſpecies autem ut tota communis eſſentia.

Inst. *Secundò.* Atqui pariter differentia generica & ſpecifica prædicantur ut pars eſſentiæ magis communis, & ut pars eſſentiæ minùs communis.

Prob. Subs. Senſitivum eſt differentia generica hominis, rationale eſt ſpecifica: atqui ſenſitivum prædicatur ut pars eſſentiæ mágis communis.

Resp. nego Min. Nam ſenſitivum debet comparari cum vivente cujus eſt differentia diviſiva ſicut rationale comparatur cum animali: ſed ſenſitivum ſic, eſt pars minùs communis animalis, quia vivens eſt communius.

Inst. *Tertiò.* Quod eſt tam commune quàm animal, prædicatur ut pars eſſentiæ magis communis: atqui ſenſitivum tam commune eſt quàm animal,

nempe hominibus & belluis ; ergo ſenſitivum prædicatur ut pars eſſentiæ magis communis.

Resp. *Primò*. Dist. Maj. Quod tam eſt commune quàm animal, & prædicatur eodem modo, C. Et prædicatur diverſimodè, N. At ſenſitivum prędicatur in *quale quid*, animal autem *in quid*.

Resp. *Secundò*. Dist. min. Atqui ſenſitivum tam commune eſt quàm animal inadæquatè ſumptum, prout eſt ſentiens, C. Quàm animal adæquatè ſumptum prout eſt vivens, N. Scilicet animal eſt vivens ſenſitivum. Hoc argumentum probaret quod rationale prædicaretur ut tota communis eſſentia, quia tam commune eſt quàm homo.

Inst. *Quartò*. Animal & homo ambo prædicantur ut pars eſſentiæ magis communis, & tamen duo ſunt univerſalia diſtincta ; ergo à pari licèt differentia generica & ſpecifica ambæ prædicentur ut pars eſſentiæ minùs communis, tamen poſſunt eſſe duo diverſa univerſalia.

Prob. Ant. Homo prædicatur ut pars eſſentiæ magis communis, ſi præter humanitatem quæ communis eſt individuis, ſit adhuc aliquid in ipſis eſſentiale & minùs commune : atqui ita ſe res habet.

Resp. Dist. Maj. Si præter humanitatem ſit adhuc aliquid eſſentiale & univerſale, C. Et ſingulare, N. At differentia numerica non eſt communis, proindeque appellari non poteſt pars eſſentiæ minus communis, quia prius eſt eſſe commune, quàm eſſe minùs commune.

Inst. *Quintò*. Atqui præter humanitatem eſt adhuc aliquid eſſentiale & commune.

Resp. dist. Eſt adhuc aliquid eſſentiale & commune in hominibus poſſibilibus ſpecie diverſis, C. In individuis jam exiſtentibus, N.

Inst. *Sextò*. Datur in individuis exiſtentibus id in quo conveniant individua ut individua : atqui hoc eſt eſſentiale & commune.

Resp. dist. maj. Datur id in quo conveniant individua ut individua ſecundò intentionaliter, id eſt individuatio, C. Conveniant *primò* intentionaliter, ſeu gradus aliquis realis, N. Sicut enim genera conveniunt in genereitate : ita individua in individuatione ; præterea non conveniunt, ſed differunt.

Inst. *Septimò.* Individua ut individua conveniunt in ſingularitate & gradu numerico; ergo conveniunt *primò* intentionaliter.

Resp. nego Ant. Nam individua unicè differunt in ſingularitate. Ratio eſt quia unicè differunt in ultimâ ſimpliciter differentiâ: atqui ſingularitas eſt ultima ſimpliciter differentia, ultimus ſimpliciter gradus eſſentialis.

Inst. *Octavò.* Tam ſingularia ut ſingularia conveniunt in ſingularitate, quàm homines ut homines conveniunt in humanitate.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia humanitas non eſt gradus per ſe incommunicabilis pluribus: at verò ſingularitas eſt gradus incommunicabilis prorſus.

Inst. *Nono.* Singularitas eſt communicabilis iis de quibus prædicatur: atqui prædicatur de pluribus, v. g. *Petrus eſt ſingularis: Paulus eſt ſingularis.*

Resp. Dist. Min. Atqui ſingularitas prædicatur de pluribus quoad nomen, C. Quoad rem ſignificatam eandem, N. Nam alia eſt ſingularitas quæ prædicatur de Petro, alia quæ de Paulo: nam ut eſſet eadem ſingularitas, quæ prędicaretur de Petro & de Paulo, deberet abſtrahi à ſuis inferioribus: atqui abſtrahi non poteſt, quia eſt gradus omnium infimus, non habens differentias à quibus abſtrahi poſſit.

QUÆSTIO DECIMA.

De univocatione entis.

I. PROPOSITIO.

Ens reale eſt univocum reſpectu Dei & creaturæ.

Probatur. Illud eſt univocum reſpectu Dei, & creaturæ, quod convenit Deo, & creaturæ ſecundùm idem nomen & eandem prorſus ſignificationem; atqui ens reale convenit Deo, & creaturæ ſecundùm idem nomen, eandemque ſignificationem; & *primò*

quidem convenit ſecundùm idem nomen, quia Deus & creatura ambo dicuntur entia realia ; deinde convenit ſecundùm eandem ſignificationem ; nam ens reale ſignificat id quod eſt capax exiſtentiæ realis : atqui Deus & creatura ſunt ambo capaces exiſtentiæ realis. Ergo ens reale convenit Deo & creaturæ ſecundùm idem nomen, eandemque ſignificationem; proindéque eſt univocum reſpectu Dei & creaturæ.

OBIECTIO.

Illud non eſt univocum reſpectu Dei & creaturæ quod non convenit eodem modo Deo & creaturæ : atqui ens reale non convenit eodem modo Deo & creaturæ ; ergo non eſt univocum utrique.

Prob. min. Quod convenit Deo eſſentialiter & creaturæ accidentaliter, non convenit eodem modo utrique : atqui ens reale convenit Deo eſſentialiter & creaturæ accidentaliter ; ſiquidem exiſtentia eſt accidens in creaturis.

Resp. Dist. Min. Atqui ens convenit Deo eſſentialiter, & creaturæ accidentaliter, ens participialiter ſumptum, *C.* Ens nominaliter ſumptum, *N.* Quamvis enim exiſtentia ſit accidens in creaturis, capacitas exiſtendi eſt eſſentialis tam creaturis quàm Deo.

Inst. *Primò.* Quod convenit Deo independenter, creaturæ verò dependenter, non convenit eodem modo utrique : atqui ens nominaliter ſumptum convenit Deo independenter & creaturis dependenter ; ergo ens nominaliter ſumptum non convenit eodem modo Deo & creaturæ.

Resp. Dist. Min. Atqui ens nominaliter ſumptum convenit Deo independenter & creaturis dependenter, ens quatenùs contractum per ſuas differentias, *C.* Ens quatenùs ens, prout præciſum à ſuis differentiis, *N.* Ens enim, ut ſic, neque eſt ens dependens, neque independens.

Inst. *Secundò.* Atqui ens non poteſt conſiderari ut præciſum à ſuis differentiis.

Prob. Subs. Quod includit formaliter ſuas differentias, & includitur formaliter in illis, non poteſt eſſe præciſum à ſuis differentiis : atqui ens reale includit & includitur formaliter in ſuis differentiis,

v. g. in dependentiâ & independentiâ.

Prob. Min. Attributum tranſcendens includit & includitur formaliter in omnibus : atqui ens eſt attributum tranſcendens.

Resp. Dist. Maj. Attributum tranſcendens includitur in omnibus ſpeciebus ſibi directè ſubjectis, C. In omnibus adjacentibus & contrahentibus, N. Porrò differentiæ entis ſunt adjacentes enti collateraliter, ipſumque contrahunt, ſicut rationalitas & irrationalitas contrahunt animal.

Inst. *Tertiò*. Ens prædicatur formaliter de omnibus quæ ſunt formaliter entia : atqui differentiæ entis ſunt formaliter entia ; ergo ens prædicatur de omnibus ſuis differentiis.

Prob. Min. Quæ ſunt formaliter extra nihil, ſunt formaliter entia : atqui differentiæ entis ſunt formaliter extra nihil.

Resp. Dist. Maj. Quæ ſunt formaliter extra nihil entis, C. Extra nihil modorum entis, N. Porro differentiæ entis ſunt extra nihil modorum entis, quia ſunt veri entis modi, ſed non ſunt formaliter entia.

Inst. *Quartò*. Quod non ſolùm eſt formaliter capax exiſtentiæ, ſed etiam actu exiſtit, illud eſt extrà nihil entis : atqui differentiæ entis ſunt capaces exiſtentiæ realis, & actu exiſtunt ; ergo ſunt extrà nihil entis.

Resp. Dist. Min. Atqui differentiæ entis ſunt capaces exiſtentiæ realiter & identicè, quatenùs cum ente realiter identificantur, C. Sunt capaces exiſtentiæ formaliter & prout ab ente virtualiter diſtinguuntur, N. Nam ſic, nihil ſunt aliud, quàm quod capax eſt contrahere ens.

Inst. *Quintò*. Quod formaliter habet proprietates entis realis, eſt formaliter ens : atqui differentiæ entis habent formaliter proprietates entis, nempe unitatem, bonitatem & veritatem.

Resp. Dist. Min. Atqui differentiæ entis habent formaliter unitatem, veritatem, bonitatem relativam & modalem inſtar modorum, C. Abſolutam inſtar entium, N. Quamvis enim ſint uni, veri & boni modi, non ſunt tamen una, vera & bona entia.

Inst. *Sextò*. Atqui modi & modificationes en-

tis ſunt vera entia formaliter.

Prob. Subs. Licèt accidens ſit modus & modificatio entis nihilominus eſt formaliter ens, & ſpecies entis; ergo quamvis differentiæ entis ſint modi & modificationes entis tamen ſunt formaliter vera entia.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia accidens non eſt modus entis generatim, ſed modus talis entis putà ſubſtantiæ: at verò differentiæ entis ſunt modi entis generatim; unde ſicut accidens non eſt ſubſtantia, cujus eſt modus, ita differentiæ entis non ſunt ens, cujus ſunt modi & modificationes.

Inst. *Septimò.* Atqui modi & modificationes entis generatim ſunt formaliter entia.

Prob. Subs. Vel ſunt formaliter entia, vel ſunt formaliter nihil: atqui non ſunt formaliter nihil; ergo ſunt formaliter entia.

Resp. Dist. Min. Atqui non ſunt nihil ſumptum pro negatione modi entis, *C.* Non ſunt nihil ſumptum pro negatione entis, *N.* Quamvis enim non detur medium inter ens & non ens ſimpliciter, datur tamen inter ens & non modum entis, & dicitur modus entis.

OBJECTIO II.

Si ens eſſet univocum Deo & creaturæ, eſſet aliqua perfectio univocè communis Deo & creaturæ: atqui nulla eſt perfectio univocè communis Deo & creaturæ.

Prob. Min. Illis nulla eſt perfectio univocè communis, quæ infinitè diſtant in omni perfectione: atqui Deus & creatura infinitè diſtant in omni ſua perfectione.

Resp Nego Min. vel Dist. Maj. Quæ infinitè diſtant in omni perfectione tum genericâ tum ſpecificâ, *C.* Specificâ tantùm, *N.* Porrò Deus & creatura infinitè diſtant non in perfectione genericâ quatenùs ſunt entia, ſed in ſpecificâ quatenùs ſunt talia entia, dependens ſcilicet & independens.

Instabis, Perfectio generica & ſpecifica in Deo ſunt quid idem; ergo ſi Deus & creatura infinitè

diſtant in omni perfectione ſpecificâ, diſtant quoque in genericâ.

Resp. Dist. Ant. Sunt quid idem realiter & identicè, *C*. Sunt quid idem formaliter & objectivè, *N*. Nam aliter concipitur gradus entis, aliter independentia.

Inst. *Secundò* In ente ſimpliciſſimo perfectio generica & ſpecifica ſunt quid idem etiam formaliter: atqui Deus eſt ens ſimpliciſſimum.

Resp. Dist. Maj. In ente ſimpliciſſimo formaliter & metaphyſicè, *C*. In ente ſimpliciſſimo realiter & phyſicè, *N*. Porro Deus eſt ſimpliciſſimus, ſed phyſicè, non autem metaphyſicè, quia nihil eſt ſimplex metaphyſicè præter primum genus & primam differentiam generis primi diviſivam; Deus autem nec eſt genus primum, nec prima differentia.

Inst. *Tertiò*. Quæ ſe ſe mutuò formaliter includunt ſunt quid idem formaliter: atqui perfectio generica Dei, nempe ens, & perfectio ſpecifica, nempe independentia, ſe ſe mutuò formaliter includunt.

Prob. Min. Nempe independentiam includere ens formaliter. Summa Dei perfectio, fons & radix cæterarum debet includere formaliter ens. Nam priùs eſt eſſe quàm eſſe fontem aliorum: atqui independentia eſt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Summa Dei perfectio generica ſeu prædicabilis *in quid*, *C*. Differentialis ſeu prædicabilis *in quale quid*, *N*. Nam non eſt ens formaliter, ſed adjacet enti ſicut rationalitas animali.

Inst. *Quartò*. Perfectio infinita debet eſſe formaliter ens: atqui independentia eſt perfectio infinita.

Resp. Dist. Maj. Perfectio infinita in omni genere, *C*. In ſuo duntaxat genere, *N*. Porro independentia eſt infinita non in genere entis, ſed in ſuo genere independentiæ.

Inst. *Quintò*. Quod includit exiſtentiam in ſuo conceptu eſt ens formaliter: atqui independentia includit exiſtentiam in ſuo conceptu, ſiquidem eſt modus exiſtendi à ſe.

Resp. Dist. Maj. Quod includit exiſtentiam formaliter & in recto, *C*. Præſuppoſitivè & in obliquo, *N*.

Porro independentia includit exiſtentiam non in recto, ſed in obliquo, quia eſt modus exiſtendi à ſe; ſed non eſt formaliter exiſtentia vel exiſtens. Sicut rationalitas eſt modus animalis, ſed non eſt formaliter animalitas vel animal.

Inst. *Sextò.* Quod eſt formaliter ipſa exiſtentia neceſſaria, includit exiſtentiam formaliter & in recto: atqui independentia eſt formaliter ipſa exiſtentia neceſſaria.

Resp. Nego Min. Sed eſt formaliter modus exiſtendi neceſſariò.

Inst. *Septimò.* Quod facit Deum exiſtere neceſſariò eſt ipſa exiſtentia neceſſaria: atqui independentia facit, ut Deus exiſtat neceſſariò; ergo eſt ipſa exiſtentia neceſſaria.

Resp. Dist. Maj. Quod facit Deum exiſtere neceſſariò, tribuendo ipſi exiſtentiam, *C.* Tribuendo modum éxiſtendi neceſſarium, *N.* Porro independentia non tribuit Deo ipſam exiſtentiam, ſed tribuit ſolùm modum exiſtendi neceſſarium: ſicut rationalitas facit quidem ut homo ſit animal rationale, non quòd tribuat formaliter animalitatem, ſed modum animalis rationalis.

Inst. *Octavò.* Atqui independentia tribuit Deo ipſam formaliter exiſtentiam.

Prob. Subs. Niſi independentia tribuat Deo ipſam formaliter exiſtentiam, exiſtentia non erit eſſentia Dei; atqui tamen eſt.

Resp. Dist. Maj. Exiſtentia non erit eſſentia Dei totalis & adæquata, *C.* Inadæquata, *N.* Nam tria videntur ad eſſentiam Dei pertinere; nempe capacitas exiſtendi, exiſtentia, & independentia: Deus capax eſt realis exiſtentiæ, exiſtit, & independenter exiſtit.

Inst. *Nonò.* Sequeretur inde quod exiſtentia & independentia Dei non eſſent quid primum in Deo: ſiquidem ſupponunt ipſam exiſtendi capacitatem.

Resp. Dist. Exiſtentia & independentia non eſſent quid primum comparatè ad gradum genericum entis, *C.* Comparatè ad proprietates Dei omnes, *N.* Nam ſicut rationalitas ſupponit animal in homine, ità independentia ſupponit ens in Deo.

Digitized by Google

II. PROPOSITIO.

Ens reale non eſt univocum reſpectu Dei & creaturæ.

Probatur In principiis Thomiſtarum ſic. Illud non eſt univocum reſpectu Dei & creaturæ, quod eſt eſſentialiter diverſum in Deo & in creaturâ; atqui ens reale eſt eſſentialiter diverſum in Deo & in creaturâ; cùm ſit eſſentialiter independens in Deo, & eſſentialiter dependens in creatura. Ergo ens reale non eſt univocum reſpectu Dei & creaturæ.

OBJECTIO.

Tam ens eſt univocum reſpectu Dei & creaturæ quàm animal reſpectu hominis & belluæ.

Resp. Nego parit. Ratio diſparitatis eſt, quia animal convenit eodem modo homini & belluæ; non ita ens Deo & creaturæ: nam in Deo eſt independens atque infinitum per eſſentiam: in creaturâ eſt dependens, finitum & per participationem.

Instabis. Licèt animal ſit rationale in homine & irrationale in bellua, nihilominus dicitur convenire eodem modo homini & belluæ; ergo quamvis ens ſit independens in Deo, & dependens in creaturâ nihilominus poteſt eodem modo convenire Deo & creaturæ.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia animal eſt terminus categoricus, & non tranſcendens, qui cùm non includatur in rationalitate & irrationalitate, poteſt eodem modo convenire homini & belluæ, è contra verò ens.

Inst. *Secundo.* Si quid impediret quominùs ens eodem modo conveniret Deo & creaturæ, maximè, quia eſt in Deo independens & in creaturâ dependens: atqui hæc ratio non obſtat.

Prob. Min. Licèt qualitas ſit independens in potentiâ naturali, & dependens in habitu naturali, tamen qualitas eodem modo generico convenit potentiæ & habitui; ergo à pari quamvis ens ſit in-

dependens in Deo & dependens in creaturâ, hoc non obſtat entis univocationi.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, *Primò*, Quia habitus non dependet à potentiâ in ratione qualitatis, at verò creatura dependet à Deo ſub omni ratione. *Secundò*, Quia qualitas eſt terminus categoricus, qui non imbibitur in differentiis ſuis; at verò ens eſt terminus tranſcendens qui per omnia vagatur, vel per differentias ſuas.

Inst. *Tertiò*. Atqui etiam ens non imbibitur in differentiis ſuis; ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Ens non imbibitur formaliter in eo, quód neque includit ens, neque includitur in ente: atqui differentiæ entis neque includunt ens, neque includuntur in ente.

Prob. Min. Id ſine quo concipitur ens, non includitur in ente: atqui ens concipitur ſine ſuis differentiis, ſine dependentiâ & independentiâ.

Resp. Dist. Min. Atqui ens concipitur ſine ſuis differentiis explicitè cognitis, *C.* Implicitè & confusè, *N.* Nam qui concipit ens concipit quod eſt plus quàm nihil: atqui differentiæ entis ſunt plus quàm nihil.

Inst. *Quartò*. Ens concipitur omninò ſine eo, quod neque eſt ipſum ens, neque pars entis: atqui differentiæ entis neque ſunt entia, neque partes entis.

Prob. Min. Modus determinativus entis non eſt formaliter ens vel pars entis; atqui differentiæ entis ſunt modi determinativi entis; ergo non ſunt ens vel pars entis.

Resp. Nego Maj. Quia cùm ille modus ſit plus quàm nihil, debet eſſe ens.

Inst. *Quintò*. Modus ſubſtantiæ determinativus non eſt ſubſtantia; ergo à pari modus determinativus entis non eſt formaliter ens.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia ſubſtantia non eſt terminus tranſcendens, ſicuti eſt ens; modi ſubſtantiæ non ſunt entia per ſe ſubſiſtentia, v. g. incorporeitas; at verò modi entis ſunt plus quàm nihil, proindeque ſunt entia.

Inst. *Sextò*. Quod contrahit ens, eique ſuperad-

dicitur, profectò non eſt ens formaliter, alioqui ſe ipſum contraheret: atqui modus entis determinativus contrahit ens eique ſuperadditur, v. g. Independentia contrahit ens; ergo non eſt ens.

Resp. Dist. Maj. Quod contrahit ens contractione propriè dicta ſicut rationalitas contrahit animal, *C.* Quod contrahit ens contractione inpropriè dicta, *N.* Porro differentiæ entis non contrahunt ens niſi impropriè, quatenùs explicitè manifeſtant quod in ente continebatur implicitè & confusè.

Inst. *Septimò.* Si differentiæ entis includuntur in ente vel implicitè & confusè, qui diceret, *Deus eſt ens*, diceret, *Deus eſt dependens*, falſum conſequens.

Resp. Nego Maj. Quia dum dicitur, *Deus eſt ens*, in iſtâ prædicatione ſubjectum propoſitionis *Deus*, appellat ad ſe attributum *ens*; atque ità in illâ propoſitione *ens* ſumitur determinatè pro ſolo ente independenti.

Inst. *Octavò.* Qui diceret, *Deus eſt ens*, diceret Deum eſſe, id omne quod eſſentialiter & indivulsè includitur in ente: atqui dependentia eſſentialiter includeretur in ente (data Thomiſtarum opinione;) ergo qui diceret *Deus eſt ens*, diceret Deum eſſe dependentem.

Resp. Dist. Maj. Qui diceret *Deus eſt ens*, diceret Deum eſſe id omne quod eſſentialiter includitur in ente Dei, *C.* In ente creaturæ, *N.* Porro dependentia includitur quidem in ente, non Dei, ſed creaturæ.

Inst. *Nonò.* Atqui (data Thomiſtarum opinione) dependentia includeretur eſſentialiter in ente tam Dei quàm creaturæ; ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Ens Dei & creaturæ eſſet idem prorsùs ens; ergo dependentia utrique ex æquo conveniret.

Prob. Ant. Ea ſunt quid idem prorsùs, quæ nihil habent per quod diſcrepare poſſint: atqui ens Dei & ens creaturæ nihil haberent per quod diſcreparent.

Prob. min. Id per quod diſcreparet ens Dei & creaturæ deberet eſſe aliquid præter & ſuprà ens: atqui nihil eſt hujuſmodi, in opinione Thomiſtarum.

Resp.

Resp. Dist. Maj. Deberet eſſe aliquid præter ens vel explicitè vel implicitè, *C.* Implicitè, *N.* Uno verbo ens Dei & ens creaturarum ſe totis adæquatè diſcrepant.

Inst. *De.imo.* Ea ſe totis non diſcrepant quibus eſt aliquid eſſentiale commune : atqui enti Dei & enti creaturæ eſt aliquid eſſentiale commune, putà definitio.

Resp. Dist. Min. Atqui enti Dei & creaturæ eſt aliquid eſſentiale commune analogicè, *C.* Univocè, *N.*

QUÆSTIO UNDECIMA.

An Deus ſit in Categoriâ ſubſtantiæ.

I. PROPOSITIO.

Deus eſt in Categoriâ ſubſtantiæ.

Probatur. Illud omne ponitur in Categoriâ ſubſtantiæ, quod habet omnes conditiones requiſitas ad hoc, ut collocetur in Categoriâ ſubſtantiæ; atqui Deus habet omnes conditiones requiſitas ad hoc, ut collocetur in Categoriâ ſubſtantiæ; cùm ſit ſubſtantia completa, incomplexa, & univoca. Ergo Deus eſt in Categoriâ ſubſtantiæ.

OBJECTIO.

Ille non ponitur in categoriâ ſubſtantiæ qui non habet rationem veræ & propriè dictæ ſubſtantiæ: atqui Deus non habet rationem veræ & propriè dictæ ſubſtantiæ.

Prob. Min. Qui nullis ſubſtat accidentibus non habet rationem veræ ſubſtantiæ : atqui Deus nullis ſubſtat accidentibus.

Resp. Dist. Maj. Qui nullis ſubſtat accidentibus non habet rationem veræ ſubſtantiæ, à ſubſtando, dictæ, *C.* Subſtantiæ à ſubſiſtendo dictæ, *N.* Porro potior ſubſtantiæ ſignificatio petitur à ſubſi-

ſtendo, Deus autem eſt ens per ſe ſubſiſtens.

INSTABIS. Si Deus collocaretur in categoriâ ſubſtantiæ à ſubſiſtendo dictæ, vel tanquam genus, vel tanquam ſpecies, vel tanquam individuum: atqui nullum ex his dici poteſt.

RESP. NEGO MIN. Et dico Deum reponi in categoriâ ſubſtantiæ tanquam ſpeciem entis & ſubſtantiæ generatim.

INST. *Secundò*. Species eſt unum ex univerſalibus: atqui Deus non eſt unum ex univerſalibus: quia non prædicatur de multis diviſim.

RESP. DIST. MAJ. Species prædicabilis eſt unum ex univerſalibus, C. Species ſubjicibilis, N. Porro Deus eſt ſpecies, non prædicabilis, ſed ſubjicibilis enti & ſubſtantiæ generatim.

INST. *Tertiò*. Subjici dicit imperfectionem: atqui in Deo nulla eſſe poteſt imperfectio; ergo Deus non eſt ſpecies ſubjicibilis.

RESP. DIST. MAJ. Subjici dicit imperfectionem, ſubjectione civili, ut ſervus ſubjicitur Domino, vel ſubjectione phyſicâ, ut filius parentibus, C. Subjectione logicâ, ut homo ſubjicitur animali generatim, N.

INST. *Quartò*. Quod ſubjicitur ſubjectione logicâ agnoſcit aliquid ſe ſuperius: atqui Deus nihil agnoſcit ſuperius ſe; ergo Deus non ſubjicitur ſubjectione logicâ.

RESP. DIST. MAJ. Agnoſcit aliquid ſe ſuperius ſuperioritate univerſalitatis, C. Superioritate dignitatis, N. Porro Deus nihil agnoſcit ſuperius dignitate, benè autem univerſalitate; quod autem eſt ſuperius univerſalitate, non eſt idcircò dignitate; ſic animal eſt homine ſuperiùs univerſalitate, non tamen dignitate.

INST. *Quintò*. Ens univerſaliſſimum nihil agnoſcit ſuperius ſuperioritate univerſalitatis: atqui Deus eſt ens univerſaliſſimum & ubique poſitum.

RESP. DIST. MIN. Atqui Deus eſt univerſaliſſimus univerſalitate reali & locorum, C. Univerſalitate logicâ & prædicationum, N. Hoc eſt Deus eſt ubique in locis omnibus per immenſitatem, ſed non prædicatur in recto de omnibus, ſicut prædicatur ens.

INST. *Sextò*. Niſi Deus eſſet univerſaliſſimus

univerſalitate logicâ, intellectus noſter conciperet Deum tanquam terminis ſe univerſalioribus comprehenſum: atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Terminus logicis & categoricis comprehenſum, C. Terminis realibus & phyſicis, N. Porro non implicat Deum habere terminos logicos & categoricos nempe genus & differentiam.

Inst. *Septimò.* Ens ſimpliciter infinitum nullos habet terminos mentales & logicos: atqui Deus eſt ſimpliciter infinitus.

Resp. Dist. Maj. Ens ſimpliciter infinitum logicè, ut non homo, non lapis, C. Ens ſimpliciter infinitum entitativè ob infinitas perfectiones, N.

Inst. *Octavò.* Quod non habet determinatam perfectionem ratione cujus revocetur ad certum genus, eſt infinitum logicè: atqui Deus eſt hujuſmodi.

Prob. Min. Id cujus omnes perfectiones ſunt infinitæ, non poteſt revocari ad certum & determinatum genus ſibi cum cæteris univocè commune; atqui omnes & ſingulæ Dei perfectiones ſunt infinitæ.

Resp. Dist. Min. Atqui omnes & ſingulæ Dei perfectiones ſpecificæ ſunt infinitæ, C. Genericæ, N. Sic ens eſt univocè commune Deo cum cæteris quibuſcumque entibus.

Inst. *Nonò.* Ens per eſſentiam, totalitas entis & plenitudo eſt aliquid ſimpliciter infinitum: atqui ens in Deo eſt ens per eſſentiam, totalitas entis & plenitudo; ergo ens ſeu perfectio Dei generica eſt infinita.

Resp. Dist. Min. Atqui ens in Deo eſt ens per eſſentiam, ens Dei ut Dei, C. Ens Dei præcisè ut ens, N. Nam ut ſic, abſtrahit à finito & infinito, ſicut animal à rationali & irrationali.

Inst. *Decimò.* Atqui in Deo non eſt diſtinguendum ens ut ens genericè, ab ente Dei ut Dei ſpecificè; ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Si poſſet in Deo diſtingui ens genericè ab ente ſpecificè, gradus genericus à gradu ſpecifico, Deus foret pars illius gradûs generici: atqui Deus nequit eſſe pars alterius.

Resp. Dist. Maj. Deus foret pars illius gradûs generici, pars potentialis, C. Pars actualis, N.

Porro non magis repugnat Deum eſſe partem potentialem totius potentialis v. g. entis, quàm hominem eſſe partem potentialem animalis generatim.

Inst. *Vndecimò.* Si Deus eſſet ſub gradu generico entis comprehenſus, Deus eſſet pars actualis categoriæ, quæ actu componitur ex generibus, ſpeciebus & individuis.

Resp. Dist. Deus eſſet pars actualis categoriæ quæ eſt totum actuale impropriè dictum & logicum, *C.* Quæ eſt totum actuale propriè dictum & phyſicum, *N.* Porro non magis repugnat Deum eſſe actu partem categoriæ, quàm eſſe actu ſubjectum iſtius propoſitionis, *Deus eſt ens.*

OBIECTIO II.

Illud non ponitur in categoriâ quod nulli ſubjacet generi: atqui Deus nulli ſubjacet generi.

Prob. Min. Si cui Deus ſubjaceret generi, componeretur ex genere & differentiâ: atqui Deus non componitur ex genere & differentiâ.

Prob. Min. Genus & differentia ſunt potentia & actus: atqui Deus non componitur ex potentiâ & actu; ergo non componitur ex genere & differentiâ.

Resp. Dist. Maj. Genus & differentia ſunt potentia metaphyſica & actus metaphyſicus, *C.* Sunt potentia phyſica & actus phyſicus, *N.* Porro Deus componitur ex potentiâ & actu metaphyſicis.

Instabis. Ens ſimpliciſſimum non componitur ex potentiâ & actu metaphyſicis: atqui Deus eſt ens ſimpliciſſimum.

Resp. Dist. Maj. Ens ſimpliciſſimum metaphyſicè, *C.* Phyſicè, *N.* Porrò Deus non eſt ſimplex metaphyſicè, quia componitur ex pluribus gradibus metaphyſicis.

Inst. *Secundò.* Niſi Deus eſſet ſimpliciſſimus metaphyſicè, darentur in Deo perfectibile & perfectivum: atqui hoc implicat, alioqui non eſſet infinitè perfectus.

Resp. Dist. Maj. Darentur in Deo perfecti-

bile & perfectivum; metaphyſica, *C*. Phyſica, *N*.

INST. *Tertiò*. In eo non dantur perfectibile & perfectivum etiam metaphyſica, cujus perfectiones omnes ſunt infinitæ, & infinitè perfectæ; atqui Dei perfectiones ſingulæ ſunt hujuſmodi.

RESP. DIST. MAJ. Cujus perfectiones omnes ſunt infinitæ in omni genere, *C*. In ſuo tantùm genere, *N*. Porrò una Dei perfectio eſt quidem infinita in ſuo genere, ſed non in genere alterius.

INST. *Quartò*. Perfectio perfectibilis per aliam, eſt imperfecta: atqui in Deo nihil eſt imperfectum; ergo in Deo nihil eſt perfectibile per aliud.

RESP. DIST. MAJ. Perfectio perfectibilis eſt imperfecta, negativè, *C*. Privativè, *N*. Porrò nihil eſt quidem in Deo imperfectum privativè, ſeu carens debitâ ſibi perfectione, ſed eſt aliquid imperfectum negativè, carens perfectione indebitâ ſibi, v. g. ens carens formaliter independentiâ.

INST. *Quintò*. Nihil eſt admittendum in Deo quod arguat imperfectionem: atqui imperfectum negativè, argueret in Deo imperfectionem ſaltem mentaliter.

PROB. MIN. Ille foret imperfectus qui includeret in ſe aliquid non perfectum: atqui Deus includeret aliquid non perfectum, v. g. gradum entis.

RESP. DIST. MAJ. Qui includeret in ſe aliquid non perfectum, ſine ſuo perfectivo, *C*. Cum ſuo perfectivo, *N*. Porrò Deus includit gradum entis indivulsè conjunctum cum independentiâ.

INST. *Sextò*. Perfectibile phyſicum dicit imperfectionem phyſicam & realem in compoſito phyſico; ergo etiam perfectibile metaphyſicum dicit imperfectionem metaphyſicam ſeu mentalem.

RESP. NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ubi eſt perfectibile phyſicum, ibi eſt aut eſſe poteſt ſeparatio perfectionum, proindeque carentia perfectionis: at verò ubi tantùm eſt perfectibile metaphyſicum, ibi nulla eſſe poteſt ſeparatio perfectionum, nec proinde carentia perfectionis.

INST. *Septimò*. Atqui pariter ubicumque eſt perfectibile metaphyſicum, ibi eſt ſeparatio metaphyſica ſeu mentalis perfectionum; ergo eſt imperfectio metaphyſica ſeu mentalis.

RESP. DIST. ANT. Ubicumque eſt perfectibile

le metaphyſicum, ibi eſt ſeparatio metaphyſica perfectionum præciſiva, *C.* Negativa, *N.* Porrò præciſiones non arguunt imperfectionem in objecto, ſed ad ſummùm in facultate præſcindente, quæ præ ſuâ limitatione non valet quidquid eſt in objecto ſimul & ſemel apprehendere, ***Abſtrahentium non eſt mendacium.***

INST. *Octavò.* Atqui mens non poteſt præſcindere unum gradum Dei ab altero.

PROB. SUBS. Si mens præſcinderet unum Dei gradum ab altero, mens conciperet in Deo partem & partem: falſum conſequens; ergo, &c.

RESP. DIST. MAJ. Mens conciperet in Deo partem & partem metaphyſicam, *C.* phyſicam, *N.*

INST. *Nonò.* Si mens conciperet in Deo partem & partem metaphyſicam, Deus non eſſet Angelo ſimplicior: falſum conſequens; ergo, &c.

RESP. DIST. MAJ. Deus non eſſet Angelo ſimplicior metaphyſicè, *Tranſeat*, phyſicè, *N.* Nam Angelus componitur phyſicè ex ſubjecto & accidentibus phyſicis.

Dixi, *Tranſeat*, nam Angelus plus componitur metaphyſicè, quàm Deus, quia componitur ex eſſentiâ & exiſtentiâ virtualiter diſtinctis, non item Deus.

INST. *Decimò.* Ergo Deus nòn erit metaphyſicè perfectior Angelo.

RESP. NEGO Conſeq. Nam gradus metaphyſici quibus componitur Deus ſunt multò perfectiores gradibus metaphyſicis Angeli.

II. PROPOSITIO.

Deus non eſt in Categoriâ ſubſtantiæ.

PROBATUR. In principiis Thomiſtarum ſic. Illud non eſt in categoria ſubſtantiæ, quod limitibus categoriæ ſubſtantiæ coërceri non poteſt: Atqui Deus coërceri non poteſt limitibus ſubſtantiæ categoricæ; nam ens ſimpliciter infinitum nullis poteſt coërceri limitibus, atqui Deus eſt ſimpliciter infinitus in omni genere. Ergo Deus coërceri non poteſt

limitibus ſubſtantiæ categoricæ proindeque non ponitur in categoria ſubſtantiæ.

OBIECTIO.

Ille collocandus eſt in categoria ſubſtantiæ, qui habet omnes conditiones tum generales tum ſpeciales ad catagoriam ſubſtantiæ requiſitas: atqui Deus eas omnes habet conditiones.

Prob. Min. *Primò* Habet generales, quia eſt ens reale, per ſe, completum, incomplexum & univocum, *ſecundò* habet ſpeciales, quia eſt ſubſtantia, per ſe, completa & univoca.

Resp. nego Min. *Primò* Quia non habet univocationem; *ſecundò* quia non eſt ens finitum; quòd autem collocatur in categoria debet eſſe finitum.

Instabis. Ea ſubſtantia eſt univoca, quæ convenit cum cæteris quibuſcumque ſubſtantiis in nomine & ratione ſubſtantiæ: atqui Deus eſt hujuſmodi, quia eſt ens per ſe ſubſiſtens, ſicut & reliquæ ſubſtantiæ.

Resp. Dist. Maj. Quæ convenit cum cæteris ſubſtantiis in ratione ſubſtantiæ univocâ atque prorſus eâdem, C. In ratione ſubſtantiæ analogâ & partim diverſâ, N. Porrò ratio ſubſtantiæ eſt analoga Deo & reliquis, quia in Deo eſt independens & infinita, non item in reliquis.

Inst. *Secundò*. Si quid obſtet quominùs ratio ſubſtantiæ ſit univoca Deo & reliquis, maximè quia Deus eſt ſubſtantia infinita, creaturæ verò ſunt ſubſtantiæ finitæ & dependentes: atqui hæc ratio non obſtat.

Prob. Min. Quamvis linea infinitè protenſa (ſi daretur) eſſet quantitas infinita, nihilominus quantitas generatim eſſet univoca lineæ infinitæ & finitæ; ergo quamvis Deus ſit ſubſtantia infinita, hoc non obſtat, quin ſubſtantia generatim ſit univoca Deo & reliquis.

Resp. nego. Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia linea infinita (ſi daretur) non eſſet infinita eſſentialiter, ſed accidentaliter: at verò Deus eſt ſubſtantia infinita per eſſentiam, proindeque nihil habet univocè commune cum creatis ſubſtantiis.

Inst. *Tertiò*. Quod non ingreditur rationem for-

malem ſubſtantiæ non poteſt impedire univocationem ſubſtantiæ : atqui infinitudo Dei non ingreditur rationem formalem ſubſtantiæ ipſius.

Resp. dist. min. Atqui infinitudo Dei non ingreditur rationem formalem ſubſtantiæ, non ingreditur explicitè & diſtinctè, C. Implicitè & confusè, N. Nam ſumma Dei ſimplicitas facit, ut ſingulæ Dei perfectiones ſe ſe mutuò implicitè includant.

Inst. Quartò. Quod virtualiter & formaliter diſtinguitur à gradu ſubſtantiæ, non ingreditur rationem formalem ſubſtantiæ : atqui infinitudo Dei diſtinguitur ſaltem virtualiter à ſubſtantia Dei (ex Thomiſtis.)

Resp. Dist. Maj. Quod virtualiter perfectè diſtinguitur à gradu ſubſtantiæ, C. Virtualiter imperfectè, N. Porrò Dei perfectiones non niſi virtualiter imperfectè diſtinguuntur ob infinitam Dei ſimplicitatem, quæ facit ut qui concipiat unam Dei perfectionem, confusè concipiat omnes.

Inst. Quintò. Quæ perfectam faciunt in Deo compoſitionem metaphyſicam, diſtiguuntur virtualiter perfectè : atqui ſubſtantia & infinitudo Dei perfectam faciunt in Deo compoſitionem metaphyſicam.

Prob. Min. Ibi eſt perfecta compoſitio metaphyſica, ubi eſt perfecta plurium graduum Metaphyſicorum diverſorum unio : atqui ſic eſt in Deo ; ergo in Deo eſt perfecta compoſitio.

Resp. dist. Maj. Ibi eſt perfecta compoſitio metaphyſica, ubi eſt plurium diverſorum unio, quæ ſe habeant per modum actûs & potentiæ, C. Secùs, N. Porro Dei perfectiones non ſe habent ut actus & potentia, quia in Deum nulla cadit perfectibilitas, nulla potentialitas.

Inst. Sextò. Atqui Dei perfectiones ſe habent ut actus metaphyſicus & potentia metaphyſica.

Prob. Subs. Illæ perfectiones ſe habent ut actus & potentia, quæ, cùm non ſint infinitæ in omni genere, aliæ aliis ſuparadduntur : atqui Dei perfectiones aliæ aliis metaphyſicè & virtualiter ſuperadduntur, nec ſingulæ ſunt infinitæ in omni genere, v. g. Miſericordia non eſt infinita in genere juſtitiæ ; ergo ſe habent ut actus & potentia.

Resp. dist. Maj. Aliæ aliis ſupperadduntur

propriè & ſecundùm rei veritatem, *C.* impropriè & ſecundùm conceptus diſtinctiores ſolùm, *N.* Porro Dei perfectiones propriè non ſuperadduntur aliæ aliis, quia in ſe ſe mutuò veluti imbibuntur.

INST. *Septimò.* Illæ perfectiones aliæ aliis ſuperadduntur propriè, de quarum unâ affirmatur, quod non licet affirmare de alterâ in ſenſu formali & virtuali: atqui de unâ perfectione divinâ affirmatur, quod nullo ſenſu formali licet affirmare de alterâ.

PROB. MIN. Rectè dicitur, *Deus eſt ſummè intelligens, immutabilis, omnipotens, quia eſt à ſe, atque infinitus*, non rectè diceretur, *quia eſt ens vel ſubſtantia:* rectè è contrà dicitur, *Deus aliquatenùs convenit cum creaturis, quia eſt ens & ſubſtantia:* non rectè diceretur, *quia eſt independens & à ſe*; ergo de una perfectione Dei affirmatur quod non licet affirmare de altera ullo ſenſu formali.

Reſpondent vulgò Thomiſtæ hæc eſſe intelligenda ſecundùm diverſos conceptus imperfectos. Sed quid ſentiendum ſit de illâ reſponſione viderit Lector.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De termino relationis.

I. PROPOSITIO.

Terminus non eſt de eſſentia relationis.

PROBATUR. Quod eſt formaliter extra relationem non eſt de eſſentia relationis. Atqui terminus eſt formaliter extrà relationem; ſic filius, qui terminus eſt paternitatis, eſt formaliter extrà paternitatem, quæ tota eſt in patre. Ergo terminus non eſt de eſſentia relationis.

OBIECTIO.

ILlud eſt de eſſentia relationis quod ingreditur conceptum formalem & definitionem relationis: atqui terminus ingreditur conceptum formalem &

definitionem relationis ; ergò terminus eſt de eſſentiâ relationis.

Resp. Dist. Maj. Quod ingreditur conceptum formalem relationis, ingreditur formaliter & in recto caſu, C. Præſuppoſitivè & in obliquo tantùm, N. Porro terminus eſt in conceptu relationis, non formaliter, ſed præſuppoſitivè, non in rectò, ſed in obliquo, hoc pacto *Paternitas eſt ordo patris ad filium.*

Instabis. Quod conſtituit & ſpecificat relationem, ingreditur formaliter conceptum relationis: atqui terminus conſtituit & ſpecificat relationem, ita ut pro varietate terminorum variæ ſint relationis ſpecies ; ergo terminus ingreditur formaliter conceptum formalem relationis.

Resp. dist. maj. Quod conſtituit & ſpecificat relationem intrinſecè, C. Extrinſecè, N. Porro terminus ſpecificat relationem extrinſecè, ſicut objectum ſpecificat ſcientiam, non autem intrinſecè ; quia terminus eſt extra relationem.

Inst. *Secundò.* Differentia eſſentialis relationis ſpecificat relationem intrinſecè : atqui terminus eſt differentia eſſentialis relationis.

Prob. Min. Vel terminus eſt differentia eſſentialis relationis, vel ordo ſeu connotatio termini : atqui ordo ſeu connotatio termini non eſt differentia relationis ; ergo ipſe terminus eſt.

Resp. nego Min. Sicut enim ſcientia intrinſecè ſpecificatur ab ordine ad objectum, ita & relatio à connotatione ſeu ordine ad terminum.

Inst. *Tertiò.* Relatio ipſa non eſt differentia relationis : atqui ordo ſeu connotatio termini eſt ipſiſſima relatio ; ergo ordo ſeu connotatio termini non eſt differentia relationis.

Resp. Dist. maj. Relatio adæquatè ſumpta non eſt differentia relationis adæquatè ſumptæ, C. Relatio inadæquatè ſumpta non eſt differentia relationis adæquatè ſumptæ, N. Porro connotatio termini eſt relatio inadæquatè ſumpta.

Inst. *Quartò.* Relatio adæquatè ſumpta definitur, *Ordo unius ad aliud* ; ergo ordo ad terminum eſt relatio adæquatè ſumpta.

Resp. dist. ant. Relatio adæquatè ſumpta definitur, Ordo adæquatè ſumptus, C. Definitur,

Ordo inadæquatè ſumptus, *N.* Dum enim dicitur, *relatio eſt ordo*, id eſt, relatio eſt accidens ordinans, ubi *accidens* eſt genus, *ordinans* eſt differentia.

INST. *Quintò.* Atqui relatio adæquatè ſumpta, eſt ipſa connotatio, ipſa ordinatio; ergo nulla ſolutio.

PROB. SUBS. Niſi relatio ſit ipſa connotatio ipſa ordinatio, relatio eſſet compoſita ex pluribus gradibus: atqui relatio non eſt compoſita ex pluribus gradibus.

PROB. MIN. Simplex forma non componitur ex pluribus gradibus: atqui relatio eſt ſimplex forma; ergo non componitur ex pluribus gradibus.

RESP. DIST. MAJ. Simplex forma non componitur ex pluribus gradibus phyſicis, materiâ & formâ, *C.* Non componitur ex gradibus metaphyſicis, genere & differentiâ, *N.*

INST. *Sextò.* Forma phyſica non componitur ex gradibus phyſicis; ergo forma metaphyſica ut relatio, non componitur ex gradibus metaphyſicis.

RESP. *Primò* NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia non implicat multiplicari gradus metaphyſicos propter diverſum ejuſdem rei conſiderandæ modum: at implicat multiplicari gradus reales & phyſicos: ſic idem homo habet infinitos prope gradus metaphyſicos, neque tamen plures habet partes phyſicas, quàm corpus & animam.

RESP. *Secundò.* DIST. Conſeq. Ergo forma metaphyſica non componitur ex pluribus gradibus metaphyſicis, ſi fuerit forma prima & ſimplex habens rationem partis, ut perſeitas vel inalietas, *C.* Si fuerit forma ſecunda complexa habens rationem totius ut humanitas, vel relatio, *N.*

II. PROPOSITIO.

Relatio terminatur ad abſolutum formaliter.

PROBATUR. Relatio terminatur ad abſolutum formaliter, ſi terminus relationis debeat ſpectari ut abſolutus. Atqui terminus relationis ſpectari debet ut abſolutus; nam quod antecedit relationem, profectò eſt abſolutum; atqui terminus relationis ante

cedit relationem, cum ſit cauſa relationis; poſitis enim fundamento & termino exurgit relatio. Ergo terminus antecedit relationem, proindeque relatio terminatur ad abſolutum.

OBJECTIO.

Relatio terminatur ad terminum formaliter ut terminum: atqui terminus ut terminus, eſt formaliter relativus.

Prob. Min. Quod non poteſt concipi ſine alio eſt relativum formaliter ut ſic: atqui terminus ut terminus non poteſt concipi ſine alio, ſiquidem eſt terminus alterius; ergo terminus ut terminus eſt formaliter relativus.

Resp. Dist. Maj. Quod non poteſt concipi ſine alio ad quod referatur, *C.* Sine alio quod ad ipſum referatur, *N.* Porrò terminus ut terminus eſt alterius terminus, ideoque non concipitur ſine alio, quod ad ipſum referatur; bene autem ſine alio ad quod ipſe referatur.

Inst. *Primò.* Omnis relatio eſt mutua.

Resp. Dist. Sub aliquo reſpectu, *C.* Sub omni reſpectu, *N.* Id eſt, nunquam unum extremum refertur ad alterum quin illud alterum referatur quoque ad ipſum. At neceſſe non eſt ut referatur ſub eo reſpectu ſub quo terminus eſt: quia ut ſic antecedit naturâ relationem.

Inst. *Secundò.* Atqui terminus ut terminus includit relationem ſibi intrinſecam.

Prob. Subs. Filius eſt terminus paternitatis: atqui filius in Idea ſua includit relationem; ergo terminus ut terminus includit relationem.

Resp. Dist. Maj. Filius eſt terminus paternitatis, filius materialiter ſumptus ut homo genitus, *C.* Filius formaliter ſumptus ut filius, *N.* Porrò filius ut filius includit quidem relationem, ſed non filius, ut homo genitus: quia ſic, eſt cauſa relationis, ipſamque antecedit naturâ.

Inst. *Tertiò.* Paternitas terminatur ad ſuum correlatum: atqui correlatum paternitatis eſt filius formaliter ut filius; ergo paternitas terminatur ad filium formaliter ut filium.

Resp. Dist. Maj. Paternitas terminatur ad ſuum correlatum materialiter ſumptum, quod correlatum

latum eſt, *C.* Ad ſuum correlatum formaliter ſumptum, ut correlatum eſt, *N.*

INST. *Quartò.* Paternitas terminatur formaliter ad id, cui formaliter opponitur: atqui paternitas formaliter opponitur correlato formaliter ut correlato; ergo paternitas terminatur ad ſuum correlatum formaliter ut correlatum.

RESP. DIST. MAj. Paternitas terminatur ad id cui formaliter opponitur tanquam termino ſuo, *C.* Tanquam correlato ſuo, vel correlationi, *N.* Porro paternitas opponitur filio ut filio tanquam correlato ſuo, non autem tamquam termino: quia correlatum ut correlatum non præcedit paternitatem; terminus autem præcedit, quia eſt cauſa paternitatis, quâ poſitâ exurgit paternitas.

INST. *Quintò.* Paternitas opponitur tanquam termino ei per quod definitur & cognoſcitur: atqui paternitas definitur per correlatum formaliter ut correlatum; ergo paternitas opponitur ſuo correlato formaliter tanquam termino.

PROB. MIN. Niſi paternitas definiretur per ſuum correlatum formaliter ut eſt correlatum, duo correlata non eſſet ſimul cognitione & definitione; atqui *correlata ſunt ſimul cognitione & definitione* (ex axiomate.)

RESP. DIST. MAj. Duo correlata formaliter ut correlata, non eſſent ſimul cognitione & definitione, *C.* Duo correlata unum formaliter ſumptum, alterum materialiter, *N.* Porro duo correlata ſunt ſimul cognitione & definitione, ſi unum ſumatur formaliter, alterum verò materialiter; quia relatum unum formaliter ſumptum cognoſcitur per alterum materialiter ſumptum, v. g. Pater ut pater per filium ut hominem genitum.

INST. *Sextò.* Correlata formaliter ut correlata ſunt ſimul naturâ: atqui non eſſent ſimul naturâ, ſi non eſſent ſimul cognitione & definitione formaliter ambo; ergo correlata formaliter ambo ſunt ſimul cognitione & definitione.

PROB. MIN. Ea non ſunt ſimul naturâ quorum unum præintelligitur alteri: atqui unum relatum formaliter præintelligeretur alteri formaliter ſumpto, v. g. Pater ut pater filio ut filio.

PROB. MIN. Tunc intelligitur eſſe paternitas

quando intelliguntur fundamentum & terminus paternitatis : atqui fundamentum & terminus paternitatis præintelligerentur filio ut filio, ſiquidem abſolutum prius eſt relativo ; ergo paternitas præintelligeretur filiationi.

RESP. DIST. MAJ. Tunc intelligitur eſſe paternitas, quando intelligitur terminus, intelligitur in eodem inſtanti temporis, C. In eodem inſtanti naturæ, N. Nam tria ſunt diſtinguenda inſtantia naturæ in eodem inſtanti temporis. In primo inſtanti eſt generans : in ſecundo eſt genitus : in tertio exurgunt hinc & inde paternitas & filiatio. Igitur paternitas ſupponit terminum ſe priorem in aliquo inſtanti naturæ, cùm ipſa ſit in tertio, terminus verò in ſecundo. Sed quo inſtanti tertio intelligitur paternitas, eodem & ſimul jam eſt filiatio : proindeque paternitas non præcedit filiationem. ; (quod quidem obſervatione & attentione ſingulari digniſſimum eſt.)

℟. INST. *Septimò.* Ea ſe ſe præcedunt quorum cauſæ neceſſariæ ſe ſe præcedunt : atqui cauſæ paternitatis & filiationis ſe ſe præcedunt, nempe generatio activa & paſſiva, quarum prima eſt in primo, altera in ſecundo inſtanti.

RESP. DIST. MAJ. Quorum cauſæ ſe ſe præcedunt, cauſæ totales, adæquatæ, & ſufficientes, C. Cauſæ partiales & inſufficientes, N. Porro non ſola generatio activa eſt cauſa filiationis, ſed etiam paſſiva, aut vice verſa ; quia relatio non ſolum pendet à fundamento, ſed etiam à termino, quibus poſitis ſtatim exurgunt hinc & inde relationes in ſubjecto & termino.

QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

Sit-ne Deus ſubjectum relationis categoricæ?

PROPOSITIO.

Deus eſt ſubjectum relationis categoricæ.

Probatur. Ut Deus ſit ſubjectum relationis categoricæ, ſatis eſt quod Deus non minùs referatur ad creaturas exiſtentes, quam creaturæ referantur ad Deum; atqui Deus refertur ad creaturas exiſtentes: nam omnis cauſa refertur ad ſuos effectus. Atqui Deus eſt cauſa creaturarum exiſtentium; ergo Deus refertur ad creaturas exiſtentes, proindeque eſt ſubjectum relationis categoricæ.

OBIECTIO.

Deus non eſt ſubjectum accidentium: atqui relatio categorica eſt accidens; ergo Deus non eſt ſubjectum relationis categoricæ.

Resp. dist. maj. Deus non eſt ſubjectum accidentium phyſicorum, & abſolutorum, C. Accidentium metaphyſicorum & relativorum, N. Hæc enim accidentia metaphyſica nihil entitatis ſuperaddunt ſubjectis.

Inst. *Primò.* Deus non eſt ſubjectum eorum accidentium quæ arguunt imperfectionem: atqui accidentia relativa ſeu relationes arguunt imperfectionem in ſubjectis.

Prob. Min. Quod arguit dependentiam à termino, arguit imperfectionem: atqui relatio categorica argueret in Deo dependentiam à termino, nempe à creatura; ergo argueret imperfectionem.

Resp. Dist. Maj. Quod arguit dependentiam cauſalitatis, C. Connexionis, N. Porro relatio non arguit aliam à termino dependentiam quàm connexionis.

Inst. *Secundò.* Quod dependet à termino tan-

quam à cauſa, arguit in ſubjecto dependentiam cauſalitatis: atqui relatio pendet à termino tanquam à cauſa, ſiquidem relatio exurgit poſitis fundamento & termino; ergo arguit dependentiam cauſalitatis.

Resp. Dist. Min. Atqui relatio pendet à termino tanquam à causâ morali, virtuali & impropriè dictâ, *C*. Tanquam à causâ reali & phyſicâ, *N*. Namque terminus propriè non cauſat relationem, ſed eſt conditio requiſita ad denominationem relationis.

Inst *Tertiò*. Quod poſito termino exurgit in ſubjecto tanquam nova quædam forma intrinſeca, certè pendet à termino tanquam à cauſa reali & phyſica: atqui relatio exurgit in ſubjecto tanquam nova forma intrinſeca ſubjecto; ergo pendet à termino tanquam à cauſa reali & propriè dicta.

Prob. Min. Quod facit ſubjectum eſſe realiter tale, quale antea non erat realiter, certè nova quædam eſt forma ſubjecto intrinſeca: atqui relatio categorica facit ſubjectum eſſe realiter tale, quale non erat antea: v. g. Relatio creatoris facit Deum eſſe in tempore relatum ad creaturas.

Resp. Dist. Maj. Quod facit ſubjectum eſſe realiter tale quoad entitatem quale anteà non erat quoad entitatem, *C*. Eſſe realiter tale quoad denominationem quale anteà non erat quoad denominationem, *N*. Porro relatio non addit novam entitatem ſubjecto, ſed novam ſolùm denominationem dependenter à termino.

Inst. *Quartò*. Quod tribuit ſubjecto novam denominationem intrinſecam, tribuit novam entitatem intrinſecam: atqui relatio tribuit ſubjecto novam denominationem intrinſecam.

Resp. Dist. Maj. Quod tribuit ſubjecto novam denominationem intrinſecam abſolutam, *C*. Relativam, *N*. Ratio diſparitatis eſt, quia nova denominatio abſoluta non venit niſi à nova forma, quæ ſi anteà fuiſſet, anteà denominaſſet. At verò nova denominatio relativa poteſt venire à novo termino, defectu cujus vetus forma non denominabat.

Inst. *Quintò*. Nova denominatio intrinſeca abſoluta venit à nova forma intrinſeca abſoluta; ergo etiam nova denominatio intrinſeca relativa venit à nova forma intrinſeca relativa.

Resp. Nego Conſeq. & paritat. Ratio diſp. eſt, quia cùm forma abſoluta, ſtatim atque eſt in ſubjecto, tribuat ei ſuam neceſſariò denominationem abſolutam, rectè concluditur novam accedere formam abſolutam, ubi nova incipit denominatio abſoluta. Non ita eſt de forma relativa, quæ cùm non tribuat denominationem ſuam niſi dependenter à termino, poteſt *primò* eſſe in ſubjecto, nec tamen ipſum denominare, deinde denominare poſito termino.

Inst. *Sextò.* Atqui parit erante poſitum terminum non erat forma relativa in ſubjecto.

Prob. Subs. Ibi non erat forma relativa, ubi non erat ordo unius ad aliud : atqui ante poſitum terminum non erat ordo unius ad aliud.

Resp. Dist. Min. Atqui ante poſitum terminum non erat ordo unius ad aliud non erat ex parte termini, *C.* Ex parte ſubjecti, Subdistinguo, Non erat quoad denominationem, *C.* Quoad entitatem & rem, *N.*

QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

De fundamento relationis.

I. PROPOSITIO.

Relatio non diſtinguitur realiter à fundamento ſuo.

Probatur. Non ſunt multiplicanda, vel diſtinguenda entia ſine neceſſitate : atqui nulla eſt neceſſitas diſtinguendæ realiter relationis à fundamento ſuo, cùm una ſit eademque realiter entitas utriuſque, nec poſſit aſſignari cauſa productiva relationis, ut diſtinctæ realiter à ſuo fundamento. Ergo relatio non diſtinguitur realiter à fundamento ſuo.

OBIECTIO.

Accidens diſtinguitur realiter à ſubſtantia : atqui relatio categorica eſt accidens, fundamentum autem ſæpè eſt ſubſtantia ; ergo relatio diſtinguitur

realiter à ſuo fundamento.

Resp. dist. Maj. Accidens phyſicum, ut quantitas reſpectu materiæ, C. Accidens metaphyſicum, N. Porro relatio non eſt accidens niſi metaphyſicum.

Inst. *Primò*. Quod realiter & phyſicè advenit fundamento, eſt accidens phyſicum fundamenti: atqui relatio categorica advenit fundamento realiter & phyſicè; ergo eſt accidens phyſicum.

Prob. Min. Quod producitur realiter & phyſicè cum termino, advenit realiter & phyſicè fundamento: atqui relatio categorica producitur phyſicè cum termino.

Resp. Nego Min. Vel Dist. Min. Atqui relatio categorica ſe tenens ex parte termini, producitur cum termino, C. Relatio ſe tenens ex parte ſubjecti, N.

Inst. *Secundò*. Quod ante productionem termini non exiſtebat in ſubjecto, & ſtatim poſt productionem termini incipit exiſtere, certè producitur unà cum termino: atqui relatio non exiſtebat in ſubjecto ante productionem termini, & ſtatim poſt, incipit exiſtere; ergo relatio producitur cum termino, v. g. Similitudo non erat ante productionem termini ſimilis.

Resp. Dist. Min. Atqui relatio non exiſtebat ante productionem termini, non exiſtebat denominativè, C. Entitativè, N. Quia eſt una eademque entitas cum albedine.

Inst. *Tertiò*. Ibi non exiſtebat ſimilitudo entitativè, ubi nihil erat ſimile: atqui ante productionem termini nihil erat ſimile, ergo non exiſtebat ſimilitudo entitativè.

Resp. dist. Maj. Ubi nihil erat ſimile defectu entitatis ſimilitudinis in ſubjecto, C Defectu termini, cui diceretur ſimile, N.

Inst. *Quartò* Ubicumque eſt entitas alicujus formæ, ibi debet eſſe denominatio illius formæ; ergo ſi ante productionem termini non exiſtebat denominatio ſimilis, non exiſtebat ipſa entitas ſimilitudinis.

Resp. Dist. Ant. Ubicunque eſt entitas formæ abſolutæ, C. Relativæ, N. Ratio diſparitatis eſt, quia forma abſoluta ſe ſolâ denominat; at ve-

rò forma relativa pendet à termino ut denominet, qui ſi fortè abfuerit, non poteſt denominare; putà ſi unicus fuerit in toto orbe paries albus.

Inst. *Quintò.* Ubicunque eſt entitas formæ relativæ, ibi debet eſſe effectus illius formalis: atqui denominatio relativa eſt effectus formalis formæ relativæ; ergo ubicunque eſt entitas formæ relativæ, ibi debet eſſe denominatio relativa.

Resp. Dist. Maj. Ibi debet eſſe effectus formalis primarius, *C.* Secundarius, *N.* Porro denominatio relativa non eſt effectus primarius formæ relativæ: ſed primarius ille effectus eſt facere ſubjectum referibile ad aliud.

Inst. *Sextò* Ubicunque eſt entitas formæ abſolutæ, ibi eſt effectus formalis primarius & ſecundarius abſolutus; ergo ubi eſt entitas formæ relativæ, ibi debet eſſe effectus primarius & ſecundarius relativus, hoc eſt, denominatio relativa.

Resp. Dist. Conſeq. Poſito termino ad denominationem requiſito, *C.* Sublato termino, *N.*

Inst. *Septimò.* Atqui dum ponitur terminus, incipit exiſtere nova entitas relationis in ſubjecto.

Prob. Subs. Niſi incipiat exiſtere nova entitas relationis, relatio non exurgeret poſitis fundamento & termino: atqui tamen exurgit (ex axiomate.)

Resp. Dist. Maj. Relatio non exurgeret quoad entitatem, *C.* Formaliter & quoad denominationem, *N.* Porrò axioma eſt intelligendum de relatione formaliter & quoad denominationem.

Inst. *Octavò.* Ante poſitionem termini omnia erant abſoluta; ergo non erat entitas relationis.

Resp. Dist. Ant. Omnia erant abſoluta ſub aliquo reſpectu, *C.* Sub omni reſpectu, *N.* Nam fundamentum dicit ordinem ad aliud, & ſub eo reſpectu non eſt abſolutum.

Inst. *Nonò.* Non erat aliud; ergo non erat ordo ad aliud.

Resp. Dist. Conſeq. Non erat per accidens & ex parte termini, *C.* Per ſe & ex parte ſubjecti, *N.*

Inst. *Decimò.* Ergo per accidens non erat relatio.

Digitized by Google

Resp. Dist. Non erat relatio denominativè, C. Entitativè, N.

II. PROPOSITIO.

Relatio diſtinguitur realiter à fundamento ſuo.

Probatur In principiis Thomiſtarum ſic. Accidens fundamenti, ſine quo poteſt eſſe fundamentum, diſtinguitur realiter à fundamento. Atqui relatio categorica eſt accidens fundamenti, ſine quo poteſt eſſe fundamentum; ſic albedo poteſt eſſe ſine ſimilitudine, putà ſi unicus exiſteret paries albus; Ergo relatio categorica diſtinguitur realiter à ſuo fundamento.

OBIECTIO.

Similitudo quæ eſt inter duo parietes albos eſt relatio categorica: atqui hæc ſimilitudo non diſtinguitur realiter ab albedine, quæ fundamentum eſt; ergo relatio categorica non diſtinguitur realiter à fundamento ſuo.

Prob. Min. Similitudo duorum parietum alborum, non diſtinguitur realiter ab eo, per quod duo parietes ſunt inter ſe ſimiles: atqui per albedinem duo parietes albi ſunt ſimiles inter ſe; ergo ſimilitudo non diſtinguitur ab albedine.

Resp. Dist. Maj. Similitudo non diſtinguitur realiter ab eo, per quod duo parietes ſunt inter ſe ſimiles, tanquam per rationem formalem conſtitutivam ſimilium, C. Tanquam per rationem fundamentalem ſimilitudinis, N. Porrò albedo eſt fundamentum & cauſa ſimilitudinis parietum alborum; ſed ipſa, non eſt ratio formalis conſtitutiva ſimilium.

Instabis. Albedo eſt ratio formalis conſtitutiva parietum ut ſimilium, ſi quocumque præciſo à parietibus præter albedinem, adhuc futuri ſint parietes inter ſe ſimiles: atqui ita eſt.

Resp. Dist. Maj. Si quocumque præciſo præter albedinem, adhuc futuri ſint ſimiles, formaliter, C. Similes fundamentaliter tantùm, N. Porro

quocumque præciſo præter albedinem, duo parietes albi, eſſent quidem ſimiles fundamentaliter propter albedinem in utroque ſuperſtitem: at non eſſent formaliter ſimiles, quia carerent formâ ſimilitudinis, quæ ſupponeretur utrinque præciſa.

INST. *Secundò.* Niſi duo parietes albi eſſent ſimiles formaliter quocunque præciſo præter albedinem, quoties paries albus de non ſimili fieret ſimilis, toties fieret in eo intrinſeca mutatio: atqui hoc apertè falſum eſt, quia in eo perſeverat nihilominus quæ priùs inerat diſpoſitio.

RESP. DIST. MAJ. Toties fieret in eo intrinſeca mutatio relativa, & in ordine ad aliud, *C.* Mutatio abſoluta, & in ordine ad ſe, *N.* Porro dum paries albus fit de non ſimili ſimilis, non mutatur abſolutè ſecundùm eam quæ priùs fuerat diſpoſitionem: at mutatur relativè, quia novum acquirit reſpectum.

INST. *Tertiò.* Suppono unicum eſſe primò parietem album in toto latè terrarum orbe, ipſúmque exiſtere Pariſiis; deinde elapſis centum annis exſtrui Romæ alterum parietem album priori ſimilem: arqui in illâ hypotheſi nulla fit mutatio intrinſeca vel relativa in pariete Pariſino, ad exſtructionem parietis Romani.

PROB. MIN. Nulla poteſt aſſignari cauſa productiva recentis illius entitatis, quæ dicitur ſubitò advenire parieti Pariſino: vel enim eſſet albedo parietis Pariſini, ejuſque artifex, vel paries Romanus; at nullum horum dici poteſt.

RESP. NEGO ANT. Et dico ſimilitudinem hanc ſubitò reſultare ex albedine parietis Pariſini ad poſitionem recentis termini; proindeque cauſa novæ illius entitatis eſt fundamentum parietis Pariſini.

INST. *Quarto* Explicari non poteſt unde iſta tanta ſubito oriatur fœcunditas in ſterili tandiu & ruinoſo pariete Pariſino? Cur hodiè potiùs quàm à centum annis erumpat in productionem novæ illius entitatulæ?

RESP. NEGO id explicari non poſſe: tunc enim incipit eſſe fœcundus ſterilis anteà paries, cùm præſtò eſſe incipiunt conditiones ad fœcunditatem requiſitæ, id eſt, poſitis fundamento & termino.

Inst. *Quintò.* Poſitâ causâ ponitur effectus: ſed poſito fundamento, v. g. albedine in pariete Pariſino, non propterea ponebatur ſimilitudo à centum annis; ergo fundamentum non eſt cauſa ſimilitudinis quæ dicitur noviſſimè reſultare.

Resp. Dist. Maj. Poſitâ causâ ponitur effectus, ſi adſint aliæ conditiones, à quibus pendet effectus, *C.* Si deſint, *N.* At à centum annis deerat terminus, ſine quo reſultare non poterat ſimilitudo, quæ eſſe non poteſt niſi inter duo.

Inst. *Sextò.* Novus hic terminus deberet determinare veterem illum parietem ad recentem illam entitatulam è ſinu ſuo profundendam: atqui non poteſt determinare, utpotè diſtans à veteri pariete; ergo novus terminus non facit, ut reſultet ſimilitudo recens in veteri pariete Pariſino.

Resp. Dist. Maj. Novus hic terminus deberet determinare veterem illum parietem, determinare ſaltem moraliter per intimam mutui reſpectûs connexionem, *C.* Determinare phyſicè per phyſicum influxum, *N.* Porrò novus terminus determinat ſaltem moraliter alterum & priorem parietem.

QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

De Propoſitionibus de Futuro contingenti.

I. PROPOSITIO.

Duarùm propoſitionum ſingularium de Futuro contingenti, una eſt determinatè vera, altera determinatè falſa.

Probatur. Illæ propoſitiones ſunt determinatè veræ vel falſæ, quæ ſunt determinatè conformes, vel difformes objecto ſuo. Atqui propoſitiones de Futuro contingenti, ſunt determinatè conformes, vel difformes objecto ſuo; nam quod dicunt de obje-

ꝺo ſuo, vel ei convenit, vel non convenit; ſi convenit, ſunt conformes; ſi non convenit, ſunt difformes. Ergo propoſitiones de Futuro contingenti, ſunt determinatè veræ, vel falſæ.

OBIECTIO.

EA propoſitio neque eſt determinatè vera, neque determinatè falſa, quæ non habet objectum determinatum: atqui propoſitiones de futuro contingenti non habent objectum determinatum.

RESP. NEGO MIN. vel DIST. MIN. Non habent objectum determinatum pro tempore præſenti, *C.* Pro tempore futuro, *N.*

INST. *Primò*. Quod eſt contingenter & liberè futurum non eſt determinatum, ſed indifferens: atqui objectum propoſitionum de futuro contingenti eſt contingenter & liberè futurum; ergo non eſt determinatum.

RESP. DIST. MAj. Quod eſt contingenter futurum, non eſt determinatum determinatione antecedente, *C.* Conſequente, *N.* Porrò determinatio conſequens non tollit contingentiam & libertatem, quia eſt effectus libertatis.

INST. *Secundò*. Illud non eſt determinatum determinatione conſequente, quod neque eſt determinatum in ſe, neque in ſuâ causâ: atqui futurum contingens neque eſt determinatum in ſe, neque in ſuâ causâ.

PROB. MIN. Id cujus cauſa non eſt, non eſt determinatum in ſuâ causâ: atqui cauſa futuri contingentis ſæpè non eſt; ergo non eſt determinatum in ſua cauſa.

RESP. DIST. MAj. Id cujus cauſa non eſt, neque præſens, neque futura, *C.* Præſens tantùm, *N.* Porrò cauſa futuri contingentis ſaltem eſt aliquando futura & determinatura ſuas actiones, v. g. voluntas Antichriſti.

INST. *Tertiò*. Cauſa effectûs præſentis debet eſſe præſens actu: atqui veritas futuri contingentis eſt actu præſens; ergo ejus cauſa debet eſſe actu præſens, voluntas autem creata, non eſt ità.

RESP. DIST. MAj. Cauſa phyſica & realis, *C.* Cauſa moralis; *N.* Porrò veritas futuri contingen-

tis eſt effectus moralis futuræ voluntatis, proindeque neceſſe non eſt, ut voluntas actu ſit præſens, ſed ſatis eſt, ſi ſit futura aliquando.

INST. *Quartò.* Cauſa quælibet etiam moralis debet præcedere effectum: atqui voluntas ut futura non præcederet determinationem & veritatem futuri contingentis; ergo voluntas ut futura non eſt cauſa illius, vel moralis.

PROB. MIN. Æterno nihil priùs eſt: atqui determinata veritas futuri contingentis eſſet æterna; ergo voluntas ut futura, non eſſet prior determinatione futuri contingentis.

RESP. DIST. MAJ. Æterno nihil priùs eſt, prioritate temporis ſeu antiquitatis, *C.* Prioritate naturæ ſeu cauſalitatis, *N.* Sic v. g. ſi Sol eſſet ab æterno, Sol eſſet prior lumine, non quidem tempore, ſed naturâ, quia eſſet cauſa luminis.

INST. *Quintò.* Quod ab æterno eſt planè indifferens, non poteſt ab æterno eſſe cauſa determinationis futuri contingentis: atqui voluntas ut futura, eſt ab æterno planè indifferens.

RESP. DIST. MAJ. Quod eſt indifferens indifferentiâ paſſivâ, *C.* Indifferentiâ activâ, *N.* Porrò indifferentia voluntatis eſt activa, nam eſt facultas ſui ipſius determinativa.

INST. *Sextò.* Facultas quæ indiget ab alio determinari eſt indifferens indifferentiâ paſſivâ: atqui voluntas indiget ab alio determinari.

PROB. MIN. Cauſa ſecunda indiget determinari à cauſa prima: atqui voluntas creata eſt cauſa ſecunda, Deus eſt cauſa prima.

RESP. DIST. MAJ. Cauſa ſecunda indiget determinari à cauſâ primâ ad exiſtendum, *C.* Ad operandum, *N.* Ratio diſparitatis eſt, quia cauſa ſecunda non poteſt ſibimet [illegible] dare exiſtentiam: ſed poteſt ſibi dare operationem Deo concurrente atque permittente.

INST. *Septimò.* Cauſa quæ inter operandum eſſentialiter ſubordinatur Deo, indiget à Deo determinari ad operandum: atqui cauſa ſecunda eſſentialiter ſubordinatur Deo inter operandum; ergo indiget à Deo determinari ad operandum.

RESP. DIST. MAJ. Quæ eſſentialiter ſubordinatur Deo ut præmoventi phyſicè & prædeterminanti, *C.* Deo ut concurrenti, *N.*

INST.

Inst. *Octavò.* Subordinatio eſſentialis arguit prioritatem in ſubordinante; ergo arguit præmotionem.

Resp. Dist. Ant. Arguit prioritatem univerſalitatis atque eſſendi conſecutionis, C. Prioritatem operationis vel determinationis, N. Id eſt, quia cauſa ſecunda ſubordinatur Deo inter operandum, valet conſecutio à creaturâ operante ad Deum cooperantem, hoc pacto, Creatura agit; ergo Deus agit; ſed non è contrà.

Inst. *Nonò.* Vel cauſa ſecunda ſubordinatur Deo ſecundùm prioritatem determinationis, vel Deus determinatur à creaturis inter concurrendum: atqui Deus non determinatur à creaturis ad concurrendum, alioqui dependeret à creaturis.

Resp. Dist. Maj. Atqui Deus non determinatur à creaturis, determinatione phyſicâ, C. morali, N. Quia Deus explorat indigentiam quam habet creatura priùs quàm decernat ei concedere concurſum: hinc dependet Deus à creaturis dependentiâ morali tanquam cauſa univerſalis & ſuperior, non autem dependentiâ phyſicâ.

Inst. *Decimò.* Si Deus determinatur à creaturis determinatione morali, jam voluntas ſeipſam diſcerneret in negotio ſalutis: atqui hoc dici non poteſt ſine hæreſi Pelagianâ.

Resp. Dist. Maj. Jam voluntas ſeipſam diſcerneret ope gratiæ Dei prævenientis, & moraliter impellentis, C. Sine gratiâ Dei præveniente, N. Nam gratia Dei præit, & voluntas ei annuit.

OBIECTIO II.

Ea propoſitio neque eſt determinatè vera, neque determinatè falſa, quæ eſt indifferens ad veritatem aut falſitatem: atqui propoſitio omnis de futuro contingenti eſt indifferens ad veritatem aut falſitatem.

Resp. Nego Min. vel Dist. Atqui propoſitio de futuro contingenti eſt indifferens ad veritatem & falſitatem, ſi ſpectetur antecedenter ad conſenſum voluntatis futurum, C. Si ſpectetur conſequenter ad voluntatis creatæ conſenſum futurum, N.

Sic v. g. iſta propoſitio *Antichriſtus peccabit*, non eſt indifferens ad veritatem & falſitatem, conſequenter ad conſenſum Antichriſti futurum.

Inst. *Primò*. Talis eſt propoſitio, quale eſt ejus objectum per ipſam repræſentatum : atqui objectum propoſitionis de futuro contingenti eſt indifferens ad veritatem & falſitatem, futuritionem & non futuritionem; ergo eſt indifferens ipſa propoſitio.

Resp. Dist. Min. Atqui objectum propoſitionis de futuro contingenti eſt indifferens indifferentiâ antecedente, C. Quia non eſt determinatum antecedenter; Eſt indifferens indifferentiâ conſequente, N. Quia eſt determinatum conſequenter ad conſenſum.

Inst. *Secundò*. Si objectum propoſitionis de futuro contingenti eſſet determinatum conſequenter, eſſet à Deo præſcitum & prævisum : atqui non poteſt eſſe à Deo præſcitum; ergo non poteſt eſſe determinatum.

Resp. Nego Min. Quia ſæpè futurum à Deo revelatur ut futurum, v. g. peccatum Antichriſti futurum; ergo eſt præſcitum.

Inst. *Tertiò*. Quidquid eſt à Deo præſcitum, eſt neceſſariò futurum : atqui objectum contingens non poteſt eſſe neceſſariò futurum, alioqui jam non eſſet contingens; ergo non poteſt eſſe præſcitum.

Resp. *Primò*. Dist. Maj. Eſt neceſſariò futurum neceſſitate antecedente, vel conſequente, C. Neceſſitate ſemper antecedente, N. Porro objectum contingens poteſt eſſe neceſſariò futurum neceſſitate conſequente, quia talis neceſſitas non nocet libertati.

Resp. *Secundò*. Dist. Maj. Quidquid eſt à Deo præſcitum tanquam neceſſariò futurum, eſt neceſſariò futurum, C. Tanquam liberè & contingenter futurum, N. Nam Deus præſcit non ſolùm rem futuram, ſed etiam modum illius vel liberum vel neceſſarium.

Inst. *Quartò*. Atqui quidquid eſt à Deo præſcitum eſt neceſſariò futurum neceſſitate abſolutâ.

Prob. Subs. Illud eſt neceſſariò futurum neceſſitate abſolutâ quod non poteſt abſolutè non evenire : atqui quidquid eſt à Deo præſcitum non poteſt abſolutè non evenire,

Resp. Nego Min. Si enim Deus præſcivit quod poſſit non evenire, certè poterit abſolutè non evenire.

Inst. *Quintò.* Si quod eſt à Deo præſcitum ut futurum, poſſet abſolutè non evenire, poſſet abſolutè falli præſcientia Dei. Falſum conſequens.

Resp. Nego Maj. Quia ſi poſſit abſolutè non evenire, Deus præſcivit quod poſſit abſolutè non evenire, proindeque non poterit falli præſcientia Dei.

Inst. *Sextò.* Si quod eſſet à Deo præſcitum ut eventurum, non eveniret, certè falleretur actu præſcientia Dei; ergo ſi quod eſt à Deo præſcitum tanquam eventurum, poſſit non evenire, poterit falli præſcientia Dei.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio disparitatis eſt, quia ſi actu non eveniret, aliquid contingeret quod Deus non præſciviſſet, proindeque actu falleretur Dei præſcientia. At verò ſi poſſit non evenire nihil poteſt contingere quod non præſciverit Deus, quia præſcivit rem eventuram, ſimul & poſſe non evenire.

Inst. *Septimò.* Ut ſe habet actus non eveniendi ad actum fallendi, ita ſe habet potentia non eveniendi ad potentiam fallendi.

Resp. Nego, propter allatam diſparitatem, vel distinguo cæteris aliunde paribus: *C.* Cæteris imparibus, *N.* Porrò cætera non ſunt paria, ut mox oſtenſum eſt.

Inst. *Octavò.* Tunc poterit falli præſcientia Dei, quando poterit ſupponi actu non evenire quod Deus præſcivit actu eventurum: atqui ſi quod Deus præſcivit eventurum poſſit non evenire, poterit ſupponi actu non evenire quod Deus præſcivit actu eventurum.

Prob. Min. *Poſſibili poſito in actu nihil ſequitur abſurdi* (ex axiomate:) atqui poſſibile eſt quod non eveniat, ergo poteſt ſupponi actu non evenire.

Resp. Dist. Maj. Poſſibili poſito in actu nihil ſequitur abſurdi ſi non ſit facta jam prior ſuppoſitio repugnans huic poſteriori, *C.* Secùs, *N.* Porrò jam ſuppoſuimus Deum præſciviſſe rem eventuram; ergo ſupponi non poteſt rem non eventuram, alioqui eveniret ſimul & non eveniret.

II. PROPOSITIO.

Duarum propoſitionum de Futuro contingenti contradicentium, neutra eſt determinatè vera vel falſa ante decretum divinum.

Probatur In principiis Thomiſtarum ſic: Illæ propoſitiones neque ſunt determinatè veræ, neque determinatè falſæ quarum objectum non eſt determinatum; Atqui propoſitionum de Futuro contingenti objectum non eſt determinatum ante decretum divinum; nam nihil eſt determinatum ante decretum illud quod eſt cauſa omnium futurorum, ut futura ſunt: atqui decretum Dei eſt cauſa futurorum, ut futura ſunt. Ergo nihil eſt determinatum ante decretum; proindeque propoſitiones de Futuro contingenti non ſunt determinatè veræ, vel falſæ ante decretum divinum.

OBJECTIO.

Propoſitiones illæ ſunt determinatè veræ vel falſæ, quibus actu convenit veritas aut falſitas: atqui ante decretum & præſcientiam Dei, propoſitionibus de futuro contingenti convenit actu veritas aut falſitas; ergo, &c.

Prob. Min. Determinatæ proprietates actu conveniunt determinatis eſſentiis: atqui veritas & falſitas ſunt proprietates propoſitionum, etiam in ſigno rationis antecedente decretum divinum; ergo ante decretum divinum propoſitionibus de futuro contingenti convenit actu veritas aut falſitas.

Resp. Dist. Min. Atqui veritas & falſitas ſunt proprietates propoſitionum relativæ, & ab objecto dependentes, *C.* Proprietates abſolutæ, N. Cùm ergo objectum propoſitionum de futuro contingenti ſit indeterminatum ante decretum divinum, veritas quoque & falſitas propoſitionum ſunt indeterminatæ.

Instabis. Veritas, vel falſitas propoſitionis talis eſt, quale eſt objectum propoſitionis: at-

quo objectum propoſitionis de futuro contingenti eſt determinatum ante decretum divinum.

Prob. min. Niſi objectum propoſitionis de futuro contingenti eſſet determinatum ante decretum divinum, nihil eſſet futurum niſi vi decreti aut præſcientiæ Dei: atqui plura ſunt futura quæ non decernuntur à Deo, v. g. Peccata; Deus enim ea non decernit, quæ non vult fieri.

Resp. Dist. Maj. Nihil eſſet futurum niſi vi decreti divini, vel approbantis, vel permiſſivi, *C.* Niſi vi decreti approbantis tantùm, *N.* At nihil repugnat quin peccata ſubſint decreto Dei permiſſivo, quia Deus plura permittit mala, ut ex illis multa procuret bona.

Inst. *Secundò.* Deus ea non permittit, quæ prohibet expreſsè: atqui peccata Deus expreſsè prohibet; ergo ea non decernit Decreto vel permiſſivo.

Resp. Dist. Maj. Deus ea non permittit permiſſione legali, quæ ſubditorum nutui relinquat aliquid tanquam licitum, *C.* Permiſſione cauſali, quæ non impedit, quæ poſſet abſolutè impedire, *N.* Ut enim pictor plures umbras relinquit in opere ſuo, ut ex earum oppoſitione magis fulgeant colores; ita Deus plura permittit mala, ut ex illis procuret bona.

Inst. *Tertiò*: Permittere futura permiſſione cauſali, non eſt, ea determinare, ſed eſt, earum determinationi non opponere ſe ſe; ergo non ſufficit decretum Dei permiſſivum, ut peccata ſint determinatè futura, proindeque aliunde ſuam habent ea determinationem.

Resp. Dist. Conſ. Ergo non ſufficit decretum Dei permiſſivum, pro determinandâ futuritione entitatis peccati, *C.* Pro determinandâ futuritione malitiæ peccati, *N.* Hæc enim cùm ſit purus quidam defectus, pura rectitudinis privatio, non indiget decreto Dei poſitivo, ſed permiſſivo duntaxat.

Inst. *Quartò.* Quicunque eſt cauſa determinativa entitatis alicujus, cenſeri debet etiam cauſa illius, quod neceſſariam habet cum illâ entitate connexionem: atqui formale ſeu malitia peccati habet neceſſariam cum entitate peccati connexionem.

Resp. Dist. Min. Atqui malitia peccati habet neceſſariam cum entitate peccati connexionem, quatenùs ea entitas ſe tenet ex parte creaturæ deficientis, *C.* Quatenùs ſe tenet ex parte Dei indefectibilis, *N.* Cùm enim malitia ſit defectus non ſe tenet ex parte Dei, qui nullâ ratione deficere poteſt.

Inst. *Quintò.* Malitia peccati habet neceſſariam connexionem cum entitate peccati, quatenùs entitas ea ſe tenet ex parte Dei, ſi Deus non decernat entitatem peccati conſideratam abſque ſuo formali: atque res ità eſt.

Resp. Dist. Maj. Si Deus non decernat entitatem peccati conſideratam abſque ſuo formali, ut oriundo ex parte Dei, *C.* Abſque ſuo formali, ut oriundo ex parte creaturæ, *N.*

Inst. *Sextò.* Deus non debet decernere entitatem illam, ad quam creatura poteſt ex ſeipsâ determinare ſe: atqui ad entitatem peccati poteſt creatura determinare ſe tùm primùm.

Prob. Min. Creatura libera, ſuique ipſius determinativa, poteſt ex ſeipsâ determinare ſe: atqui creaturæ ſaltem aliquæ ſunt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Creatura libera poteſt ex ſeipsâ determinare ſe, ſi ſit libera libertate non ſubordinatâ libertati divinæ, *C.* Secùs, *N.* At voluntas creata eſt ſecundum liberum, ſecundum movens, ideóque ſubordinatur Deo ut primo libero, primo moventi.

Inst. *Septimò.* Si creatura prævié determinatur à Deo; ergo non determinatur à ſeipsâ.

Resp. Nego id ſequi. Nam determinatio Dei prævia non officit ſubſequenti voluntatis creatæ determinationi liberæ; quia Deus determinat unumquodque juxtà modum naturæ proportionatum; creaturas quidem neceſſarias, neceſſariò; liberas autem, liberè, ideóque voluntati relinquit liberam actionis ſuæ determinationem.

QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

De Scientia, Fide & Opinione.

I. PROPOSITIO.

Scientia & opinio poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu.

Probatur. Illi actus vel habitus poſſunt ſtare ſimul qui nullo genere oppoſitionis opponuntur; atqui ſcientia & opinio nullo genere oppoſitionis opponuntur: non contradictoriè, quia non ſe habent ut ens & non ens: non privativè, quia non ſe habent ut forma & privatio formæ; non relativè, quia non definiuntur per ſe invicem: non tandem contrariè, quia non maximè diſtant ab invicem ſub eodem genere, cùm idem ſupponantur affirmare vel idem negare. Ergo ſcientia & opinio nullo genere oppoſitionis opponuntur, proindeque poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu.

OBIECTIO.

Si ſcientia & opinio ſimul ſtare poſſent in eodem intellectu de eodem objecto, intellectus poſſet ſcire ſimul & opinari de eadem re: atqui intellectus non poteſt ſcire ſimul & opinari de eadem re (ex Philoſopho)

Resp. dist. Maj. Intellectus poſſet ſcire ſimul & opinari per diverſa motiva ſcientiæ & opinionis, *C.* Per idem motivum, *N.* Sicut enim voluntas poteſt amare ſimul & odiſſe eundem hominem per diverſa motiva, ita intellectus poteſt eandem veritatem ſcire, ſimul & de illa opinari per diverſa motiva.

Inst. *Primò.* Intellectus non poteſt ſimul & ſemel moveri duobus motibus contrariis: atqui ſi ſciret ſimul & opinaretur, moveretur ſimul duobus motibus contrariis.

Prob. Min. Facultas certa ſimul & incerta de eadem re, movetur ſimul duobus motibus contrariis : atqui intellectus eſſet certus per motivum ſcientiæ, ſimul & incertus per motivum opinionis : ergo moveretur motibus contrariis.

Resp. dist. Maj. Facultas certa poſitivè ſimul & incerta poſitivè, *C*. Certa poſitivè, & incerta negativè, *N*. Porro opinio non eſt incerta niſi negativè, quatenus non removet incertitudinem quam reperit in intellectu.

Inst. *Secundò*. Tam intellectus eſſet incertus poſitivè per motivum opinionis, quàm eſſet certus poſitivè per motivum ſcientiæ : atqui certus eſt poſitivè per motivum ſcientiæ ; ergo eſſet incertus poſitivè per motivum opinionis.

Resp. nego Maj. Et parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ſcientia eſt cognitio perfecta pariens certitudinem poſitivam : at verò opinio eſt cognitio imperfecta non pariens incertitudinem poſitivam. Nam ſi opinio pareret in intellectu incertitudinem poſitivam, quò plura eſſent de eodem objecto opinandi motiva, eò plures eſſent incertitudines ; atque ita poſt vigeſimam relationem magis dubitarem quàm poſt primam vel ſecundam, quod aperiè falſum eſt.

Inst. *Tertiò*. Atqui pariter opinio parit in intellectu incertitudinem poſitivam.

Prob. Subs. Opinio parit in intellectu ſuum effectum formalem, ſuam differentiam eſſentialem : atqui effectus formalis opinionis eſt incertitudo poſitiva.

Prob. min. Effectus formalis cognitionis poſitivæ, qualis eſt opinio, debet eſſe poſitivus : atqui nullus alius eſt effectus opinionis præter incertitudinem poſitivam ; ergo parit incertitudinem poſitivam.

Resp. Nego utramque Min. & dico effectum formalem opinionis eſſe probibilitatem ſeu certitudinem moralem & qualemcunque.

Inst. *Quartò*. Atqui effectus formalis opinionis, vel differentia ipſius non poteſt eſſe certitudo moralis.

Prob. Subs. Opinio differt eſſentialiter à ſcientiâ : atqui non differret eſſentialiter à ſcientiâ, ſi opinio habeat pro effectu formali certitudinem moralem.

Prob. min. Ea non differunt eſſentialiter, quæ differunt tantùm ſecundùm magis & minus : atqui ſcientia & opinio differrent tantùm ſecundùm magis & minus, ſecundùm majorem & minorem certitudinem ; ergo non differrent eſſentialiter.

Resp. Dist. Maj. Quæ differunt tantùm ſecundùm magis & minus homogenea, ſeu ejuſdem generis, C. Secundùm magis & minus heterogenea ſeu diverſi generis, N. Porro ſcientia & opinio differunt ſecundùm magis & minus certum, ſed in diverſo genere : nam certitudo ſcientiæ eſt in genere metaphyſico, certitudo autem opinionis eſt in genere morali ſeu probabilitatis.

Inst. *Quintò.* Cognitio quæ differt à ſcientiâ per negationem certitudinis, non differt per certitudinem etiam moralem : atqui opinio differt à ſcientiâ per negationem certitudinis, ſiquidem opinio eſt cognitio incerta negativè (ex conceſſis) ſeu non certa.

Resp. Dist. Min. Atqui opinio differt à ſcientiâ per negationem certitudinis metaphyſicæ, C. Per negationem certitudinis moralis, N. Quia parit fiduciam moralem, ſeu probabilem cognitionem.

Inst. *Sextò.* Si opinio differat à ſcientiâ per negationem certitudinis metaphyſicæ, idem intellectus ſcientiâ ſimul & opinione præditus, foret ſimul metaphyſicè certus & non certus de eadem veritate : atqui hoc implicat.

Resp. dist. Maj. Foret ſimul certus metaphyſicè, & non certus metaphyſicè per diverſa motiva, C. Per idem motivum, N.

Inst. *Septimò.* Ea motiva ſunt incompoſſibilia in eodem intellectu, quorum unum dicit objectum non poſſe aliter ſe habere, alterum dicit poſſe aliter ſe habere : atqui motivum ſcientiæ dicit rem non poſſe aliter ſe habere, motivum opinionis dicit poſſe aliter ſe habere ; ergo motiva ſcientiæ & opinionis ſunt incompoſſibilia.

Resp. Dist. Maj. Quorum unum dicit objectum non poſſe aliter ſe habere in ſe & abſolutè, alterum dicit poſſe aliter ſe habere in ſe & abſolutè, C. Quorum unum dicit objectum non poſſe aliter ſe habere in ſe & abſolutè, alterum dicit poſſe aliter ſe habere relativè ad diverſas rationes, N.

Porro motivum ſcientiæ dicit rem non poſſe aliter ſe habere abſolutè ſimul & relativè: opinio verò dicit rem poſſe aliter ſe habere non abſolutè & in ſe, ſed relativè ad rationem probabilem & inefficacem. Hinc intellectus non eſt incertus de ipſa propoſitione, ſed de connexione medii probabilis cum tali propoſitione.

Inst. *Octavò.* Non magis intellectus poteſt eſſe certus, & non certus metaphyſicè per diverſa motiva, quàm idem aër poſſit eſſe lucidus ſimul & tenebroſus per diverſa media.

Resp. Nego maj. Et parit. Ratio diſparitatis eſt, quia lux & tenebræ opponuntur privativè in eodem ſubjecto immediatè, non item certitudo ſcientiæ, & negatio certitudinis in opinione, quia ſunt in diverſis ſubjectis, putà actibus & habitibus ſcientiæ & opinionis.

Inst. *Nonò.* Atqui pariter certitudo ſcientiæ & negatio certitudinis metaphyſicæ in opinione eſſent in eodem ſubjecto, putà in intellectu.

Resp. Dist. In eodem ſubjecto remoto, C. Proximo, N.

II. PROPOSITIO.

Scientia & Fides poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu.

Probatur. Ut ſcientia & fides poſſint ſtare ſimul in eodem intellectu, ſatis eſt quod poſſit quis ſcire ſimul, & credere eandem veritatem per diverſa motiva. Atqui poteſt quis ſcire ſimul & credere eandem veritatem per diverſa motiva; ſic, v. g. poteſt quis ſcire Deum exiſtere, quia exiſtunt creaturæ, ſimul & idipſum credere quia Deus revelavit Eccleſiæ. Ergo ſcientia & Fides poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu.

OBJECTIO.

Si ſcientia & Fides ſimul ſtare poſſent, intellectus poſſet ſimul elicere actum ſcientiæ, & actum Fidei; atqui non poteſt.

Prob. Min. Intellectus non poteſt ſimul elicere actus diverſos : atqui actus ſcientiæ & Fidei ſunt diverſi.

Resp. Dist. Maj. Intellectus non poteſt ſimul elicere actus diverſos oppoſitos vel etiam diſparatos, *Tranſeat*; Subordinatos, N. Porro actus ſcientiæ & Fidei eſſent ſubordinati, quia ſupponuntur idem affirmare, vel idem negare omnes.

Inst. *Primò*. Si intellectus poſſet elicere ſimul actum ſcientiæ & actum Fidei circa idem objectum, cognoſceret evidenter & non evidenter idem objectum : atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Cognoſceret evidenter ſimul & non evidenter idem objectum per diverſa ſcientiæ & Fidei motiva, *C*. Per idem motivum, *N*.

Inst. *Secundò*. Si intellectus cognoſceret evidenter ſimul & non evidenter objectum, eſſent ſimul in intellectu claritas & obſcuritas circà idem : atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Eſſent ſimul in intellectu claritas poſitiva atque obſcuritas negativa, *C*. Claritas poſitiva & obſcuritas poſitiva, *N*. Nam Fides non eſt obſcura poſitivè, quaſi pariat obſcuritatem; ſed negativè, quatenùs non valet removere obſcuritatem, quæ anteà fuerat in intellectu.

Inst. *Tertiò*. Si claritas ſcientiæ ſtaret cum obſcuritate Fidei, Fides non rectè diceretur, *Argumentum non apparentium*: atqui tamen ſic definitur ab Apoſtolo in Capite 11. Epiſt. ad Hebræos.

Resp. Dist. Maj. Fides non rectè diceretur argumentum non apparentium abſolutè & ſub omni reſpectu, *C*. Non apparentium relativè ad motivum Fidei, & vi Fidei, N. Porro Fides definitur ab Apoſtolo, *Argumentum non apparentium* (intellige) vi Fidei, quatenùs Fides vi ſua non facit res apparentes : ſed hoc non obſtat, quin eſſe poſſint res apparentes aliunde, putà per ſcientiam.

Inst. *Quintò*. Si Fides non eſſet argumentum rerum non apparentium abſolutè & ſub omni reſpectu, Fides ſtare poſſet cum evidentia viſionis beatificæ : atqui tamen Fides non ſtat cum viſione beatifica, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. Cap. 13. (*Cùm venerit quod perfectum eſt* (gloria) *evacuabitur quod ex parte eſt* (Fides.)

Resp. Dist. Maj. Fides ſtare poſſet cum viſione beatifica, ſtare poſſet per ſe & ex natura rei, C. Stare poſſet per accidens, Deo nolente, N. Porro ſi Fides jam non ſtat cum viſione beatifica, id fit per accidens ex ſola Dei voluntate quæ nobis innoteſcit, loco Apoſtoli citato: at per ſe & abſolutè ſtare poſſent Fides & viſio beatifica.

Inst. *Sextò*. Spes non poteſt per ſe & abſolutè ſtare cum viſione beatifica; ergo nec Fides.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia Spes definitur, virtus circa bonum abſens quatenùs abſens: ſed in Beatis ſummum bonum eſt intimè præſens: at verò Fides abſtrahit à præſentiâ & abſentiâ objecti.

III. PROPOSITIO.

Scientia, Fides & opinio non poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu de eodem objecto.

Probatur In principiis Thomiſtarum ſic: Actus vel habitus oppoſiti non poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu: atqui ſcientia, Fides, & opinio ſunt actus vel habitus oppoſiti. Nam actus certus & incertus, actus evidens & inevidens ſunt actus oppoſiti: atqui ſcientia eſt certa & evidens, opinio eſt incerta, Fides eſt inevidens. Ergo ſcientia, Fides & opinio ſunt actus vel habitus oppoſiti, proindeque non poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu de eodem objecto.

OBJECTIO.

Scientia & opinio poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu, modò poſſit quis ſcire ſimul & opinari de eadem re per diverſa motiva: atqui poteſt quis, v. g. ſcire Deum exiſtere: quia creaturæ exiſtunt, & id ipſum opinari, quia populi conſentiunt.

Prob. min. Tam poteſt quis ſcire ſimul & opinari de eadem re per diverſa motiva, quàm poſſit amare ſimul & odiſſe idem objectum per diverſa motiva, v. g. amare hominem, quia eſt conſanguineus, & odiſſe eundem, quia eſt improbus.

Resp.

Resp. nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia qui amat hominem quia conſanguineus eſt, & eundem odio habet quia improbus eſt, proprie non amat & odio habet idem objectum, ſed diverſa objecta, nempe conſanguineitatem & improbitatem.

Inst. *Primò*. Valet inſtituta paritas, ſi ſcientia & opinio de eâdem re per diverſa motiva non opponantur inter ſe, ſicut nec amor & odium per diverſa motiva: atqui ſcientia & opinio nullo genere oppoſitionis opponuntur, neque contradictoriè, neque contrariè, &c.

Resp. nego Min. Et dico ſcientiam & opinionem de eâdem re opponi contrariè ratione ſui, quatenùs una eſt cognitio certa, altera autem incerta: opponi verò contradictoriè ratione effectûs quem parerent in intellectu quatenus eum præſtarent certum ſimul & non certum de eâdem re.

Inst. *Secundò* Contraria dicuntur ea quæ magis pugnant ſecum invicem, quàm cum aliis: atqui ſcientia & opinio de eadem re minùs pugnant ſecum invicem, quàm cum aliis; quia ſcientia & error de eâdem re magis pugnant quàm ſcientia & opinio.

Resp. Dist. min. Atqui ſcientia & opinio minùs pugnant inter ſe quoad veritatem & falſitatem, quàm ſcientia & error, *C*. Minùs pugnant quoad certitudinem & incertitudinem, *N*. Nempe ſcientia & error plurimùm pugnant quoad veritatem & falſitatem: ſcientia autem & opinio plurimùm quoad certitudinem & incertitudinem.

Inst. *Tertiò*. Duæ cognitiones quæ eandem veritatem affirmant, vel eandem falſitatem negant, non plurimùm pugnant inter ſe: atqui ſcientia & opinio ſupponuntur hîc idem affirmare, vel idem negare.

Resp. Dist. Maj. Si idem affirment ſine ſpeciali oppoſitione, *C*. Secùs, *N*. At ſcientia & opinio ſpecialem habent oppoſitionem, quatenùs una dicit rem eſſe abſque erroris formidine, altera dicit cum formidine.

Inst. *Quartò*. Idcirco aſſeritur ſcientiam & opinionem habere ſpecialem inter ſe oppoſitionem, quia ſicut ſcientia parit in intellectu certitudinem, ita dicitur opinio parere incertitudinem ſeu formidinem: atqui falſum eſt, opinionem parere incertitudinem,

PROB. MIN. Si opinio pareret incertitudinem, quò plures quis haberet de eâdem re opiniones ob plura opinandi motiva, eò magis magiſque dubitaret de illa re: atqui hoc eſt contra experientiam.

Reſpondent negando id ſequi, quia, inquiunt, opinio non ſolùm parit incertitudinem, ſed & notitiam aliqualem rei de quâ opinamur; ſed dum multiplicantur motiva opinandi eâdem de re, creſcit magis magiſque notitia rei illius, ſicque minuitur ſenſim ac ſine ſenſu mentis incertitudo.

PARS PHILOSOPHIÆ SECUNDA
DE
REBUS MORALIBUS.

QUÆSTIO PRIMA.
De malo quatenus malo.

PROPOSITIO.
Malum quatenùs malum amari non poteſt à voluntate.

PROBATUR. Illud non poteſt amari à voluntate, quod non habet vim alliciendi voluntatem ad ſui proſecutionem ; atqui malum quatenùs malum non habet vim alliciendi voluntatem ad ſui proſecutionem : nam quòd eſt formaliter nocivum & diſconveniens voluntati, non habet vim alliciendi voluntatem ad ſui proſecutionem ; atqui malum quatenùs malum eſt formaliter nocivum & diſconveniens voluntati, ex hypotheſi enim eſt malum formaliter ut malum. Ergo malum quatenùs malum non poteſt amari à voluntate.

OBIECTIO PRIMA.

ILLUD poteſt amari à voluntate, quod poteſt eſſe objectum voluntatis. Atqui malum ut malum poteſt eſſe objectum voluntatis, quia circa illud poteſt verſari voluntas.

RESP. DIST. MAJ. Quod poteſt eſſe objec-

eum voluntatis ut proſequentis, *C*. Ut averſantis, *N*. At malum ut malum eſt objectum voluntatis, non ut proſequentis, ſed ut averſantis, ſicut falſum ut falſum eſt objectum intellectûs, non ut affirmantis, ſed ut diſſentientis.

INSTABIS. Illud poteſt eſſe objectum voluntatis ut proſequentis, circa quod voluntas eſt libera; Atqui voluntas eſt libera circa malum ut malum.

RESP. DIST. MAJ. Circa quod voluntas eſt libera libertate contrarietatis, *C*. Libertate contradictionis, *N*. Porrò voluntas eſt libera circa malum ut malum libertate contradictionis ad odio habendum, vel non odio habendum: at non eſt libera libertate contrarietatis, ad amandum vel odio habendum indifferenter.

INST. *Secundò*. Atqui ut voluntas poſſit proſequi malum ut malum, ſatis eſt quod ſit libera libertate contradictionis circa malum.

PROB. SUBS. Ut voluntas poſſit proſequi malum ut malum, ſatis eſt quòd poſſit illud amare & non amare; atqui ſi ſit libera libertate contradictionis circa malum, poteſt illud amare & non amare, quæ ſunt contradictoria duo.

RESP. DIST. MIN. Atqui ſi voluntas ſit libera libertate contradictionis amoris & non amoris, *C*. Libertate contradictionis odii, & non odii, *N*. At voluntas circa malum non habet libertatem amoris & non amoris, ſed odii, & non odii.

INST. *Tertiò*. Niſi voluntas ſit libera circa malum libertate contradictionis amoris & non amoris; nunquam poterit voluntas idem objectum indifferenter amare & odiſſe. Atqui hoc implicat.

RESP. DIST. MAJ. Nunquam poterit voluntas, idem objectum indifferenter amare & odiſſe, ſub eodem reſpectu, eademque formalitate, *C*. Sub diverſo reſpectu, diverſâ formalitate, *N*. Nam poteſt idem amare ut bonum, & odio habere ut malum.

INST. *Quartò*. Vel objectum repræſentatur voluntati ut bonum, vel ut malum: ſi repræſentetur ut bonum, poterit amare, ſed non odiſſe. Si repræſentetur ut malum, poterit odiſſe, ſed non amare. Ergo nunquam poterit voluntas amare & odiſſe idem objectum.

RESP. DIST. MAJ. Vel objectum repræſen-

tatur voluntati ut bonum, vel ut malum conjunctim & collectivè, *C.* Disjunctim & distributivè, *N.* Sic, v. g. mens repræſentat ſimul voluntati jejunium tempore quadrageſimali eſſe bonum in ordine ad ſalutem obtinendam; & eſſe malum in ordine ad explendam cupiditatem; & tunc eligit voluntas quòd ſibi libuerit.

INST. *Quintò*. Implicat intellectum voluntati repræſentare, idem objectum ut bonum, ſimul & malum conjunctim, hæc enim duo ſe ſe deſtruunt.

RESP. DIST. Implicat intellectum voluntati repræſentare, idem objectum ut bonum ſimul & malum, bonitate & malitiâ oppoſitis, *C.* Diſparatis, *N.* Sic, v. g. implicaret intellectum repræſentare ſimul jejunium eſſe bonum in ordine ad ſalutem, & malum in ordine ad eandem ſalutem. At nihil implicat intellectum repræſentare jejunium eſſe bonum in ordine ad ſalutem, & malum in ordine ad cupiditatem explendam.

INST. *Sextò*. Si intellectùs poſſet repræſentare voluntati, idem objectum eſſe bonum ſimul & malum bonitate & malitia diſparatis, poſſent ſimul eſſe in intellectu duæ operationes, duo judicia, alterum de bono, alterum de malo. Atqui hoc implicat, quia pluribus intentus minor eſt ad ſingula.

RESP. DIST. MAJ. Poſſent ſimul eſſe in intellectu duo judicia, diſparata, & conditionata, *C.* Oppoſita & abſoluta, *N.* Porrò non ſunt incompoſſibilia duo ſimul judicia diſparata & conditionata, v. g. iſta duo, (jejunandum eſt ſi velis præcepto Eccleſiæ obtemperare) (jejunandum non eſt, ſi velis tuæ ſervire cupiditati.)

INST. *Septimò* Si poſſent ſimul eſſe in intellectu duo judicia diſparata & conditionata, unum de bono, alterum de malo, poſſet eſſe vitium in voluntate ſine errore in intellectu, ſine perverſo intellectus judicio. Atqui hoc implicat, alioqui voluntas non dirigeretur ab intellectu.

RESP. DIST. MAJ. Poſſet eſſe vitium in voluntate, ſine errore in intellectu, ſine errore ſpeculativo & antecedenti, *C.* Sine errore practicè practico & conſequenti, *N.* Nam poſtquam elegit voluntas hoc potiùs quàm illud: tunc intellectùs judicat judicio practicò practico hoc eſſe faciendum; v. g.

non eſſe jejunandum ; & ibi eſt error conſequens, & à voluntatis electione dependens.

Inst. *Octavò*. Voluntas dirigitur à judicio intellectus. Ergo prius eſſe debet error in intellectu, quàm vitium in voluntate.

Resp. dist. ant. Voluntas dirigitur à judicio intellectus ſpeculativo, antecedenti, & conditionato, *C.* A judicio practicè practico, & abſoluto, Subdist. in mediis eligendis in ordine ad finem, *C.* In ipſo fine eligendo, *N.* Nam *primò* voluntas eligit finem determinatum, & deinde abſolutè judicat intellectus de mediis convenientioribus in ordine ad talem finem.

Inst. *Nonò*. Si judicium ſpeculativum, & conditionatum ſufficeret ad dirigendam voluntatem ; judicium quo Nominales judicant malum qua malum eſſe amabile, ſufficeret excitandæ voluntati ad amorem.

Resp. Dist. Si judicium quodlibet ſpeculativum ſufficeret, *C.* Secùs, *N.* At non ſufficit quodlibet promiſcuè ſpeculativum judicium, ſed illud duntaxat quo objectum aliquod repræſentatur ſub aliqua ſpecie boni.

Inst. *Decimò*. Excitandæ voluntati ad amorem ſufficit repræſentatio amabilitatis. Atqui judicium ſpeculativum Nominalium de malo ut malo, repræſentat amabilitatem. Ergo ſufficeret ad amorem.

Resp. dist. Maj. Sufficit repræſentatio amabilitatis, propter aliquam objecti bonitatem veram, vel apparentem, *C.* Sine ullà ſpecie boni, *N.* At Nominales judicant malum ut malum eſſe amabile, ſine ullà ſpecie boni.

OBIECTIO I.

Tam malum ut malum poteſt amari à voluntate, quàm falſum ut falſum cognoſci ab intellectu.

Resp. nego parit. Ratio diſp. eſt, quia falſum ut falſum eſt intelligibile, ſuámque habet ideam in mente : at verò malum ut malum non eſt amabile, non habet vim alliciendæ voluntatis ad ſui proſecutionem.

Instabis. Intellectus verſatur circa falſum ut falſum ; alio actu quam diſſenſu ; Ergo à pari vo-

ſuntas verſatur circa malum ut malum, alio actu quam odio, proindéque amore.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia in intellectu præter aſſenſum & diſſenſum, eſt ſimplex objecti apprehenſio, prærequiſita aſſenſui vel diſſenſui. At verò in voluntate nullus eſt alius actus præter amorem & odium.

Inst. *Secundo.* Voluntas non eſt minùs univerſalis quàm intellectus: ergo ſicut intellectus habet actum aliquem præter aſſenſum & diſſenſum; ita voluntas habere debet actum præter amorem & odium.

Resp. Dist. Ant. Voluntas non eſt minùs univerſalis quàm intellectus; non eſt minùs univerſalis in amando quod amabile eſt, & odio habendo quod odibile eſt, quam intellectus in cognoſcendo, quod cognoſcibile eſt, C. Non eſt minùs univerſalis quàm intellectus, id eſt, tot exercet operationes, quot intellectus; N. Nam intellectus illuſtrat voluntatem, ideóque debet actum exercere quem non exerceat voluntas.

Inst. *Tertiò.* Facultas quæ recedit à malo ut malo per odium, poteſt accedere ad malum ut malum per amorem. Atqui voluntas recedit à malo per odium.

Resp. Nego Maj. Multa ſunt enim à quibus abhorremus, quæ tamen nunquam proſequi poſſumus, v. g. nociva, cognita ut nociva.

Inst. *Quartò.* Receſſus ab objecto ſupponit acceſſum ad ipſum. Ergo facultas quæ poteſt à malo recedere, poteſt & ad ipſum accedere.

Resp. Dist. Ant. Receſſus ab objecto ſupponit acceſſum ad ipſum, ſupponit in Phyſicis, *esto*; in Moralibus, N. Nam poſſumus naturaliter ab objecto declinare ſine præviâ ad ipſum inclinatione.

Inst. *Quintò.* Voluntas poteſt accedere ad illud omne quod intellectus judicat amabile. Atqui intellectus judicat & publicè profitetur malum ut malum eſſe amabile.

Resp. Dist. Maj. Quod intellectus judicat amabile judicio practicè practico, C. Speculativo, N. Porrò intellectus non judicat malum ut malum eſſe amabile, niſi judicio ſpeculativo, quod nunquam ad praxim redigitur.

Prob. Min. Facultas certa ſimul & incerta de eadem re, movetur ſimul duobus motibus contrariis : atqui intellectus eſſet certus per motivum ſcientiæ, ſimul & incertus per motivum opinionis : ergo moveretur motibus contrariis.

Resp. dist. Maj. Facultas certa poſitivè ſimul & incerta poſitivè, *C.* Certa poſitivè, & incerta negativè, *N.* Porro opinio non eſt incerta niſi negativè, quatenus non removet incertitudinem quam reperit in intellectu.

Inst. *Secundò.* Tam intellectus eſſet incertus poſitivè per motivum opinionis, quàm eſſet certus poſitivè per motivum ſcientiæ : atqui certus eſt poſitivè per motivum ſcientiæ ; ergo eſſet incertus poſitivè per motivum opinionis.

Resp. nego Maj. Et parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ſcientia eſt cognitio perfecta pariens certitudinem poſitivam : at verò opinio eſt cognitio imperfecta non pariens incertitudinem poſitivam. Nam ſi opinio pareret in intellectu incertitudinem poſitivam, quò plura eſſent de eodem objecto opinandi motiva, eò plures eſſent incertitudines ; atque ita poſt vigeſimam relationem magis dubitarem quàm poſt primam vel ſecundam, quod apertè falſum eſt.

Inst. *Tertiò.* Atqui pariter opinio parit in intellectu incertitudinem poſitivam.

Prob. Subs. Opinio parit in intellectu ſuum effectum formalem, ſuam differentiam eſſentialem : atqui effectus formalis opinionis eſt incertitudo poſitiva.

Prob. min. Effectus formalis cognitionis poſitivæ, qualis eſt opinio, debet eſſe poſitivus : atqui nullus alius eſt effectus opinionis præter incertitudinem poſitivam ; ergo parit incertitudinem poſitivam.

Resp. Nego utramque Min. & dico effectum formalem opinionis eſſe probibilitatem ſeu certitudinem moralem & qualemcunque.

Inst. *Quartò.* Atqui effectus formalis opinionis, vel differentia ipſius non poteſt eſſe certitudo moralis.

Prob. Subs. Opinio differt eſſentialiter à ſcientiâ : atqui non differret eſſentialiter à ſcientiâ, ſi opinio habeat pro effectu formali certitudinem moralem.

Prob. min. Ea non differunt eſſentialiter, quæ differunt tantùm ſecundùm magis & minus : atqui ſcientia & opinio differrent tantùm ſecundùm magis & minus, ſecundùm majorem & minorem certitudinem ; ergo non differrent eſſentialiter.

Resp. Dist. Maj. Quæ differunt tantùm ſecundùm magis & minus homogenea, ſeu ejuſdem generis, C. Secundùm magis & minus heterogenea ſeu diverſi generis, N. Porro ſcientia & opinio differunt ſecundùm magis & minus certum, ſed in diverſo genere : nam certitudo ſcientiæ eſt in genere metaphyſico, certitudo autem opinionis eſt in genere morali ſeu probabilitatis.

Inst. *Quintò*. Cognitio quæ differt à ſcientiâ per negationem certitudinis, non differt per certitudinem etiam moralem : atqui opinio differt à ſcientiâ per negationem certitudinis, ſiquidem opinio eſt cognitio incerta negativè (ex conceſſis) ſeu non certa.

Resp. Dist. Min. Atqui opinio differt à ſcientiâ per negationem certitudinis metaphyſicæ, C. Per negationem certitudinis moralis, N. Quia parit fiduciam moralem, ſeu probabilem cognitionem.

Inst. *Sextò*. Si opinio differat à ſcientiâ per negationem certitudinis metaphyſicæ, idem intellectus ſcientiâ ſimul & opinione præditus, foret ſimul metaphyſicè certus & non certus de eadem veritate : atqui hoc implicat.

Resp. dist. maj. Foret ſimul certus metaphyſicè, & non certus metaphyſicè per diverſa motiva, C. Per idem motivum, N.

Inst. *Septimò*. Ea motiva ſunt incompoſſibilia in eodem intellectu, quorum unum dicit objectum non poſſe aliter ſe habere, alterum dicit poſſe aliter ſe habere : atqui motivum ſcientiæ dicit rem non poſſe aliter ſe habere, motivum opinionis dicit poſſe aliter ſe habere ; ergo motiva ſcientiæ & opinionis ſunt incompoſſibilia.

Resp. Dist. Maj. Quorum unum dicit objectum non poſſe aliter ſe habere in ſe & abſolutè, alterum dicit poſſe aliter ſe habere in ſe & abſolutè, C. Quorum unum dicit objectum non poſſe aliter ſe habere in ſe & abſolutè, alterum dicit poſſe aliter ſe habere relativè ad diverſas rationes, N.

Porro motivum ſcientiæ dicit rem non poſſe aliter ſe habere abſolutè ſimul & relativè : opinio verò dicit rem poſſe aliter ſe habere non abſolutè & in ſe, ſed relativè ad rationem probabilem & inefficacem. Hinc intellectus non eſt incertus de ipſâ propoſitione, ſed de connexione medii probabilis cum tali propoſitione.

INST. *Octavò*. Non magis intellectus poteſt eſſe certus, & non certus metaphyſicè per diverſa motiva, quàm idem aër poſſit eſſe lucidus ſimul & tenebroſus per diverſa media.

RESP. NEGO MAJ. Et parit. Ratio diſparitatis eſt, quia lux & tenebræ opponuntur privativè in eodem ſubjecto immediatè, non item certitudo ſcientiæ, & negatio certitudinis in opinione, quia ſunt in diverſis ſubjectis, putà actibus & habitibus ſcientiæ & opinionis.

INST. *Nonò*. Atqui pariter certitudo ſcientiæ & negatio certitudinis metaphyſicæ in opinione eſſent in eodem ſubjecto, putà in intellectu.

RESP. DIST. In eodem ſubjecto remoto, C. Proximo, N.

II. PROPOSITIO.

Scientia & Fides poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu.

PROBATUR. Ut ſcientia & fides poſſint ſtare ſimul in eodem intellectu, ſatis eſt quod poſſit quis ſcire ſimul, & credere eandem veritatem per diverſa motiva. Atqui poteſt quis ſcire ſimul & credere eandem veritatem per diverſa motiva; ſic, v. g. poteſt quis ſcire Deum exiſtere, quia exiſtunt creaturæ, ſimul & idipſum credere quia Deus revelavit Eccleſiæ. Ergo ſcientia & Fides poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu.

OBJECTIO.

SI ſcientia & Fides ſimul ſtare poſſent, intellectus poſſet ſimul elicere actum ſcientiæ, & actum Fidei; atqui non poteſt.

PROB. MIN. Intellectus non poteſt ſimul elicere actus diverſos : atqui actus ſcientiæ & Fidei ſunt diverſi.

RESP. DIST. MAJ. Intellectus non poteſt ſimul elicere actus diverſos oppoſitos vel etiam diſparatos, *Tranſeat*; Subordinatos, N. Porro actus ſcientiæ & Fidei eſſent ſubordinati, quia ſupponuntur idem affirmare, vel idem negare omnes.

INST. *Primò*. Si intellectus poſſet elicere ſimul actum ſcientiæ & actum Fidei circa idem objectum, cognoſceret evidenter & non evidenter idem objectum : atqui hoc implicat.

RESP. DIST. MAJ. Cognoſceret evidenter ſimul & non evidenter idem objectum per diverſa ſcientiæ & Fidei motiva, C. Per idem motivum, N.

INST. *Secundò*. Si intellectus cognoſceret evidenter ſimul & non evidenter objectum, eſſent ſimul in intellectu claritas & obſcuritas circà idem : atqui hoc implicat.

RESP. DIST. MAJ. Eſſent ſimul in intellectu claritas poſitiva atque obſcuritas negativa, C. Claritas poſitiva & obſcuritas poſitiva, N. Nam Fides non eſt obſcura poſitivè, quaſi pariat obſcuritatem ; ſed negativè, quatenùs non valet removere obſcuritatem, quæ anteà fuerat in intellectu.

INST. *Tertiò*. Si claritas ſcientiæ ſtaret cum obſcuritate Fidei, Fides non rectè diceretur, *Argumentum non apparentium* : atqui tamen ſic definitur ab Apoſtolo in Capite 11. Epiſt. ad Hebræos.

RESP. DIST. MAJ. Fides non rectè diceretur argumentum non apparentium abſolutè & ſub omni reſpectu, C. Non apparentium relativè ad motivum Fidei, & vi Fidei, N. Porro Fides definitur ab Apoſtolo, *Argumentum non apparentium* (intellige) vi Fidei, quatenùs Fides vi ſua non facit res apparentes : ſed hoc non obſtat, quin eſſe poſſint res apparentes aliunde, putà per ſcientiam.

INST. *Quintò*. Si Fides non eſſet argumentum rerum non apparentium abſolutè & ſub omni reſpectu, Fides ſtare poſſet cum evidentia viſionis beatificæ : atqui tamen Fides non ſtat cum viſione beatifica, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. Cap. 13. *Cùm venerit quod perfectum eſt* (gloria) *evacuabitur quod ex parte eſt* (Fides,)

Resp. Dist. Maj. Fides ſtare poſſet cum viſione beatifica, ſtare poſſet per ſe & ex natura rei, C. Stare poſſet per accidens, Deo nolente, N. Porro ſi Fides jam non ſtat cum viſione beatifica, id fit per accidens ex ſola Dei voluntate quæ nobis innoteſcit, loco Apoſtoli citato: at per ſe & abſolutè ſtare poſſent Fides & viſio beatifica.

Inst. *Sextò*. Spes non poteſt per ſe & abſolutè ſtare cum viſione beatifica; ergo nec Fides.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia Spes definitur, virtus circa bonum abſens quatenùs abſens: ſed in Beatis ſummum bonum eſt intimè præſens: at verò Fides abſtrahit à præſentiâ & abſentiâ objecti.

III. PROPOSITIO.

Scientia, Fides & opinio non poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu de eodem objecto.

Probatur In principiis Thomiſtarum ſic. Actus vel habitus oppoſiti non poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu: atqui ſcientia, Fides, & opinio ſunt actus vel habitus oppoſiti. Nam actus certus & incertus, actus evidens & inevidens ſunt actus oppoſiti: atqui ſcientia eſt certa & evidens, opinio eſt incerta, Fides eſt inevidens. Ergo ſcientia, Fides & opinio ſunt actus vel habitus oppoſiti, proindeque non poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu de eodem objecto.

OBJECTIO.

Scientia & opinio poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu, modò poſſit quis ſcire ſimul & opinari de eadem re per diverſa motiva: atqui poteſt quis, v. g. ſcire Deum exiſtere: quia creaturæ exiſtunt, & id ipſum opinari, quia populi conſentiunt.

Prob. min. Tam poteſt quis ſcire ſimul & opinari de eadem re per diverſa motiva, quàm poſſit amare ſimul & odiſſe idem objectum per diverſa motiva, v. g. amare hominem, quia eſt conſanguineus, & odiſſe eundem, quia eſt improbus.

Resp.

RESP. NEGO Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia qui amat hominem quia conſanguineus eſt, & eundem odio habet quia improbus eſt, propriè non amat & odio habet idem objectum, ſed diverſa objecta, nempe conſanguineitatem & improbitatem.

INST. *Primò.* Valet inſtituta paritas, ſi ſcientia & opinio de eâdem re per diverſa motiva non opponantur inter ſe, ſicut nec amor & odium per diverſa motiva: atqui ſcientia & opinio nullo genere oppoſitionis opponuntur, neque contradictoriè, neque contrariè, &c.

RESP. NEGO MIN. Et dico ſcientiam & opinionem de eâdem re opponi contrariè ratione ſui, quatenùs una eſt cognitio certa, altera autem incerta: opponi verò contradictoriè ratione effectûs quem parerent in intellectu quatenus eum præſtarent certum ſimul & non certum de eâdem re.

INST. *Secundò.* Contraria dicuntur ea quæ magis pugnant ſecum invicem, quàm cum aliis: atqui ſcientia & opinio de eadem re minùs pugnant ſecum invicem, quàm cum aliis; quia ſcientia & error de eâdem re magis pugnant quàm ſcientia & opinio.

RESP. DIST. MIN. Atqui ſcientia & opinio minùs pugnant inter ſe quoad veritatem & falſitatem, quàm ſcientia & error, *C.* Minùs pugnant quoad certitudinem & incertitudinem, *N.* Nempe ſcientia & error plurimùm pugnant quoad veritatem & falſitatem: ſcientia autem & opinio plurimùm quoad certitudinem & incertitudinem.

INST. *Tertiò.* Duæ cognitiones quæ eandem veritatem affirmant, vel eandem falſitatem negant, non plurimùm pugnant inter ſe: atqui ſcientia & opinio ſupponuntur hic idem affirmare, vel idem negare.

RESP. DIST. MAJ. Si idem affirment ſine ſpeciali oppoſitione, *C.* Secùs, *N.* At ſcientia & opinio ſpecialem habent oppoſitionem, quatenùs una dicit rem eſſe abſque erroris formidine, altera dicit cum formidine.

INST. *Quartò.* Idcirco aſſeritur ſcientiam & opinionem habere ſpecialem inter ſe oppoſitionem, quia ſicut ſcientia parit in intellectu certitudinem, ita dicitur opinio parere incertitudinem ſeu formidinem: atqui falſum eſt, opinionem parere incertitudinem,

PROB. MIN. Si opinio pareret incertitudinem, quò plures quis haberet de eâdem re opiniones ob plura opinandi motiva, eò magis magiſque dubitaret de illa re : atqui hoc eſt contra experientiam.

Reſpondent negando id ſequi, quia, inquiunt, opinio non ſolùm parit incertitudinem, ſed & notitiam aliqualem rei de quâ opinamur ; ſed dum multiplicantur motiva opinandi eâdem de re, creſcit magis magiſque notitia rei illius, ſicque minuitur ſenſim ac ſine ſenſu mentis incertitudo.

PARS PHILOSOPHIÆ SECUNDA

DE

REBUS MORALIBUS.

QUÆSTIO PRIMA.

De malo quatenus malo.

PROPOSITIO.

Malum quatenùs malum amari non poteſt à voluntate.

Probatur. Illud non poteſt amari à voluntate, quod non habet vim alliciendi voluntatem ad ſui proſecutionem ; atqui malum quatenùs malum non habet vim alliciendi voluntatem ad ſui proſecutionem : nam quòd eſt formaliter nocivum & diſconveniens voluntati, non habet vim alliciendi voluntatem ad ſui proſecutionem ; atqui malum quatenùs malum eſt formaliter nocivum & diſconveniens voluntati, ex hypotheſi enim eſt malum formaliter ut malum. Ergo malum quatenùs malum non poteſt amari à voluntate.

OBIECTIO PRIMA.

Illud poteſt amari à voluntate, quod poteſt eſſe objectum voluntatis. Atqui malum ut malum poteſt eſſe objectum voluntatis, quia circa illud poteſt verſari voluntas.

Resp. Dist. Maj. Quod poteſt eſſe objec-

tum voluntatis ut proſequentis, *C.* Ut averſantis, *N.* At malum ut malum eſt objectum voluntatis, non ut proſequentis, ſed ut averſantis, ſicut falſum ut falſum eſt objectum intellectûs, non ut affirmantis, ſed ut diſſentientis.

Instabis. Illud poteſt eſſe objectum voluntatis ut proſequentis, circa quod voluntas eſt libera; Atqui voluntas eſt libera circa malum ut malum.

Resp. Dist. Maj. Circa quod voluntas eſt libera libertate contrarietatis, *C.* Libertate contradictionis, N. Porrò voluntas eſt libera circa malum ut malum libertate contradictionis ad odio habendum, vel non odio habendum: at non eſt libera libertate contrarietatis, ad amandum vel odio habendum indifferenter.

Inst. *Secundò.* Atqui ut voluntas poſſit proſequi malum ut malum, ſatis eſt quod ſit libera libertate contradictionis circa malum.

Prob. Subs. Ut voluntas poſſit proſequi malum ut malum, ſatis eſt quòd poſſit illud amare & non amare; atqui ſi ſit libera libertate contradictionis circa malum, poteſt illud amare & non amare, quæ ſunt contradictoria duo.

Resp. dist. min. Atqui ſi voluntas ſit libera libertate contradictionis amoris & non amoris, *C.* Libertate contradictionis odii, & non odii, *N.* At voluntas circa malum non habet libertatem amoris & non amoris, ſed odii, & non odii.

Inst. *Tertiò.* Niſi voluntas ſit libera circa malum libertate contradictionis amoris & non amoris; nunquam poterit voluntas idem objectum indifferenter amare & odiſſe. Atqui hoc implicat.

Resp. dist. maj. Nunquam poterit voluntas, idem objectum indifferenter amare & odiſſe, ſub eodem reſpectu, eademque formalitate, *C.* Sub diverſo reſpectu, diverſâ formalitate, N. Nam poteſt idem amare ut bonum, & odio habere ut malum.

Inst. *Quartò.* Vel objectum repræſentatur voluntati ut bonum, vel ut malum: ſi repræſentetur ut bonum, poterit amare, ſed non odiſſe. Si repræſentetur ut malum, poterit odiſſe, ſed non amare. Ergo nunquam poterit voluntas amare & odiſſe idem objectum.

Resp. Dist. Maj. Vel objectum repræſen-

tatur voluntati ut bonum, vel ut malum conjunctim & collectivè, *C.* Disjunctim & distributivè, *N.* Sic, v. g. mens repræſentat ſimul voluntati jejunium tempore quadrageſimali eſſe bonum in ordine ad ſalutem obtinendam; & eſſe malum in ordine ad explendam cupiditatem; & tunc eligit voluntas quòd ſibi libuerit.

Inst. *Quintò.* Implicat intellectum voluntati repræſentare, idem objectum ut bonum, ſimul & malum conjunctim, hæc enim duo ſe ſe deſtruunt.

Resp. Dist. Implicat intellectum voluntati repræſentare, idem objectum ut bonum ſimul & malum, bonitate & malitiâ oppoſitis, *C.* Diſparatis, *N.* Sic, v. g. implicaret intellectum repræſentare ſimul jejunium eſſe bonum in ordine ad ſalutem, & malum in ordine ad eandem ſalutem. At nihil implicat intellectum repræſentare jejunium eſſe bonum in ordine ad ſalutem, & malum in ordine ad cupiditatem explendam.

Inst. *Sextò.* Si intellectus poſſet repræſentare voluntati, idem objectum eſſe bonum ſimul & malum bonitate & malitia diſparatis, poſſent ſimul eſſe in intellectu duæ operationes, duo judicia, alterum de bono, alterum de malo. Atqui hoc implicat, quia pluribus intentus minor eſt ad ſingula.

Resp. Dist. Maj. Poſſent ſimul eſſe in intellectu duo judicia, diſparata, & conditionata, *C.* Oppoſita & abſoluta, *N.* Porrò non ſunt incompoſſibilia duo ſimul judicia diſparata & conditionata, v. g. iſta duo, (jejunandum eſt ſi velis præcepto Eccleſiæ obtemperare) (jejunandum non eſt, ſi velis tuæ ſervire cupiditati.)

Inst. *Septimò.* Si poſſent ſimul eſſe in intellectu duo judicia diſparata & conditionata, unum de bono, alterum de malo, poſſet eſſe vitium in voluntate ſine errore in intellectu, ſine perverſo intellectus judicio. Atqui hoc implicat, alioqui voluntas non dirigeretur ab intellectu.

Resp. Dist. Maj. Poſſet eſſe vitium in voluntate, ſine errore in intellectu, ſine errore ſpeculativo & antecedenti, *C.* Sine errore practicè practico & conſequenti, *N.* Nam poſtquam elegit voluntas hoc potiùs quàm illud: tunc intellectus judicat judicio practicè practico hoc eſſe faciendum; v. g.

non eſſe jejunandum ; & ibi eſt error conſequens, & à voluntatis electione dependens.

Inst. *Octavò*. Voluntas dirigitur à judicio intellectus. Ergo prius eſſe debet error in intellectu, quàm vitium in voluntate.

Resp. Dist. Ant. Voluntas dirigitur à judicio intellectus ſpeculativo, antecedenti, & conditionato, *C.* A judicio practico, & abſoluto, Subdist. in mediis eligendis in ordine ad finem. *C.* In ipſo fine eligendo, *N.* Nam *primò* voluntas eligit finem determinatum, & deinde abſolutè judicat intellectus de mediis convenientioribus in ordine ad talem finem.

Inst. *Nonò*. Si judicium ſpeculativum, & conditionatum ſufficeret ad dirigendam voluntatem ; judicium quo Nominales judicant malum qua malum eſſe amabile, ſufficeret excitandæ voluntati ad amorem.

Resp. Dist. Si judicium quodlibet ſpeculativum ſufficeret, *C.* Secùs, *N.* At non ſufficit quodlibet promiſcuè ſpeculativum judicium, ſed illud duntaxat quo objectum aliquod repræſentatur ſub aliqua ſpecie boni.

Inst. *Decimò*. Excitandæ voluntati ad amorem ſufficit repræſentatio amabilitatis. Atqui judicium ſpeculativum Nominalium de malo ut malo, repræſentat amabilitatem. Ergo ſufficeret ad amorem.

Resp. Dist. Maj. Sufficit repræſentatio amabilitatis, propter aliquam objecti bonitatem veram, vel apparentem, *C.* Sine ullâ ſpecie boni, *N.* At Nominales judicant malum ut malum eſſe amabile, ſine ullâ ſpecie boni.

OBJECTIO I.

Tam malum ut malum poteſt amari à voluntate, quàm falſum ut falſum cognoſci ab intellectu.

Resp. Nego parit. Ratio diſp. eſt, quia falſum ut falſum eſt intelligibile, ſuámque habet ideam in mente : at verò malum ut malum non eſt amabile, non habet vim alliciendæ voluntatis ad ſui proſecutionem.

Instabis. Intellectus verſatur circa falſum ut falſum, alio actu quam diſſenſu ; Ergo à pari vo-

luntas verſatur circa malum ut malum, alio actu quam odio, proindéque amore.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia in intellectu præter aſſenſum & diſſenſum, eſt ſimplex objecti apprehenſio, prærequiſita aſſenſui vel diſſenſui. At verò in voluntate nullus eſt alius actus præter amorem & odium.

Inst. *Secundo.* Voluntas non eſt minùs univerſalis quàm intellectus: ergo ſicut intellectus habet actum aliquem præter aſſenſum & diſſenſum; ita voluntas habere debet actum præter amorem & odium.

Resp. Dist. Ant. Voluntas non eſt minùs univerſalis quàm intellectus; non eſt minùs univerſalis in amando quod amabile eſt, & odio habendo quod odibile eſt, quam intellectus in cognoſcendo, quod cognoſcibile eſt, *C.* Non eſt minùs univerſalis quàm intellectus, id eſt, tot exercet operationes, quot intellectus; *N.* Nam intellectus illuſtrat voluntatem, ideóque debet actum exercere quem non exerceat voluntas.

Inst. *Tertiò.* Facultas quæ recedit à malo ut malo per odium, poteſt accedere ad malum ut malum per amorem. Atqui voluntas recedit à malo per odium.

Resp. Nego Maj. Multa ſunt enim à quibus abhorremus, quæ tamen nunquam proſequi poſſumus, v. g. nociva, cognita ut nociva.

Inst. *Quartò.* Receſſus ab objecto ſupponit acceſſum ad ipſum. Ergo facultas quæ poteſt à malo recedere, poteſt & ad ipſum accedere.

Resp. Dist. Ant. Receſſus ab objecto ſupponit acceſſum ad ipſum, ſupponit in Phyſicis, *eſto*; in Moralibus, *N.* Nam poſſumus naturaliter ab objecto declinare ſine præviâ ad ipſum inclinatione.

Inst. *Quintò.* Voluntas poteſt accedere ad illud omne quod intellectus judicat amabile. Atqui intellectus judicat & publicè profitetur malum ut malum eſſe amabile.

Resp. Dist. Maj. Quod intellectus judicat amabile judicio practicè practico, *C.* Speculativo, *N.* Porrò intellectus non judicat malum ut malum eſſe amabile, niſi judicio ſpeculativo, quod nunquam ad praxim redigitur.

Inst. *Sextò.* Intellectus Dæmonum judicat annihilationem eſſe amabilem judicio practicè practico. Atqui annihilatio eſt malum ut malum.

Prob. Min. Quod nullam in ſe habet bonitatem; & affert deſtructionem bonitatis; certè eſt malum ut malum. Atqui annihilatio eſt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Quod nullam in ſe habet bonitatem, nec abſolutam, nec relativam, *C.* Abſolutam tantùm, *N.* Porrò annihilatio habet aliquam bonitatem relativam reſpectu Dæmonum quos ſolveret à miſeriâ.

Inst. *Septimò.* Quod nulli ſubjecto bonum eſſe poteſt, certè nullam habet bonitatem relativam: atqui annihilatio nulli ſubjecto poteſt eſſe bona.

Resp. Nego Min. Namque eſſet bona Dæmonibus quos liberaret à miſeriis.

Inst. *Octavò.* Quod tollit omne ſubjectum non poteſt eſſe bonum ſubjecto. Atqui annihilatio tollit ſubjectum omne.

Resp. Dist. Maj. Quod tollit omne ſubjectum, non poteſt eſſe bonum ſubjecto relinquendo, *C.* Deſtruendo, *N.* Nam bonitas annihilationis conſiſteret in eo quod ſuum deſtruendo ſubjectum, ipſum pœnis ſubſtraheret incredibilibus.

Inst. *Nonò.* Quod non perficeret ſubjectum, non poſſet eſſe bonum ſubjecto. Atqui annihilatio non perficeret Dæmones.

Resp. Dist. Maj. Non poſſet eſſe bonum poſitivum, *C.* Negativum, *N.* At annihilatio eſſet bona negativè, quatenùs imperfectionum maximam removeret à Dæmonibus; optabilius enim eſſet non eſſe, quam eſſe damnatum: hinc aïebat Chriſtus Dominus de Juda proditore: *bonum eſſet Homini illi, ſi natus non fuiſſet.*

Inst. *Decimò.* Si annihilatio eſſet bona negativè Dæmonibus, vel exiſtentibus, vel non exiſtentibus: neutrum dici poteſt.

Prob. Min. Quoad primam partem. Annihilatio non poteſt eſſe bona quando non eſt: atqui exiſtentibus Dæmonibus annihilatio non eſt. Ergo non poteſt eſſe bona Dæmonibus exiſtentibus.

Resp. Dist. Maj. Annihilatio non poteſt eſſe bona quando non eſt, neque realiter, neque objec-

ctivè in ideâ, *C*. Quando non eſt realiter tantùm, *N*. At annihilatio eſt in ideâ Dæmonum appetentium ipſam.

Prob. Min. Quoad ſecundam partem. Nihil poteſt eſſe bonum iis qui non ſunt. Ergo annihilatio non poteſt eſſe bona Dæmonibus non exiſtentibus.

Resp. Dist. Ant. Nihil poteſt eſſe bonum poſitivè, *C*. Negativè, *N*. Eo ſenſu quod removeat imperfectionem, v. g. damnationem.

QUÆSTIO SECUNDA.

De modo agendi Belluarum propter finem.

I. PROPOSITIO.

Belluæ agunt formaliter propter finem.

Probatur. Nam quæcumque agentia cognoſcunt finem ut finis eſt, & media ut media ſunt, agunt formaliter propter finem: atqui Belluæ cognoſcunt finem ut finis eſt, & media ut media ſunt. Etenim ea cognoſcunt finem ut finis eſt, quæ alliciuntur à præcognitâ bonitate finis: atqui Belluæ alliciuntur à præcognitâ bonitate finis. Ergo Belluæ cognoſcunt finem ut finis eſt, proindéque agunt formaliter propter finem.

OBIECTIO.

Ut agens agat formaliter propter finem, debet cognoſcere finem & rationem finis. Atqui belluæ non cognoſcunt finem & rationem finis. Ergo belluæ non agunt formaliter propter finem.

Prob. Min. Belluæ agunt propter finem, mediò modo inter agentia vegetantia, & rationalia. Atqui ſi cognoſcerent finem & rationem finis, non agerent medio modo inter agentia vegetantia & rationalia; nam vegetantia neque finem cognoſcunt,

neque rationem finis, rationalia autem cognoſcunt finem & rationem finis. Ergo belluæ ut agant medio modo, debent cognoſcere finem, ſed non, rationem finis.

Resp. Dist. Maj. Belluæ agunt propter finem medio modo inter agentia vegetantia & rationalia, medio per participationem, C. Medio per excluſionem, N. Nam modus belluarum agendi propter finem participat aliquid de modo agendi & vegetantium & rationalium; ſicut enim vegetantia feruntur in finem neceſſitate naturæ, ita & belluæ: ſicut autem rationalia cognoſcunt rationem finis conſtitutivam, ita & belluæ; cum eo tamen diſcrimine, quod rationalia liberè & cum electione operentur, belluæ autem naturali neceſſitate.

Instabis. Belluæ non cognoſcunt niſi quod poteſt cadere ſub ſenſus: atqui ratio conſtitutiva finis non poteſt cadere ſub ſenſus; quia nulli afficitur ſenſibili qualitate. Ergo belluæ non cognoſcunt rationem finis.

Resp. Dist. Maj. Belluæ non cognoſcunt niſi quod poteſt cadere ſub ſenſus, vel internos, vel externos, C. Externos tantùm, N. Porrò ratio finis non cadit quidem ſub ſenſus externos v. g. viſum, at cadit ſub ſenſus internos v. g. imaginationem; eſt enim mira vis imaginationis belluarum ad ea cognoſcenda quæ ſub ſenſus externos non cadunt; ſic Ovis percipit inimicitiam Lupi inſtinctu quodam naturali, qui non poteſt errare.

Inst. *Secundò*. Belluæ non cognoſcunt niſi quod eſt ſenſibile: atqui ratio finis, non eſt ſenſibilis; eſt enim quædam formalitas purè intelligibilis. Ergo belluæ non cognoſcunt rationem finis, vel ſenſu interno.

Resp. Dist. Min. Atqui ratio finis non eſt ſenſibilis, ſi ſpectetur in abſtracto, C. Si ſpectetur in concreto, N. Quamvis enim belluæ non cognoſcant rationem finis, prout eſt quædam formalitas abſtracta & purè intelligibilis; cognoſcunt tamen finem ut bonum & ſibi convenientem.

Inst. *Tertiò*. Ut belluæ cognoſcant aliquo modo rationem finis debent comparare media cum fine, & finem cum mediis: atqui belluæ non poſſunt comparare, ſiquidem comparatio eſt mentis opera-

tio. Ergo belluæ nullatenùs poſſunt cognoſcere rationem finis.

Resp. Dist. Maj. Debent comparare media cum fine, comparatione virtuali, C. Comparatione actuali, N. Porrò belluæ comparant media cum fine, comparatione virtuali, quia uno & eodem actu cognoſcunt & finem & media, ut utilia ad finem conſequendum; quod rationalia ſolent diſcurrendo præſtare.

Inst. *Quartò.* Si belluæ cognoſcerent & finem & media comparatione virtuali per unum eundémq; actum, jam modus agendi belluarum eſſet nobilior modo agendi rationalium, quia foret ſimplicior; abſurdum conſequens.

Resp. Dist. Maj. Jam modus agendi belluarum eſſet nobilior ſecundum quid, C. Simpliciter, N. Porrò modus agendi rationalium eſt ſimpliciter nobilior modo agendi belluarum; quia rationalia agunt cum reflexione, & electione liberâ, & propter finem longè præſtantiorem, v. g. propter Deum & Dei cognitionem.

Inst. *Quintò.* Nobilius eſt ſimpliciter cognoſcere & finem & media uno & eodem actu, quàm cognoſcere multiplici, & cum reflexione. Atqui belluæ cognoſcerent finem & media uno & eodem actu; rationalia verò multiplici & cum reflexione. Ergo modus agendi belluarum eſſet nobilior ſimpliciter modo agendi rationalium.

Resp. Dist. Maj. Nobilius eſt cognoſcere finem & media uno & eodem actu, quam multiplici, ſi cætera ſint aliundè paria, C. Secùs, N. Porrò cætera non ſunt paria inter modum cognoſcendi rationalium & belluarum; quia rationalia cognoſcunt rationem finis longè diſtinctiùs; & finem intendunt longè nobiliorem; inſuper & agunt liberè & ex electione.

Inst. *Sextò.* Atqui belluæ nullatenùs poſſunt cognoſcere finem ut finem, & media ut media. Nam ea tantùm agentia poſſunt cognoſcere media ut media, quæ poſſunt conſultare de mediis eligendis; atqui belluæ non poſſunt conſultare vel deliberare de mediis. Ego nec cognoſcere media ut media ſunt.

Resp. Dist. Maj. Ea tantùm agentia poſſunt

cognoſcere media ut media, cognitione reflexâ, quæ poſſunt conſultare, *C*. Cognitione directâ ſeu apprehenſivâ, *N*. Porrò belluæ non conſultant quidem; proindéque non poſſunt cognoſcere media ut media cognitione reflexâ; quia non indigent aliquo examine aut diſcurſu ad dignoſcenda media ad finem convenientiora; at inſtinctu quodam ducuntur, & ſolâ cognitione directâ, undè minùs perfectè cognoſcunt convenientiam mediorum.

II. PROPOSITIO.

Belluæ non agunt propter finem formaliter.

Probatur. Agere propter finem formaliter, eſt cognoſcere finem ut finem, media ut media, rationem finis, & utilitatem mediorum in ordine ad finem. Atqui belluæ non cognoſcunt finem ut finem, media ut media, rationem finis, & utilitatem mediorum: nam belluæ nihil cognoſcunt niſi quod eſt ſenſibile; atqui ratio finis & utilitas mediorum non ſunt aliquid ſenſibile; quippe utilitas mediorum conſiſtit in quâdam illorum convenientiâ, quæ relatio eſt, relatio autem inſenſibilis eſt. Ergo belluæ non cognoſcunt finem ut finem, media ut media in ordine ad finem, proindéque non agunt propter finem formaliter.

OBJECTIO I.

Belluæ agunt propter finem, medio modo inter modum agendi rationalium, & modum agendi inſenſitivorum. Atqui non agerent medio modo, niſi agerent propter finem formaliter.

Prob. Min. Quæ agerent propter finem materialiter tantùm, non agerent medio modo, inter modum agendi rationalium, & modum agendi inſenſitivorum. Atqui belluæ agerent propter finem materialiter ſolum.

Resp. Dist. Maj. Quæ agerent propter finem materialiter imperfectè ſine ullâ prævîâ cognitione ſenſuum, ut lapides, *C*. Materialiter perfectè ex prævîâ cognitione ſenſitivâ, *N*. Porrò belluæ

agunt propter finem materialiter perfectè; atquè ità medium tenent inter rationalia quæ agunt propter finem formaliter; & inſenſitiva quæ agunt materialiter imperfectè.

Instabis. Ea agentia agunt propter finem modo perfectiori, quam materialiter perfectè quæ aſſumunt media convenientiora ad finem ex prævià cognitione: atqui belluæ aſſumunt media convenientiora ex prævià cognitione.

Resp. Dist. Maj. Quæ aſſumunt media convenientiora ex prævià cognitione majoris convenientiæ, C. Sine prævià cognitione majoris convenientiæ, N. Porrò belluæ non valent cognoſcere majorem mediorum convenientiam, quæ cùm tota ſit poſita in relatione, inſenſibilis eſt.

Inst. *Secundò.* Vel belluæ aſſumunt media convenientiora ex prævià cognitione convenientiæ ſeu utilitatis, vel jucunditatis, vel honeſtatis. Atqui ſæpè non aſſumunt media ex cognitione jucunditatis, nunquam verò ex cognitione honeſtatis.

Res Nego Min. Et dico aſſumere media ex cognitione jucunditatis.

Inst. *Tertiò.* Canis, ſæviente hyeme, trajicit fluvium glacialem ad aſſequendum Herum ex adverſà ripà. Atqui illa trajectio nihil habet jucunditatis.

Resp. Dist. Min. Atqui illa trajectio nihil habet jucunditatis, ſi ſpectetur ſeorſim ab hero aſſequendo, C. Si ſpectetur conjunctìm cum hero aſſequendo, N. Nam præſentia heri plus poteſt ad alliciendum canem, quàm frigus aquæ ad arcendum.

Inst. *Quartò.* Quod parit cani dolorem valdè ſenſibilem, non poteſt dici cani jucundum. Atqui trajectio fluvii glacialis parit cani dolorem valdè ſenſibilem.

Resp. Dist. Maj. Quod parit cani dolorem valdè ſenſibilem voluptate majorem, C. Voluptate minorem, N. Porrò illa trajectio fluvii glacialis plus affert cani voluptatis, quàm moleſtiæ, ſicut offa paulò calidior parit eidem cani aliquid doloris, plus tamen voluptatis.

Inst. *Quintò.* Ibi non eſt voluptas dolore major; ubi magna ſunt doloris indicia, nulla verò voluptatis. Atqui in trajiciente cane magna ſunt doloris indi-

cia, latratus & ululatus; nulla autem voluptatis indicia.

RESP. NEGO MIN. Quoad ſecundam partem. Nam magnum voluptatis quam percipiat canis indicium, eſt ipſa trajectio quæ certè non aſſumeretur à cane, niſi ſpeciem aliquam jucunditatis haberet.

INST. *Sextò* Trajectio moleſta cani, non eſt indicium voluptatis quam percipiat canis. Atqui trajectio fluvii glacialis eſt moleſta cani, nihilque habet in ſe quod jucunditatem parere valeat.

RESP. DIST. MAJ. Trajectio moleſta ſimpliciter cani, *C*, Moleſta ſecundum quid, *N*. At illa trajectio eſt ſecundum quid moleſta, ſimpliciter verò jucunda.

INST. *Septimò*. Nihil eſt in illâ trajectione quod valeat allicere canem ad ſui proſecutionem; quia nihil niſi aſperum præ ſe fert.

RESP DIST. Nihil eſt in illâ trajectione præcisè & ſecundum ſe ſpectatâ, *C*. In illâ trajectione ut conjunctâ cum aſſecutione heri præſentis, *N*.

INST. *Octavò*. Ut illa trajectio ut conjuncta cum aſſecutione heri, eſſet jucunda cani, deberet canis poſſe conjungere trajectionem fluvii cum aſſecutione heri. Atqui canis non poteſt hæc duo conjungere, alioqui compararet, & judicaret.

RESP. DIST. MAJ. Deberet canis poſſe conjungere trajectionem fluvii cum aſſecutione heri, conjungere apprehenſivè per ſimplicem intuitum, *C*. Conjungere judicativè, per affirmationem, *N*. Porrò canis hæc duo conjungit apprehenſivè, quatenùs utrumque ſimul apprehendit, ſimul percipit.

INST. *Nonò*. Non eſt difficilius cani percipere utilitatem, ſeu convenientiam trajectionis, quam ipſam aſſecutionem heri, ſunt enim ex æquo inſenſibiles.

RESP. DIST. MAJ. Quam ipſam aſſecutionem ſumptam in abſtracto, *C*. Sumptam in concreto & materialiter, *N*. Quamvis enim canis non percipiat rationem formalem aſſecutionis heri, percipit herum aſſequendum, ſibique blandientem.

OBJECTIO

OBJECTIO II.

Agentia ratione prædita agunt propter finem formaliter. Atqui belluæ ratione pollent.

Prob. Min. Docilitas ſeu capacitas ſcientiæ, eſt indicium rationis. Atqui eſt in belluis docilitas; ergo & ratio.

Resp. Dist. Maj. Docilitas propriè dicta, quæ ſit conjuncta cum diſcurſu, comparatione, *C.* Docilitas impropriè dicta, quæ ſit conjuncta cum ſolâ memoriâ, *N.* Porrò docilitas quæ deprehenditur in belluis, eſt fœtus ſolius memoriæ.

Instabis. Agentia reflexiva pollent docilitate propriè dictâ & rationali. Atqui belluæ ſunt reflexivæ, reflectunt enim ſuprà præterita.

Resp. Dist. Maj. Agentia reflexiva ſuprà ſuas cognitiones, *C.* Reflexiva ſuprà objecta ſuarum cognitionum, *N.* Porrò belluæ reflectunt ſuprà objecta ſenſibilia priùs cognita, at non ſuprà ſuas cognitiones, quæ ſunt inſenſibiles.

Inst. *Secundò.* Reflectere ſuprà ſuas cognitiones, eſt ſuas cognoſcere cognitiones: atqui belluæ ſuas cognoſcunt cognitiones.

Prob. Min. Belluæ poſſunt cognoſcere quidquid eſt ipſis præſens & proportionatum. Atqui cognitiones belluarum ſunt belluis præſentes & proportionatæ. Ergo belluæ ſuas cognoſcunt cognitiones.

Resp. Dist. maj. Quidquid eſt ipſis præſens & proportionatum objectivè, tanquam objectum cognoſcendum, *C.* Effectivè, tanquam effectus ſuæ cauſæ, *N.* Porrò cognitiones belluarum ſunt quidem effectus facultatum cognoſcitivarum, ſed non ſunt objecta cognoſcibilia a belluis, quia non ſunt ſenſibiles.

Inst. *Tertiò.* Quidquid eſt materiale & cognoſcibile, eſt proportionatum facultati cognoſcitivæ materiali: Atqui cognitiones belluarum ſunt materiales & cognoſcibiles. Ergo ſunt proportionatæ belluis objectivè.

Resp. Dist. maj. Quidquid eſt materiale & ſenſibile, *C.* Et inſenſibile, *N.* Nam ſenſus nihil

percipit niſi quod eſt ſenſibile; Porrò cognitiones belluarum non ſunt ſenſibiles, quia nullâ ſenſibili qualitate donantur.

Inst. *Quartò*. Tam omne materiale eſt proportionatum facultati cognoſcitivæ materiali, quàm omne ſpiritale ſit proportionatum facultati cognoſcitivæ ſpiritali: Atqui ità eſt.

Resp. Nego Maj. Et parit. Ratio diſp. eſt, quia facultas cognoſcitiva ſpiritalis eſt univerſaliſſima, & ſe ſe extendit ad omne generatìm intelligibile: At verò facultas cognoſcitiva materialis eſt valdè limitata ad certum ſenſibile, v. g. viſus ad colorem, auditus ad ſonos.

Inst. *Quintò*. Valet paritas allata, ſi detur in belluis facultas materialis univerſalis. Atqui datur hujuſmodi facultas, nempe ſenſus communis.

Resp. Dist. Maj. Si detur in belluis facultas materialis univerſalis ad omnia materialia ut materialia, *C*. Ad omnia materialia, ut ſenſibilia, *N*. Porrò ſenſus communis dicitur facultas univerſalis, non relativè ad omnia materialia ut materialia, ſed relativè ad omnia ſenſibilia, ideóque definitur ſenſus internus diſcernens objecta ſenſuum exteriorum, v. g. colorem à ſapore.

Inst. *Sextò*. Tam ſenſus communis poteſt eſſe univerſalis relativè ad omnia generatìm materialia, quam quilibet alius ſenſus particularis ſit circa aliquod materiale in particulari.

Resp. Nego parit. Ratio diſp. eſt, quia aliquod materiale in particulari eſt ſenſibile, proindéque poteſt eſſe objectum ſenſûs in particulari, v. g. color objectum viſûs. At omnia generatìm materialia non ſunt ſenſibilia, nec proinde objecta ſenſûs communis.

Inst. *Septimò* Omnia generatìm materialia ut materialia ſunt objectum ſenſûs communis, aliorúmve ſenſuum internorum, modò cadat aliquid ſub ſenſum internum, quod nunquam cadit in ſenſus externos. Atqui ità eſt.

Prob. Min. Tam poteſt aliquid cadere ſub ſenſum internum, quod nunquam cadit ſub ſenſus externos, quam poſſit aliquid cadere ſub intellectum, quod nunquam cadit ſub ſenſum internum.

Resp. Nego parit. Ratio diſp. eſt, quia major

eſt dependentia & ſubordinatio inter ſenſus internos & externos, quam inter intellectum & ſenſum internum: ſiquidem intellectus abſolutè non pendet à ſenſibus internis. At ſenſus internus, eſt eſſentialiter diſcernens objecta ſenſuum externorum.

Inst. Octavò. Ideo cadit aliquid ſub intellectum, quod nunquam cadit in ſenſum internum, quia ſpecies intelligibiles non debent neceſſariò à ſenſu ad intellectum traduci; ſed pariter ſpecies ſenſuum internorum non derivantur ab externis.

Prob. Min. Amicitia Matris & inimicitia Lupi ſunt in ſenſu interno Ovis. Atqui ſpecies amicitiæ & inimicitiæ non derivantur à ſenſu externo.

Prob. Min. Quæ non ſunt in ſenſibus externis, non derivantur ab illis: atqui amicitia Matris & inimicitia Lupi non ſunt in ſenſibus externis, quia neque ſunt coloratæ, neque ſapidæ, &c.

Resp. Dist. Maj. Atqui amicitia & inimicitia Lupi non ſunt in ſenſibus externis, non ſunt per ſe proximè & immediatè, *C*. Per ſigna quædam exteriora & ſenſibilia, *N*. Sic inimicitia Lupi innoteſcit Ovi per præcedentes morſus, per dentes minaces, & alia ad nocendum indicia.

QUÆSTIO TERTIA.

De Beatitudine Hominis objectivâ.

I. PROPOSITIO.

Bona creata non ſunt Hominis objectiva Beatitudo.

Probatur. Ea bona non ſunt Hominis objectiva Beatitudo, quæ non poſſunt omnem Hominis, ut Homo eſt, appetitum explere; atqui bona creata non poſſunt omnem Hominis appetitum explere: nam ea bona non poſſunt omnem Hominis appetitum explere, quibus poſſeſſis reſtat adhuc majus bonum ab Homine poſſidendum; atqui poſſeſſis

bonis omnibus creatis; adhuc reſtat majus bonum ab Homine poſſidendum; etenim poſſeſſis bonis finitis, & per participationem, reſtat adhuc bonum infinitum, & per eſſentiam poſſidendum ab eo cujus facultates ſunt illimitatæ; atqui facultates Hominis, ut Homo eſt, ſunt illimitatæ, utpotè ſpiritales; Ergo bona creata non poſſunt omnem Hominis, ut Homo eſt, appetitum explere, proindéque non ſunt Hominis objectiva felicitas.

OBJECTIO.

Beatitudo Hominis poteſt conſiſtere in iis, quæ poſſunt explere Hominis appetitum. Atqui bona creata poſſunt explere hominis appetitum.

Prob. Min. Quæ ſunt appetitui hominis abundè proportionata, poſſunt hominis appetitum explere: atqui bona creata ſunt appetitui hominis abundè proportionata.

Resp. Dist. Maj. Quæ ſunt appetitui hominis abundè proportionata, inſtar finis ultimi, & ſummi boni, C. Inſtar mediorum ad finem ultimum, N. Porrò bona creata ſunt homini proportionata, non inſtar finis ultimi, & ſummi boni, ſed inſtar mediorum in ordine ad finem ultimum.

Instabis. Bona creata & finita ſunt appetitui finito & creato proportionata, inſtar finis ultimi: atqui appetitus hominis eſt creatus & finitus.

Resp. Dist. Min. Atqui appetitus hominis eſt finitus intrinſecè, & quoad entitatem ſuam, C. Eſt finitus extrinſecè, & quoad objectum & finem ſuum, N. Quia animam hominis Dei capacem, quod Deo minùs eſt, occupare poteſt, ſatiare non poteſt, ex. D. Bernardo.

Inst. Secundò. Tam bona creata & finita intrinſecè, poſſunt explere appetitum finitum intrinſecè, quam bona increata & infinita intrinſecè poſſint explere appetitum increatum & infinitum intrinſecè,

Resp. Nego parit. Ratio diſp. eſt, quia bonis increatis & infinitis, nihil majus eſſe poteſt: at bonis creatis poſſeſſis, majus quid ſupereſt poſſiden-

dum à facultate univerſaliſſimâ qualis eſt intellectus humanus.

Inst. *Tertiò.* Atqui appetitus hominis eſt limitatus bonis creatis, ita ut non poſſit ſe ſe extendere ad objectum infinitum.

Prob. Subs. Appetitus hominis non poteſt ſe ſe extendere ad objectum infinitum, ſi objectum infinitum non poſſit attingi niſi unico modo, eoque infinito; atqui ita eſt.

Prob. Min. Objectum ſupernaturale non poteſt attingi niſi unico modo eoque ſupernaturali; ergo à pari objectum infinitum non poteſt attingi niſi unico modo, eoque infinito.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt quia ſupernaturale dicitur relativè ad potentiam naturalem, cujus vires ſuperat: at infinitum dicitur abſolutè, & in ſe, quia infinitas continet perfectiones, ſine ordine ad potentiam finitam cujus vires excedat.

Inst. *Quartò.* Infinitum non poteſt attingi, niſi modo ſibi proportionato: atqui unicus modus objecto infinito proportionatus, eſt infinitus; ergo infinitum non poteſt attingi niſi unico modo, eoque infinito.

Resp. Dist. Min. Atqui unicus modus objecto infinito proportionatus eſt infinitus, modus adæquatus, perfectè adæquans infinitam Dei intelligibilitatem, *C.* Modus inadæquatus, nec perfectè adæquans intelligibilitatem Dei, *N.* At modus cognoſcendi objecti infiniti adæquatus, proprius eſt Divinæ mentis.

Inst. *Quintò.* Atqui infinitum attingi non poteſt niſi adæquatè, & perfectè.

Prob. Subs. Quod non poteſt attingi à cognoſcente, niſi ſecundùm ſe totum, non poteſt attingi niſi adæquatè: atqui infinitum nequit attingi niſi ſecundum ſe totum.

Resp. dist. Maj. Niſi ſecundum ſe totum & totaliter, *C.* Et non totaliter, *N.* At neceſſe non eſt Deum attingi totaliter, ſeu modis omnibus quibus attingi poteſt abſolutè.

Inst. *Sextò.* Objectum indiviſibile non poteſt attingi niſi totum, & totaliter attingatur: atqui infinitum de quo jam ſermo eſt, eſt indiviſibile.

Resp. Dist. Maj. Objectum indiviſibile tum

virtualiter, tum realiter, tum quoad modum cognoſcibilitatis, tum quoad entitatem, *C.* Realiter tantùm & quoad entitatem, *N.* At Dei ſubſtantia indiviſibilis realiter, eſt infinitis modis & participabilis & intelligibilis.

INST. *Septimò.* Modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi; ergo objectum indiviſibile quoad entitatem, eſt quoque indiviſibile quoad modum cognoſcibilitatis unicum.

RESP. DIST. ANT. Modus cognoſcendi cognoſcentis ſequitur modum eſſendi cognoſcentis, *C.* modus cognoſcendi cognoſcentis ſequitur modum eſſendi rei cognitæ, *N.* Sic modus cognoſcendi intellectui congenitus ſequitur modum eſſendi naturalem intellectui.

INST. *Octavò.* Punctum Mathematicum non poteſt tangi, quin totum tangatur & totaliter; ergo à pari indiviſibile Metaphyſicum, v. g. Deus, attingi non poteſt quin totum attingatur & totaliter.

RESP. NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt quia punctum mathematicum (ſi datur) eſt indiviſibile etiam virtualiter, nec diverſas habet realiter facies, ut ſecundum quid tangatur, & non tangatur aliundè: at Deus eſt indiviſibilis non virtualiter, ſed realiter, habet diverſas intelligibilitates, ut uno & altero intelligatur modo.

II. PROPOSITIO.

Deus eſt hominis objectiva beatitudo.

PROBATUR. Ille ſolus eſt hominis objectiva beatitudo, qui ſolus poteſt omnem hominis, ut homo eſt, appetitum explere. Atqui ſolus Deus poteſt omnem hominis, ut homo eſt, appetitum explere; nam hominis, ut homo eſt à belluarum conditione ſecretus, duplex eſt appetitus, nempe inquiſitio veritatis per intellectum, & deſiderium bonitatis per voluntatem; atqui ſolus Deus poteſt explere utrumque hunc hominis appetitum, quia ſolus eſt prima, ſimpliciter veritas, ſolus eſt prima per eſſentiam bonitas; fons & radix bonorum omnium. Ergo ſolus Deus eſt hominis objectiva beatitudo.

OBJECTIO.

BOnum infinitum non eſt beatitudo hominis. Atqui Deus eſt bonum infinitum.

Resp. nego Maj. Nam beatitudo eſt ſummum bonum, ſummum autem bonum eſt bonum infinitum.

Instabis. Bonum quod non poteſt ab homine poſſideri, non eſt beatitudo hominis. Atqui bonum infinitum non poteſt ab homine poſſideri, quia non poteſt cadere ſub jus & dominium hominis.

Resp. Dist. Maj. Bonum quod non poteſt ab homine poſſideri, poſſeſſione phyſicâ ſeu objectivâ, *C.* Poſſeſſione civili ſeu juridicâ, *N.*

Inst. *Secundò.* Quod nullam habet cum facultatibus hominis proportionem non poteſt ab homine poſſideri poſſeſſione phyſicâ atque objectivâ. Atqui bonum infinitum nullam habet cum facultatibus hominis proportionem; quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio.

Resp. Dist. Min. Atqui bonum infinitum nullam habet proportionem entitatis ſpecificam, *C.* Habitudinis, *N.* Sicut enim viſum inter & colorem eſt habitudo, ita intellectum inter & intelligibile eſt eſſentialis relatio.

Inst. *Tertiò.* Ideò foret aliqua proportio habitudinis, inter bonum infinitum & hominem, quia, bonum infinitum eſt intelligibile, & homo eſt intellectivus. Atqui hæc ratio nulla eſt.

Prob. Min. Licèt oculus ſit ſenſitivus, & ſonus ſit ſenſibilis, nulla tamen eſt proportio habitudinis oculum inter & ſonum. Ergo licet homo ſit intellectivus, & bonum infinitum ſit intelligibile, nulla tamen eſt proportio habitudinis inter hominem & bonum infinitum.

Resp. nego Conſeq. Et parit. Ratio diſp. eſt, quia oculus eſt facultas materialis, & valdè limitata à ſuo organo ad certum & determinatum objectum, putà ad colores. At intellectus eſt univerſaliſſimus præ ſua immaterialitate.

Inst. *Quartò.* Facultas finita profectò eſt limitata, & determinata ad unum quid. Atqui intellectus quantumvis immaterialis, eſt finitus.

Resp. Dist. Maj. Facultas finita, tum intrinſecè tum extrinſecè, C. Finita intrinſecè tantùm, Subdist. eſt limitata quoad modum cognoſcendi finitum, C. Quoad objectum cognoſcendum, N. Hinc intellectus non cognoſcit bonum infinitum niſi modo finito.

Inst. Quintò. Tam facultas intrinſecè finita, eſt limitata ad objectum finitum cognoſcendum, quàm cauſa intrinſecè finita ad effectum finitum producendum.

Resp. Nego Parit. Ratio diſp. eſt quia cauſa debet in ſe præcontinere omnes effectûs perfectiones, ſiquidem ab eâ derivantur. At facultas cognoſcitiva non debet objecti cognoſcendi perfectiones omnes in ſe continere, ſed ſolùm repræſentare.

Inst. Sextò. Atqui pariter facultas cognoſcitiva boni infiniti, debet infinitas in ſe continere perfectiones.

Prob. Subs. Facultas quæ debet efformare idæam infinitam, debet infinitas in ſe continere perfectiones. Atqui facultas cognoſcitiva boni infiniti, debet efformare idæam infinitam; ſiquidem idæa ſpecificatur ab objecto.

Resp. dist. Maj. Quæ debet efformare idæam infinitam entitativè, C. Repræſentativè, N. At quam efformat intellectus noſter Dei Idæam, ea non eſt infinita niſi repræſentativè, quatenus repræſentat objectum infinitum; eo ferè modo quo imago in ſpeculo depicta, eſt vitalis repræſentativè, quatenus repræſentat lineamenta vultus aliàs animati.

Inst. Septimò. Idæa ſpecificatur ab objecto, ſicut relatio à termino; ergo ſi objectum ſit infinitum entitativè, idæa erit infinita entitativè.

Resp. Dist. Ant. Idæa ſpecificatur extrinſecè ab objecto, C. Intrinſecè, N. Sed à modo attingendi, & repræſentandi objectum.

Inst. Octavò. Idæa quæ eſt in eodem gradu immaterialitatis cum objecto infinito entitativè, eſt infinita entitativè. Atqui idæa objecti infiniti debet eſſe in eodem gradu immaterialitatis cum objecto infinito, ſiquidem habitudo utriuſque fundatur in immaterialitate.

Resp. Dist. Maj. Quæ eſt in eodem gradu immaterialitatis ſpecificæ, C. Genericæ, N. Porrò

idæa objecti, & objectum non conveniunt, niſi in gradu generico, neceſſe non eſt ut conveniant in gradu ſpecifico, ut conſtat de viſione & coloribus.

QUÆSTIO QUARTA.

De Beatitudine formali.

I. PROPOSITIO.

Beatitudo formalis conſiſtit ſaltem inadæquatè in cognitione ſeu viſione Dei.

PROBATUR. In eâ hominis operatione conſiſtit ſaltem inadæquatè beatitudo formalis, quæ ſiſtit aliquem hominis motum in Deum; atqui cognitio Dei ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum; nam poſſeſſio Dei tanquam primæ per eſſentiam veritatis, ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum: atqui cognitio Dei fruitiva, eſt ipſa poſſeſſio Dei tanquam primæ per eſſentiam veritatis; cum ſit intima unio hominis cum Deo per viam intellectus: hinc *Ioann.* 17. legimus, *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*; ergo beatitudo formalis conſiſtit ſaltem inadæquatè in cognitione fruitivâ Dei.

OBIECTIO.

Beatitudo formalis eſt poſſeſſio ſummi boni. Atqui cognitio Dei non eſt poſſeſſio ſummi boni.

PROB. MIN. Viſio agri non eſt poſſeſſio agri; ergo cognitio Dei non eſt poſſeſſio Dei ut ſummi boni.

RESP. NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt; quia poſſeſſio agri debet eſſe civilis & juridica, viſio autem agri non ſic eſt: at verò poſſeſſio ſummi boni eſt phyſica, per intimam unionem hominis cum Deo, viſio autem Dei ſic eſt.

INSTABIS. Poſſeſſio ſummi boni phyſica eſt fruitio illius. Atqui viſio Dei non poteſt dici fruitio,

ſummi boni; ſiquidem fruitio eſt actus voluntatis, non intellectûs.

Resp. Dist. Maj. Eſt fruitio latè ſumpta pro intimâ unione facultatis cum objecto præſente, C. Eſt fruitio ſtrictè ſumpta pro actione voluntatis circa bonum ut præſens, N. At viſio Dei eſt fruitio illius, ſicut viſio colorum dicitur fruitio colorum.

Inst. *Secundò*. Actus qui non habet pro objecto Deum ut ſummum bonum, non poteſt dici fruitio ſummi boni, vel latè ſumpta. Atqui viſio ſeu cognitio Dei, non habet pro objecto Deum ut ſummum bonum, ſed ut verum, quia bonitas eſt objectum voluntatis.

Resp. dist. Min. Atqui viſio Dei non habet pro objecto Deum ut ſummum bonum amandum, C. Ut ſummum bonum cognoſcendum, N. At ſummum bonum attingitur non ſolum amore, & inclinatione, ſed etiam repræſentatione.

Inst. *Tertiò*. Actus qui ſe habet in beatitudine, tanquam conditio, ſine quâ non, certè non eſt de ipſâ beatitudinis eſſentiâ: atqui viſio ſeu cognitio, ſe habet in beatitudine, tanquam conditio requiſita, quatenus ſcilicet, ignoti nulla eſt cupido.

Resp. Dist. Maj. Actus qui ſe habet in beatitudine, tanquam conditio ad beatitudinem, C. Tanquam conditio ad amorem, N. Porrò cognitio ſummi boni eſt quidem conditio ad amorem, quia prærequiritur amori; ſed non eſt conditio prærequiſita ad beatitudinem, quia eſt prima beatitudinis pars; ſicut materia eſt conditio ad formam educendam, interim tamen eſt de eſſentiâ totius naturalis.

Inst. *Quartò*. Cognitio eſt conditio requiſita ad amorem: atqui amor eſt beatitudo; ergo eſt conditio requiſita ad beatitudinem.

Resp. Dist. Min. Atqui amor eſt beatitudo partialis, & inadæquata, C. Totalis, & adæquata, N. Quare eſt conditio ad beatitudinem partialem; ſicut materia quæ pars eſt corporis, eſt conditio ad formam ſui compartem.

Inst. *Quintò*. Beatitudo eſt ultima operatio, ſeu quies appetitûs in bono: atqui cognitio Dei non eſt ultima operatio, ſeu quies hominis in Deo; ſiquidem tendit ad ulteriorem actum nempe ad amorem.

Resp. Dist. Maj. Beatitudo totalis & completa, eſt ultima operatio, C. Partialis & inchoata; Subdistinguo, eſt ultima operatio facultatis cujus eſt operatio, C. Eſt ultima operatio cujuſcumque facultatis, N. Sic amor Dei eſt ultima operatio voluntatis circa Deum: Et viſio Dei eſt ultima operatio intellectûs circa ſummum bonum. Similiter viſio Dei eſt quies hominis in Deo, non quies cujuſcumque facultatis ſed intellectûs: ſicut amor eſt quies voluntatis.

Inst. *Sextò* Actus qui non primariò intenditur ab homine, non eſt pars beatitudinis totalis. Atqui cognitio non primò per ſe intenditur à beato.

Prob. Min. Quod eſt primum in executione, eſt poſtremum in intentione. Atqui cognitio Dei eſt primus in executione actus. Ergo eſt ſecundarius in intentione.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt primum in executione, eſt poſtremum in intentione, ſi ſermo ſit de fine & mediis, C. Si ſermo ſit de fine & fine, N. Porrò cognitio & amor in beatitudine, non ſe habent ut medium & finis, ſed ut compartes ejuſdem totius moralis; ſicut materia & forma ſunt compartes totius phyſici, licèt materia ſit prima in executione, forma autem, ſecunda.

Inst *Septimò* Actus præſtantiſſimus eſt in intentione primus. Atqui amor eſt actus præſtantior cognitione.

Prob. Min. Ille actus eſt præſtantior cujus oppoſitum eſt deterius: atqui oppoſitum amoris deterius eſt oppoſito cognitionis; odium enim Dei pejus eſt privatione Dei.

Resp. *Primò* Nego Maj. Nam oppoſitum caſtitatis conjugalis, adulterium, pejus eſt oppoſito caſtitatis virginalis, ſimplici fornicatione, & tamen caſtitas conjugalis non præſtat virginali.

Resp. *Secundò* Dist. Maj. Cæteris aliunde paribus, C. Cæteris imparibus, N. At cognitio videtur præſtare amori, in eo quod trahat ad ſe objectum inſtar manûs, amor autem excurrat in objectum inſtar pedis.

Inst. *Octavò*. Ergo dæmones qui Deum perfectè norunt, erunt beati, beatitudine ſaltem partiali.

Resp. Nego Conſeq. quia dæmones Deum non norunt, ut ſibi liberalem & beneficum, ſed ut vindicem ſcelerum: beatitudo autem conſiſtit in gratâ Dei poſſeſſione, ut liberalis, & benefici.

II. PROPOSITIO.

Beatitudo formalis conſiſtit ſaltem inadæquatè in amore Dei fruitivo.

Probatur. In ea hominis operatione conſiſtit ſaltem inadæquatè beatitudo formalis, quæ ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum; atqui amor Dei fruitivus ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum; nam poſſeſſio Dei tanquam primæ per eſſentiam bonitatis ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum: atqui amor Dei fruitivus eſt ipſa poſſeſſio Dei tanquam primæ per eſſentiam bonitatis, cum ſit intima unio hominis cum Deo per viam voluntatis. Hinc *Math.* 25. legimus: *Intra in gaudium Domini tui*; gaudium autem hoc eſt amor Dei quo beatus complacet ſibi de bonis Dei. Ergo beatitudo formalis conſiſtit ſaltem inadæquatè in amore Dei fruitivo.

OBIECTIO.

Beatitudo formalis eſt vita æterna: atqui vita æterna non conſiſtit in amore, ſed in cognitione, dicente Chriſto, *Ioann.* 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te.

Resp. Dist. Min. Atqui vita æterna totalis & adæquatè ſumpta, non conſiſtit in amore, *C.* Vita æterna inadæquatè ſumpta, *N.* Nam partim in cognitione, partim in amore.

Instabis. Vita æterna inadæquatè ſumpta non conſiſtit in amore, ſi tota noſtra merces ſit viſio Dei: atqui ex S. Aug. Viſio eſt tota noſtra merces.

Resp. Dist. Min. Atqui viſio eſt tota noſtra merces, tota intenſivè, *C.* Tota extenſivè, *N.* hoc eſt per viſionem Deum totum, & ſecundum ſuas

ſuas perfectiones omnes attingimus : at non totaliter quia, iterum poſſumus Deum totum attingere per amorem.

Inst. *Secundò*. Ea operatio non eſt merces noſtra, quæ ſupponit Deum jam poſſeſſum : atqui amor Dei ſupponit Deum jam poſſeſſum, quia ſupponit viſum ; ergo amor non eſt de mercede æternâ.

Resp. Dist. Maj: Quæ ſupponit Deum jam poſſeſſum adæquatè, C. Jam poſſeſſum inadæquatè ſolùm & ex parte intellectus, N. Nam poſſidetur primò viſione, ſecundò amore.

Inst. *Secundò*. Deus aut poſſidetur adæquatè aut nullatenus poſſidetur ; ſiquidem eſt in ſe ſimplex & indiviſibilis : atqui amor ſupponit Deum jam aliquatenùs poſſeſſum ; ergo ſupponit poſſeſſum adæquatè.

Resp. dist. maj. Deus aut poſſidetur adæquatè, aut nullatenus poſſidetur adæquatè ex parte ſui, C. Adæquatè ex parte modi attingendi, N. Nam duplici modo attingi poteſt, viſione, & amore.

Inst. *Quartò*. Operatio quæ abſtrahit à præſentiâ objecti, nullatenus eſt poſſeſſiva Dei : atqui amor abſtrahit à præſentiâ objecti, ſiquidem communis eſt & viatoribus & comprehenſoribus.

Resp. Dist. Min. Atqui amor abſtrahit à præſentiâ objecti, amor in genere, vel deſiderii, C. Amor fruitivus, N. Is enim ſupponit Deum jam intimè præſentem per viſionem.

Inst. *Quintò*. Idem eſt amor viæ & patriæ, deſiderii & fruitivus, ex Theologis : atqui amor viæ ſeu deſiderii non eſt poſſeſſivus Dei, ergo nec amor patriæ.

Resp. Dist. maj. Idem eſt amor viæ & patriæ, idem quoad ſubſtantiam & entitatem, C. Idem quoad modum attingendi objectum, N. Nam in viâ fertur in Deum ut abſentem & obſcurè cognitum per fidem : in patriâ autem fertur in Deum ut præſentem, & clarè cognitum per viſionem intuitivam.

Inst. *Sextò*. Proprietas viſionis fluens à viſione, non eſt eſſentialiter poſſeſſiva Dei ſimul cum viſione : atqui amor patriæ ſeu fruitivus fluit à viſione, eſtque illius proprietas.

Resp. Nego min. Nam non fluit amor à vi-

viſionem velut conditionem prærequiſitam ad amandum.

Inst. *Secundò.* Quod ſequitur poſſeſſionem Dei, ſequitur eſſentiam beatitudinis : atqui gaudium ſequitur poſſeſſionem Dei, quia Deus poſſidetur per viſionem & amorem, quibus beati Deo intimè uniuntur ; ergo gaudium ſequitur eſſentiam beatitudinis.

Resp. Dist. Maj. Quod ſequitur poſſeſſionem Dei fruitivam ſequitur eſſentiam beatitudinis, *C.* Quod ſequitur poſſeſſionem Dei qualemcumque nec fruitivam, *N.* Porrò gaudium ſequitur quidem qualemcumque Dei poſſeſſionem per viſionem & amorem, ſed hæc poſſeſſio non eſt fruitiva, cum non ſit complacentia voluntatis in bono præſenti.

Inst. *Tertiò.* Quies in bono poſſeſſo, non eſt ipſa poſſeſſio boni : atqui gaudium definitur & eſt, quies in bono poſſeſſo ; ergo gaudium non eſt ipſa poſſeſſio ſummi boni.

Resp. Dist. Maj. Quies in bono poſſeſſo, non eſt ipſa poſſeſſio boni, ſi ſit quies in bono poſſeſſo per operationem diſtinctam à quiete, *C.* Si ſit quies in bono poſſeſſo per ipſammet quietem, *N.* Porrò gaudium beatorum eſt quies in bono poſſeſſo per ipſummet gaudium, proindeque eſt & ipſa formalis poſſeſſio ſummi boni.

Inst. *Quartò.* Poſſeſſio Dei debet habere pro objecto, Deum ejuſque perfectiones : atqui gaudium ſeu complacentia beatorum non habet pro objecto Deum, ſed poſſeſſionem Dei ; quia gaudium eſt operatio quâ beati gaudent de poſſeſſione Dei : ergo gaudium non eſt ipſa poſſeſſio Dei.

Resp. Dist. Min. Atqui gaudium non habet pro objecto Deum, ſed poſſeſſionem Dei, gaudium reflexum, *C.* Gaudium directum, *N.* At beatitudo conſiſtit non in gaudio reflexo, quod eſt beatudinis proprietas, ſed in gaudio directo.

Inst. *Quintò.* Gaudium directum eſt amor, ergo ſi beatitudo conſiſtat in gaudio directo, non conſiſtit in operatione diſtinctâ ab amore.

Resp. Dist. Ant. Gaudium directum eſt amor complacentiæ, *C.* Eſt amor benevolentiæ, *N.* Nam primo beatus fertur in Deum per amorem benevolentiæ, deinde ſibi complacet in ſummo bono,

præſenti ; hæc autem complacentia eſt gaudium, & ipſa beatitudinis eſſentia.

Inst. *Sextò.* Si gaudium directum eſſet ipſa beatitudinis eſſentia, beatitudo eſſet incompoſſibilis cum triſtitiâ : atqui tamen Christus Dominus erat ab initio beatus, *& triſtis uſque ad mortem* ; ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Beatitudo eſſet incompoſſibilis cum triſtitiâ de Deo amiſſo, qualis eſt triſtitia damnatorum, *C.* Cum triſtitiâ aliunde ortâ quam de amiſſo Deo, *N.* Porrò Chriſtus erat triſtis, ſed de peccatis hominum ; ſimul & beatus complacentiâ voluntatis in Deo viſo & amato.

IIII PROPOSITIO.

Beatitudo formalis non conſiſtit eſſentialiter in gaudio.

Probatur. Beatitudo formalis non conſiſtit in eâ operatione, quæ ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum : atqui gaudium ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum, & ut primam veritatem per viſionem, & ut primam ſimpliciter bonitatem, per amorem ; ergo gaudium non eſt de eſſentiâ beatitudinis formalis.

OBJECTIO.

Beatitudo formalis eſt merces rependenda beatis : atqui merces rependenda beatis, eſt gaudium ; juxta illud, Matthæi 25. *Intra in gaudium Domini tui* ; ergo beatitudo formalis conſiſtit in gaudio.

Resp. Dist. Min. Atqui merces rependenda beatis eſt gaudium directum, & ab amore indiſtinctum, *C.* Eſt gaudium reflexum, *N.* Nam gaudium hoc eſt beatitudinis proprietas duntaxat.

Instabis. Beatitudo formalis eſt finis ultimus : atqui ſolum gaudium eſt propriè finis ultimus, quia eſt ultima beati operatio circa Deum ; ergo beatitudo formalis eſt ſolum gaudium.

Resp. Dist. Maj. Beatitudo formalis eſt finis ultimus eſſentialis & primarius, *C.* Eſt finis ultimus integralis & ſecundarius, *N.* Porrò gaudium eſt duntaxat finis ultimus accidentalis & ſecundarius, quia ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum per vi-

virtualiter, tum realiter, tum quoad modum cognoſcibilitatis, tum quoad entitatem, *C.* Realiter tantùm & quoad entitatem, *N.* At Dei ſubſtantia indiviſibilis realiter, eſt infinitis modis & participabilis & intelligibilis.

Inst. *Septimò.* Modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi; ergo objectum indiviſibile quoad entitatem, eſt quoque indiviſibile quoad modum cognoſcibilitatis unicum.

Resp. Dist. Ant. Modus cognoſcendi cognoſcentis ſequitur modum eſſendi cognoſcentis, *C.* modus cognoſcendi cognoſcentis ſequitur modum eſſendi rei cognitæ, *N.* Sic modus cognoſcendi intellectui congenitus ſequitur modum eſſendi naturalem intellectui.

Inst. *Octavò.* Punctum Mathematicum non poteſt tangi, quin totum tangatur & totaliter; ergo à pari indiviſibile Metaphyſicum, v. g. Deus, attingi non poteſt quin totum attingatur & totaliter.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt: quia punctum mathematicum (ſi datur) eſt indiviſibile etiam virtualiter, nec diverſas habet realiter facies, ut ſecundum quid tangatur, & non tangatur aliundè: at Deus eſt indiviſibilis non virtualiter, ſed realiter, habet diverſas intelligibilitates, ut uno & altero intelligatur modo.

II. PROPOSITIO.

Deus eſt hominis objectiva beatitudo.

Probatur. Ille ſolus eſt hominis objectiva beatitudo, qui ſolus poteſt omnem hominis, ut homo eſt, appetitum explere. Atqui ſolus Deus poteſt omnem hominis, ut homo eſt, appetitum explere; nam hominis, ut homo eſt à belluarum conditione ſecretus, duplex eſt appetitus, nempe inquiſitio veritatis per intellectum, & deſiderium bonitatis per voluntatem; atqui ſolus Deus poteſt explere utrumque hunc hominis appetitum, quia ſolus eſt prima, ſimpliciter veritas, ſolus eſt prima per eſſentiam bonitas; fons & radix bonorum omnium. Ergo ſolus Deus eſt hominis objectiva beatitudo.

OBJECTIO.

BOnum infinitum non eſt beatitudo hominis. Atqui Deus eſt bonum infinitum.

Resp. nego Maj. Nam beatitudo eſt ſummum bonum, ſummum autem bonum eſt bonum infinitum.

Instabis. Bonum quod non poteſt ab homine poſſideri, non eſt beatitudo hominis. Atqui bonum infinitum non poteſt ab homine poſſideri, quia non poteſt cadere ſub jus & dominium hominis.

Resp. Dist. Maj. Bonum quod non poteſt ab homine poſſideri, poſſeſſione phyſicâ ſeu objectivâ, C. Poſſeſſione civili ſeu juridicâ, N.

Inst. *Secundò*. Quod nullam habet cum facultatibus hominis proportionem non poteſt ab homine poſſideri poſſeſſione phyſicâ atque objectivâ. Atqui bonum infinitum nullam habet cum facultatibus hominis proportionem; quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio.

Resp. Dist. Min. Atqui bonum infinitum nullam habet proportionem entitatis ſpecificam, C. Habitudinis, N. Sicut enim viſum inter & colorem eſt habitudo, ita intellectum inter & intelligibile eſt eſſentialis relatio.

Inst. *Tertiò*. Ideò foret aliqua proportio habitudinis, inter bonum infinitum & hominem, quia, bonum infinitum eſt intelligibile, & homo eſt intellectivus. Atqui hæc ratio nulla eſt.

Prob. Min. Licèt oculus ſit ſenſitivus, & ſonus ſit ſenſibilis, nulla tamen eſt proportio habitudinis oculum inter & ſonum. Ergo licet homo ſit intellectivus, & bonum infinitum ſit intelligibile, nulla tamen eſt proportio habitudinis inter hominem & bonum infinitum.

Resp. nego Conſeq. Et parit. Ratio diſp. eſt, quia oculus eſt facultas materialis, & valdè limitata à ſuo organo ad certum & determinatum objectum, putà ad colores. At intellectus eſt univerſaliſſimus præ ſua immaterialitate.

Inst. *Quartò*. Facultas finita profectò eſt limitata, & determinata ad unum quid. Atqui intellectus quantumvis immaterialis, eſt finitus.

Resp. Dist. Maj. Facultas finita, tum intrinſecè tum extrinſecè, C. Finita intrinſecè tantùm, Subdist. eſt limitata quoad modum cognoſcendi finitum, C. Quoad objectum cognoſcendum, N. Hinc intellectus non cognoſcit bonum infinitum niſi modo finito.

Inst. *Quintò.* Tam facultas intrinſecè finita, eſt limitata ad objectum finitum cognoſcendum, quàm cauſa intrinſecè finita ad effectum finitum producendum.

Resp. Nego Parit. Ratio diſp. eſt quia cauſa debet in ſe præcontinere omnes effectus perfectiones, ſiquidem ab eâ derivantur. At facultas cognoſcitiva non debet objecti cognoſcendi perfectiones omnes in ſe continere, ſed ſolùm repræſentare.

Inst. *Sextò.* Atqui pariter facultas cognoſcitiva boni infiniti, debet infinitas in ſe continere perfectiones.

Prob. Subs. Facultas quæ debet efformare idæam infinitam, debet infinitas in ſe continere perfectiones. Atqui facultas cognoſcitiva boni infiniti, debet efformare idæam infinitam; ſiquidem idæa ſpecificatur ab objecto.

Resp. dist. Maj. Quæ debet efformare idæam infinitam entitativè, C. Repræſentativè, N. At quam efformat intellectus noſter Dei Idæam, ea non eſt infinita niſi repræſentativè, quatenus repræſentat objectum infinitum; eo ferè modo quo imago in ſpeculo depicta, eſt vitalis repræſentativè, quatenus repræſentat lineamenta vultus aliàs animati.

Inst. *Septimò.* Idæa ſpecificatur ab objecto, ſicut relatio à termino; ergo ſi objectum ſit infinitum entitativè, idæa erit infinita entitativè.

Resp. Dist. Ant. Idæa ſpecificatur extrinſecè ab objecto, C. Intrinſecè, N. Sed à modo attingendi, & repræſentandi objectum.

Inst. *Octavò.* Idæa quæ eſt in eodem gradu immaterialitatis cum objecto infinito entitativè, eſt infinita entitativè. Atqui idæa objecti infiniti debet eſſe in eodem gradu immaterialitatis cum objecto infinito, ſiquidem habitudo utriuſque fundatur in immaterialitate.

Resp. Dist. Maj. Quæ eſt in eodem gradu immaterialitatis ſpecificæ, C. Genericæ, N. Porrò

idæa objecti, & objectum non conveniunt, niſi in gradu generico, neceſſe non eſt ut conveniant in gradu ſpecifico, ut conſtat de viſione & coloribus.

QUÆSTIO QUARTA.

De Beatitudine formali.

I. PROPOSITIO.

Beatitudo formalis conſiſtit ſaltem inadæquatè in cognitione ſeu viſione Dei.

PROBATUR. In eâ hominis operatione conſiſtit ſaltem inadæquatè beatitudo formalis, quæ ſiſtit aliquem hominis motum in Deum; atqui cognitio Dei ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum; nam poſſeſſio Dei tanquam primæ per eſſentiam veritatis, ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum: atqui cognitio Dei fruitiva, eſt ipſa poſſeſſio Dei tanquam primæ per eſſentiam veritatis; cum ſit intima unio hominis cum Deo per viam intellectus: hinc *Ioann.* 17. legimus, *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*; ergo beatitudo formalis conſiſtit ſaltem inadæquatè in cognitione fruitivâ Dei.

OBIECTIO.

BEatitudo formalis eſt poſſeſſio ſummi boni. Atqui cognitio Dei non eſt poſſeſſio ſummi boni.

PROB. MIN. Viſio agri non eſt poſſeſſio agri; ergo cognitio Dei non eſt poſſeſſio Dei ut ſummi boni.

RESP. NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt; quia poſſeſſio agri debet eſſe civilis & juridica, viſio autem agri non ſic eſt: at verò poſſeſſio ſummi boni eſt phyſica, per intimam unionem hominis cum Deo, viſio autem Dei ſic eſt.

INSTABIS. Poſſeſſio ſummi boni phyſica eſt fruitio illius. Atqui viſio Dei non poteſt dici fruitio,

ſummi boni; ſi quidem fruitio eſt actus voluntatis, non intellectûs.

Resp. Dist. Maj. Eſt fruitio latè ſumpta pro intimâ unione facultatis cum objecto præſente, C. Eſt fruitio ſtrictè ſumpta pro actione voluntatis circa bonum ut præſens, N. At viſio Dei eſt fruitio illius, ſicut viſio colorum dicitur fruitio colorum.

Inst. *Secundò*. Actus qui non habet pro objecto Deum ut ſummum bonum, non poteſt dici fruitio ſummi boni, vel latè ſumpta. Atqui viſio ſeu cognitio Dei, non habet pro objecto Deum ut ſummum bonum, ſed ut verum, quia bonitas eſt objectum voluntatis.

Resp. dist. Min. Atqui viſio Dei non habet pro objecto Deum ut ſummum bonum amandum, C. Ut ſummum bonum cognoſcendum, N. At ſummum bonum attingitur non ſolum amore, & inclinatione, ſed etiam repræſentatione.

Inst. *Tertiò*. Actus qui ſe habet in beatitudine, tanquam conditio, ſine quâ non, certè non eſt de ipsâ beatitudinis eſſentiâ: atqui viſio ſeu cognitio, ſe habet in beatitudine, tanquam conditio requiſita, quatenus ſcilicet, ignoti nulla eſt cupido.

Resp. Dist. Maj. Actus qui ſe habet in beatitudine, tanquam conditio ad beatitudinem, C. Tanquam conditio ad amorem, N. Porrò cognitio ſummi boni eſt quidem conditio ad amorem, quia prærequiritur amori; ſed non eſt conditio prærequiſita ad beatitudinem, quia eſt prima beatitudinis pars; ſicut materia eſt conditio ad formam educendam, interim tamen eſt de eſſentiâ totius naturalis.

Inst. *Quartò*. Cognitio eſt conditio requiſita ad amorem: atqui amor eſt beatitudo; ergo eſt conditio requiſita ad beatitudinem.

Resp. Dist. Min. Atqui amor eſt beatitudo partialis, & inadæquata, C. Totalis, & adæquata, N. Quare eſt conditio ad beatitudinem partialem; ſicut materia quæ pars eſt corporis, eſt conditio ad formam ſui compartem.

Inst. *Quintò*. Beatitudo eſt ultima operatio, ſeu quies appetitûs in bono: atqui cognitio Dei non eſt ultima operatio, ſeu quies hominis in Deo; ſiquidem tendit ad ulteriorem actum nempe ad amorem.

Resp. dist. Maj. Beatitudo totalis & completa, eſt ultima operatio, C. Partialis & inchoata; Subdistinguo, eſt ultima operatio facultatis cujus eſt operatio, C. Eſt ultima operatio cujuſcumque facultatis, N. Sic amor Dei eſt ultima operatio voluntatis circa Deum: Et viſio Dei eſt ultima operatio intellectûs circa ſummum bonum. Similiter viſio Dei eſt quies hominis in Deo, non quies cujuſcumque facultatis ſed intellectûs: ſicut amor eſt quies voluntatis.

Inst. *Sextò* Actus qui non primariò intenditur ab homine, non eſt pars beatitudinis totalis. Atqui cognitio non primò per ſe intenditur à beato.

Prob. Min. Quod eſt primum in executione, eſt poſtremum in intentione. Atqui cognitio Dei eſt primus in executione actus. Ergo eſt ſecundarius in intentione.

Resp. dist. Maj. Quod eſt primum in executione, eſt poſtremum in intentione, ſi ſermo ſit de fine & mediis, C. Si ſermo ſit de fine & fine, N. Porrò cognitio & amor in beatitudine, non ſe habent ut medium & finis, ſed ut compartes ejuſdem totius moralis; ſicut materia & forma ſunt compartes totius phyſici, licè: materia ſit prima in executione, forma autem, ſecunda.

Inst *Septimò* Actus præſtantiſſimus eſt in intentione primus. Atqui amor eſt actus præſtantior cognitione.

Prob. Min. Ille actus eſt præſtantior cujus oppoſitum eſt deterius: atqui oppoſitum amoris deterius eſt oppoſito cognitionis; odium enim Dei pejus eſt privatione Dei.

Resp. *Primò* Nego Maj. Nam oppoſitum caſtitatis conjugalis, adulterium, pejus eſt oppoſito caſtitatis virginalis, ſimplici fornicatione, & tamen caſtitas conjugalis non præſtat virginali.

Resp. *Secundò* Dist. Maj. Cæteris aliunde paribus, C. Cæteris imparibus, N. At cognitio videtur præſtare amori, in eo quod trahat ad ſe objectum inſtar manûs, amor autem excurrat in objectum inſtar pedis.

Inst. *Octavò.* Ergo dæmones qui Deum perfectè norunt, erunt beati, beatitudine ſaltem partiali.

Resp. nego Conſeq. quia dæmones Deum non norunt, ut ſibi liberalem & beneficum, ſed ut vindicem ſcelerum: beatitudo autem conſiſtit in gratâ Dei poſſeſſione, ut liberalis, & benefici.

II. PROPOSITIO.

Beatitudo formalis conſiſtit ſaltem inadæquatè in amore Dei fruitivo.

Probatur. In ea hominis operatione conſiſtit ſaltem inadæquatè beatitudo formalis, quæ ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum; atqui amor Dei fruitivus ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum; nam poſſeſſio Dei tanquam primæ per eſſentiam bonitatis ſiſtit aliquem hominis motum in Deum poſſidendum: atqui amor Dei fruitivus eſt ipſa poſſeſſio Dei tanquam primæ per eſſentiam bonitatis, cum ſit intima unio hominis cum Deo per viam voluntatis. Hinc *Math.* 25. legimus: *Intra in gaudium Domini tui*; gaudium autem hoc eſt amor Dei quo beatus complacet ſibi de bonis Dei. Ergò beatitudo formalis conſiſtit ſaltem inadæquatè in amore Dei fruitivo.

OBJECTIO.

Beatitudo formalis eſt vita æterna: atqui vita æterna non conſiſtit in amore, ſed in cognitione, dicente Chriſto, *Joann.* 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te.

Resp. Dist. Min. Atqui vita æterna totalis & adæquatè ſumpta, non conſiſtit in amore, *C.* Vita æterna inadæquatè ſumpta, *N.* Nam partim in cognitione, partim in amore.

Instabis. Vita æterna inadæquatè ſumpta non conſiſtit in amore, ſi tota noſtra merces ſit viſio Dei: atqui ex S. Aug. Viſio eſt tota noſtra merces.

Resp. Dist. Min. Atqui viſio eſt tota noſtra merces, tota intenſivè, *C.* Tota extenſivè, *N.* hoc eſt per viſionem Deum totum, & ſecundùm

ſuas

ſuas perfectiones omnes attingimus : at non totaliter quia , iterum poſſumus Deum totum attingere per amorem.

Inst. *Secundò*. Ea operatio non eſt merces noſtra , quæ ſupponit Deum jam poſſeſſum : atqui amor Dei ſupponit Deum jam poſſeſſum , quia ſupponit viſum ; ergo amor non eſt de mercede æternâ.

Resp. Dist. Maj: Quæ ſupponit Deum jam poſſeſſum adæquatè , *C*. Jam poſſeſſum inadæquatè ſolùm & ex parte intellectus, *N*. Nam poſſidetur primò viſione, ſecundò amore.

Inst. *Secundò*. Deus aut poſſidetur adæquatè aut nullatenus poſſidetur ; ſiquidem eſt in ſe ſimplex & indiviſibilis : atqui amor ſupponit Deum jam aliquatenùs poſſeſſum ; ergo ſupponit poſſeſſum adæquatè.

Resp. dist. maj. Deus aut poſſidetur adæquatè, aut nullatenus poſſidetur adæquatè ex parte ſui, *C*. Adæquatè ex parte modi attingendi, *N*. Nam duplici modo attingi poteſt, viſione, & amore.

Inst. *Quartò*. Operatio quæ abſtrahit à præſentiâ objecti , nullatenus eſt poſſeſſiva Dei : atqui amor abſtrahit à præſentiâ objecti, ſiquidem communis eſt & viatoribus & comprehenſoribus.

Resp. Dist. Min. Atqui amor abſtrahit à præſentiâ objecti, amor in genere , vel deſiderii, *C*. Amor fruitivus, *N*. Is enim ſupponit Deum jam intimè præſentem per viſionem.

Inst. *Quintò*. Idem eſt amor viæ & patriæ, deſiderii & fruitivus , ex Theologis : atqui amor viæ ſeu deſiderii non eſt poſſeſſivus Dei , ergo nec amor patriæ.

Resp. Dist. maj. Idem eſt amor viæ & patriæ, idem quoad ſubſtantiam & entitatem, *C*. Idem quoad modum attingendi objectum, *N*. Nam in viâ fertur in Deum ut abſentem & obſcurè cognitum per fidem : in patriâ autem fertur in Deum ut præſentem , & clarè cognitum per viſionem intuitivam.

Inst. *Sextò*. Proprietas viſionis fluens à viſione , non eſt eſſentialiter poſſeſſiva Dei ſimul cum viſione : atqui amor patriæ ſeu fruitivus fluit à viſione, eſtque illius proprietas.

Resp. Nego min. Nam non fluit amor à vi-

ſione ; primò quia non producitur à viſione, phyſicâ emanatione ; ſecundo, quia non reſidet in eâdem cum viſione facultate.

Inst. *Septimò*. Quod ſequitur neceſſariò viſionem, & eâ poſitâ, ſtatim ponitur, fluit à viſione : atqui amor fruitivus neceſſariò ſequitur viſionem, & eâ poſitâ, ſtatim ponitur.

Resp. Dist. Maj. Et eâ poſitâ tanquam eſſentiâ, *C*. Tanquam conditione requiſitâ, *N*. Porro poſitâ quidem viſione tanquam conditione prærequiſitâ, ponitur amor, ferè ſicut poſitâ approximatione ligni ad ignem, ponitur ignis.

Inst. *Octavò*. Atqui amor ſequitur viſionem eâ ratione ut non ſit ejus compars in beatitudine.

Prob. Subs. Quod non eſt quid primum in beatitudine, non eſt de beatitudinis eſſentiâ : atqui amor non eſt quid primum in beatitudine, ſiquidem ſupponit aliquid ſe prius, puta viſionem.

Resp. dist. maj. Quod non eſt quid primum in beatitudine, comparatè ad totam beatitudinis eſſentiam, *C*. Comparatè ad compartem ſuam, *N*. Porrò amor eſt quid primum in beatitudine comparatè ad totam beatitudinis eſſentiam : ſicut forma ſubſtantialis eſt quid primum in corpore, comparatè ad totum compoſitum, etſi non ſit, comparatè ad materiam ſui compartem.

Inst. *Nonò*. Pars eſſentialis beatitudinis debet eſſe quies in Deo : atqui amor fruitivus non eſt quies in Deo.

Prob. min. Motus in Deum non eſt quies in Deo, amor Dei etiam fruitivus eſt motus in Deum.

Resp. dist. maj. Motus in Deum ut abſentem, *C*. Motus in Deum ut præſentem, *N*. Porro amor fruitivus eſt motus in Deum ut præſentem per viſionem.

Inst. *Decimò*. Nullus eſt motus in rem præſentem, ſic lapis non movetur ad centrum præſens ; ergò amor fruitivus non poteſt eſſe motus in Deum præſentem.

Resp. dist. ant. Nullus eſt motus in rem præſentem, motus phyſicus & propriè dictus, *C*. Motus metaphoricus, *N*. At amor fruitivus eſt motus metaphoricus, ideſt inclinatio perfecta voluntatis in Deum.

Inst. *Vndecimò.* Per amorem beatus non poſſidet, ſed potius poſſidetur.

Resp. Dist. Non poſſidet effectivè, *C.* Affectivè, *N.*

III. PROPOSITIO.

Beatitudo formalis conſiſtit eſſentialiter in ſolo gaudio.

Probatur. Beatitudo formalis eſt quies in ſummo bono: atqui ſolum gaudium eſt quies in ſummo bono; quia gaudium eſt ultima operatio beatorum circa Deum; terminus omnium motuum. Ergo beatitudo formalis conſiſtit eſſentialiter in ſolo gaudio.

OBJECTIO.

Eſſentia rei alicujus debet eſſe quid primum in illâ: atqui gaudium non eſt quid primum in beatitudine, cùm ſit ultima operatio beati. Ergo gaudium non eſt beatitudinis formalis eſſentia.

Resp. dist. Maj. Eſſentia rei alicujus debet eſſe quid primum in illâ, quid primum tanquam ratio formalis conſtitutiva, *C.* Quid primum tanquam conditio prærequiſita, N. Porrò gaudium non eſt quid primum in beatitudine, ſi habeatur ratio conditionum prærequiſitarum; at eſt quid primum tanquam ratio eſſentialis conſtitutiva.

Instabis. Quod in beatitudine fluit ab alio priori ſe, non eſt quid primum in beatitudine: atqui gaudium fluit ab alio ſe priori, nimirum à viſione & amore ex quibus ſequitur; ergo gaudium non eſt quid primum in beatitudine tanquam ratio formalis conſtitutiva.

Resp. Dist. Maj. Quod in beatitudine fluit ab alio priori, quod ſit eſſentia beatitudinis, *C.* Ab alio priori, quod non ſit eſſentia beatitudinis, *N.* At gaudium ſequitur quidem viſionem & amorem, ſicut conditiones prærequiſitas ad beatitudinem; ſed non tanquam beatitudinem ipſam; ſicut amor ſequitur

viſionem velut conditionem prærequiſitam ad amandum.

Inst. *Secundò*. Quod ſequitur poſſeſſionem Dei, ſequitur eſſentiam beatitudinis : atqui gaudium ſequitur poſſeſſionem Dei, quia Deus poſſidetur per viſionem & amorem, quibus beati Deo intimè uniuntur ; ergo gaudium ſequitur eſſentiam beatitudinis.

Resp. Dist. Maj. Quod ſequitur poſſeſſionem Dei fruitivam ſequitur eſſentiam beatitudinis, *C.* Quod ſequitur poſſeſſionem Dei qualemcumque nec fruitivam, *N.* Porrò gaudium ſequitur quidem qualemcumque Dei poſſeſſionem per viſionem & amorem, ſed hæc poſſeſſio non eſt fruitiva, cum non ſit complacentia voluntatis in bono præſenti.

Inst. *Tertiò*. Quies in bono poſſeſſo, non eſt ipſa poſſeſſio boni : atqui gaudium definitur & eſt, quies in bono poſſeſſo ; ergo gaudium non eſt ipſa poſſeſſio ſummi boni.

Resp. Dist. Maj. Quies in bono poſſeſſo, non eſt ipſa poſſeſſio boni, ſi ſit quies in bono poſſeſſo per operationem diſtinctam à quiete, *C.* Si ſit quies in bono poſſeſſo per ipſammet quietem, *N.* Porrò gaudium beatorum eſt quies in bono poſſeſſo per ipſummet gaudium, proindeque eſt & ipſa formalis poſſeſſio ſummi boni.

Inst. *Quartò*. Poſſeſſio Dei debet habere pro objecto, Deum ejuſque perfectiones : atqui gaudium ſeu complacentia beatorum non habet pro objecto Deum, ſed poſſeſſionem Dei ; quia gaudium eſt operatio quâ beati gaudent de poſſeſſione Dei : ergo gaudium non eſt ipſa poſſeſſio Dei.

Resp. Dist. Min. Atqui gaudium non habet pro objecto Deum, ſed poſſeſſionem Dei, gaudium reflexum, *C.* Gaudium directum, *N.* At beatitudo conſiſtit non in gaudio reflexo, quod eſt beatitudinis proprietas, ſed in gaudio directo.

Inst. *Quintò.* Gaudium directum eſt amor, ergo ſi beatitudo conſiſtat in gaudio directo, non conſiſtit in operatione diſtinctâ ab amore.

Resp. Dist. ant. Gaudium directum eſt amor complacentiæ, *C.* Eſt amor benevolentiæ, *N.* Nam primo beatus fertur in Deum per amorem benevolentiæ, deinde ſibi complacet in ſummo bono,

præſenti ; hæc autem complacentia eſt gaudium, & ipſa beatitudinis eſſentia.

INST. *Sextò*. Si gaudium directum eſſet ipſa beatitudinis eſſentia, beatitudo eſſet incompoſſibilis cum triſtitiâ : atqui tamen Chriſtus Dominus erat ab initio beatus, *& triſtis uſque ad mortem*; ergo &c.

RESP. DIST. MAj. Beatitudo eſſet incompoſſibilis cum triſtitiâ de Deo amiſſo, qualis eſt triſtitia damnatorum, C. Cum triſtitiâ aliunde ortâ quam de amiſſo Deo, N. Porrò Chriſtus erat triſtis, ſed de peccatis hominum ; ſimul & beatus complacentiâ voluntatis in Deo viſo & amato.

IIII PROPOSITIO.

Beatitudo formalis non conſiſtit eſſentialiter in gaudio.

PROBATUR. Beatitudo formalis non conſiſtit in eâ operatione, quæ ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum : atqui gaudium ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum, & ut primam veritatem per viſionem, & ut primam ſimpliciter bonitatem, per amorem ; ergo gaudium non eſt de eſſentiâ beatitudinis formalis.

OBIECTIO.

Beatitudo formalis eſt merces rependenda beatis : atqui merces rependenda beatis, eſt gaudium ; juxta illud, Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui* ; ergo beatitudo formalis conſiſtit in gaudio.

RESP. DIST. MIN. Atqui merces rependenda beatis eſt gaudium directum, & ab amore indiſtinctum, C. Eſt gaudium reflexum, N. Nam gaudium hoc eſt beatitudinis proprietas duntaxat.

INSTABIS. Beatitudo formalis eſt finis ultimus : atqui ſolum gaudium eſt propriè finis ultimus, quia eſt ultima beati operatio circa Deum ; ergo beatitudo formalis eſt ſolum gaudium.

RESP. DIST. MAj. Beatitudo formalis eſt finis ultimus eſſentialis & primarius, C. Eſt finis ultimus integralis & ſecundarius, N. Porrò gaudium eſt duntaxat finis ultimus accidentalis & ſecundarius, quia ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum per vi-

ſionem & amorem.

Inst. *Secundò.* Finis ultimus eſſentialis & primarius eſt quies in ſummo bono: atqui ſolum gaudium eſt quies in ſummo bono; ergo ſolum gaudium eſt finis ultimus eſſentialis & primarius.

Resp. Dist. Maj. Finis ultimus eſſentialis eſt quies in ſummo bono, quies eſſentialis quæ ſit intima unio beati cum ſummo bono, *C.* Quies accidentalis, quæ ſupponat unionem cum ſummo bono, *N.* Porrò gaudium in beatis eſt quies ſolummodò accidentalis, ſupponens unionem perfectam beati cum ſummo bono, per viſionem & amorem.

Inst. *Tertiò.* Quies in ſummo bono eſſentialis debet eſſe operatio, quæ ſiſtat omnem motum: atqui ſolum gaudium eſt ejuſmodi, cum ſit ultima operatio; ergo ſolum gaudium eſt quies eſſentialis in ſummo bono.

Resp. dist. Maj. Quies in ſummo bono debet eſſe operatio, quæ ſiſtat omnem motum, inſtar poſſeſſionis ſummi boni, *C.* Inſtar proprietatis ex poſſeſſione fluentis, *N.* Porrò gaudium non tam eſt poſſeſſio ſummi bonni, quam proprietas fluens à poſſeſſione Dei, cùm ſupponat Deum jam adæquatè poſſeſſum, & ut verum, & ut bonum.

Inst. *Quartò.* Atqui viſio & amor quæ præcedunt gaudium non ſunt poſſeſſio Dei; ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Poſſeſſio Dei ſiſtit omnem motum in beatis: atqui viſio & amor non ſiſtunt omnem motum in beatis, quia ulterius exurgit gaudium; ergo viſio & amor non ſunt poſſeſſio Dei.

Resp. Dist. Maj. Poſſeſſio Dei ſiſtit omnem motum in beatis, motum in beatitudinem, *C.* Motum in proprietatem & appendicem beatitudinis, *N.* Porro gaudium eſt appendix & proprietas beatitudinis: viſio autem & amor non ſiſtunt quidem omnem motum qui tendat in proprietates beatitudinis, quale eſt gaudium, ſed ſiſtunt omnem motum in ipſam beatitudinem.

Inst. *Quintò.* Illa operatio eſt ipſa beatitudo eſſentialis, quæ propter ſe appetitur, & propter quam cætera appetuntur: atqui gaudium propter ſe appetitur, & propter ipſum cætera; juxta illud *ſecundùm quod unumquodque nos amplius delectat, ſecundùm*

Illud operemur neceſſe eſt; ergo gaudium eſt ipſa beatitudo.

RESP. DIST. MAJ. Quæ propter ſe appetitur tanquam eſſentia beatitudinis, *C*. Tanquam appendix & proprietas beatitudinis, *N* Porrò, ſi cætera appetuntur propter gaudium; appetuntur tanquam propter appendicem beatitudinis, ferè ſicut rationalitas appetitur propter capacitatem ſcientiæ & virtutis, cujus eſt fons & radix.

INST. *Sextò*. Poſito gaudio, cæteris per mentem ſublatis, adhuc quis foret beatus: ſublato autem gaudio, cæteris interim poſitis, non foret beatus; ergo beatitudo magis præcipuè conſiſtit in gaudio.

RESP. NEGO Primam partem ſuppoſitionis: nihil enim, abſurdum magis, quam ſupponere quempiam gaudère poſſe, ſublatis quibuſcumque bonis; ſiquidem gaudium ſupponit neceſſariò poſſeſſionem boni.

RESP. *Secundò*. DIST. Secundam partem antecedentis, ſublato gaudio, non foret quis beatus, beatitudine integrali, *C*. Eſſentiali, *N*. Nam ſublato gaudio adhuc intimè uniretur Deo, & per intellectum videndo & per voluntatem amando.

QUÆSTIO QUINTA.

De poſſibilitate Statûs naturæ puræ.

Status naturæ puræ ſpectatur dupliciter: primò quoad viam, quatenùs includeret concupiſcentiam, ignorantiam, & alias infirmitates: ſecundò quoad terminum, quatenùs in eo ſtatu ordinaretur homo ad beatitudinem purè naturalem, atque omni dono ſupernaturali ſpoliaretur.

PROPOSITIO.

Status naturæ puræ eſt valdè poſſibilis ex omni parte.

PROBATUR. Ille ſtatus eſt poſſibilis ex omni parte, qui neque repugnat ex parte ſui, neque ex par-

te Dei, neque tandem ex parte hominis. Atqui ſtatus naturæ puræ eſt hujuſmodi.

Et primò quidem non repugnat ex parte ſui Nam ille ſtatus non repugnat ex parte ſui, cujus attributa non ſe ſe deſtruunt; atqui attributa ſtatûs naturæ puræ non ſe ſe deſtruunt; nam attributa ſtatûs naturæ puræ, ſunt quædam perfectiones naturales cum quibuſdam defectibus naturalibus; atqui ſunt valdè compoſſibiles illæ perfectiones naturales cum quibuſdam defectibus naturalibus; v g. ſagacitas mentis cum ignorantiâ vincibili, libertas voluntatis cum concupiſcentiâ; ergo attributa ſtatûs naturæ puræ non ſe ſe deſtruunt, proindéque non repugnat ex parte ſui.

Deinde non repugnat ex parte Dei: nam ille ſtatus non repugnat ex parte Dei, qui neque adverſatur divinæ bonitati, nec ſapientiæ, nec juſtitiæ, nec aliis Dei attributis Atqui ſtatus naturæ puræ eſt hujuſmodi; nam ille ſtatus nulli attributo Dei adverſatur, in quo Deus nihil denegaret homini debitum; atqui in ſtatu naturæ puræ Deus nihil denegaret homini debitum; naturales & debitas perfectiones concederet, ſagacitatem mentis ad ſcientias comparandas, libertatem voluntatis ad virtutes exercendas; imò & proponeret felicitatem viribus naturæ proportionatam. Ergo ſtatus naturæ puræ non repugnat ex parte Dei.

Denique non repugnat ex parte hominis. Nam ille ſtatus non repugnat ex parte hominis, in quo qui conderetur homo, nullo careret ex iis quæ ſibi naturaliter debentur; atqui in ſtatu naturæ puræ, qui conderetur homo, nullo careret ex iis quæ ſibi naturaliter debentur; careret quidem donis ſupernaturalibus, ſicut & ſpe viſionis Dei intuitivæ; ſed iſta dona ſunt homini naturaliter indebita; juxtà illud Apoſtoli ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.*

OBJECTIO I.

Ille ſtatus eſt impoſſibilis qui repugnat divinæ bonitati: atqui ſtatus naturæ puræ eſt hujuſmodi.

PROB. MIN. Ille ſtatus repugnat divinæ bonitati, in quo Deus affligeret innocentes. Atqui in ſta-

tu naturæ puræ Deus affligeret innocentes malis propè infinitis.

Resp. Dist. Maj. In quo Deus affligeret innocentes malis pœnalibus, *C.* Malis naturalibus, *N.* At quæ forent in ſtatu naturæ puræ mala, ea forent naturalia, non pœnalia.

Instabis. Deus affligeret innocentes ignorantiâ & concupiſcentiâ: atqui hæc ſunt mala pœnalia.

Prob. Min. Ea mala ſunt pœnalia, quæ ſunt totidem pœnæ peccati Originalis: atqui ignorantia, & concupiſcentia ſunt pœnæ peccati Originalis.

Resp. dist. Min. Atqui ignorantia & concupiſcentia ſunt pœnæ peccati Originalis, per accidens, & in nobis, *C.* Sunt pœnæ peccati per ſe: & abſolutè, *N.* Quia ſunt defectus naturales, humanitatis appendices.

Inst. *Secundò. De concupiſcentiâ.* Sic. Ea ſunt per ſe mala, quæ prohibentur à lege divinâ: atqui concupiſcentia prohibetur à lege divinâ; *Non concupiſces.*

Resp. Dist. Min. Atqui concupiſcentia prohibetur à lege divinâ, quoad conſenſum quando trahit ad illicita, *C.* Prohibetur quoad ſenſum, *N.* Nam eſt in nobis ſine nobis ſenſus concupiſcentiæ.

Inst. *Tertiò.* Peccatum prohibetur à lege divinâ: atqui concupiſcentia eſt peccatum, ex Apoſt. ad Rom. 7.

Resp. Dist. Maj. Peccatum in ſenſu formali acceptum, *C.* In ſenſu cauſali, *N.* Porrò concupiſcentia dicitur ab Apoſtolo peccatum, non formaliter, alioqui non remaneret poſt Baptiſmum: ſed cauſaliter, quatenùs eſt in nobis effectus peccati, & ſæpè inclinat ad peccatum, ut etiam declarant Patres Concilij Tridentini ſeſſ. quintâ, Can. 5.

Inst. *Quartò.* Inordinatio contra rectam rationem, eſt peccatum formaliter: atqui concupiſcentia etiam quoad ſenſum, eſt quædam inordinatio partis inferioris contra rectam rationem.

Resp. Dist. Maj. Inordinatio formaliter voluntaria, *C.* Inordinatio inchoata, materialis, & prorsùs involuntaria, *N.* Porrò ſenſus concupiſcentiæ eſt quædam deordinatio: ſed prorsùs involuntaria: ſiquidem eſt in nobis ſine nobis, ante omnem

noſtræ voluntatis conſenſum.

Inst. *Quintò*. Illud eſt per ſe malum & formaliter; quod niſi eſſet à peccato, eſſet à malo Deo ad ſenſum Manichæorum: atqui concupiſcentia niſi eſſet à peccato, eſſet à malo Deo, ex Aug. contrà Pelagianos.

Resp. Dist. Min. Ex Aug. diſputante contrà Pelagianos argumento ad hominem, *C*. Ex Aug. abſolutè, & nullâ facti hypotheſi, N. Porrò eo loci arguit Auguſt. efficaciter contrà Pelagianos, ſuppoſitis Pelagianorum principiis, hoc ferè pacto: Vel concupiſcentia quam experimur, venit à peccato Originali, vel à bono Deo, vel à naturâ, vel à malo Deo. Sed non venit à bono Deo, vel à naturâ, ſiquidem nulla fuit in Adamo concupiſcentia: ejuſque natura erat integra: Ergo vel venit à peccato, vel à malo Deo. At non loquitur abſolutè Auguſt. alioqui non diceret in Libris Retract. *Tametſi concupiſcentia & ignorantia eſſent primordia naturalia, adhuc vincerentur Manichæi.*

Inst. *Sextò*. Vel concupiſcentia eſt per ſe mala, vel eſt defectus aliquis naturalis: atqui non ſic eſt.

Prob. Min. Licitum eſt conſentire defectibus naturalibus, v. g. morbis: atqui licitum non eſt conſentire concupiſcentiæ. Ergo non eſt defectus naturalis.

Resp. Dist. Maj. Licitum eſt conſentire defectibus naturalibus qui ſunt materia patientiæ, *C*. Qui ſunt materia intemperantiæ, *N*. At concupiſcentia eſt materies intemperantiæ.

Inst. *Septimò*. Defectus naturalis poteſt eſſe à naturâ: atqui concupiſcentia non poteſt eſſe à naturâ.

Resp. Nego Min. Nam fundatur in animalitate noſtrâ, quæ de naturâ ſuâ proſequitur bonum ſenſibile; fit autem ut in nobis proſequatur illud contrà dictamen rationis.

Inst. *Octavò*. Quod eſt contrà naturam non poteſt eſſe a naturâ: atqui concupiſcentia eſt contrà naturam humanam. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.*

Resp. Dist. Min. Atqui concupiſcentia eſt contrà naturam, ut rationalem, *esto*; ut ſentien-

tem, N. Quare non eſt à naturâ ut rationali, benè autem ut ſentiente; fundatur enim in animalitate.

Inst. *Nonò* Quod ſollicitat nos ad malum, non poteſt eſſe nobis à naturâ inditum: atqui concupiſcentia ſollicitat nos ad malum.

Resp. Dist. Maj. Quod ſollicitat invinciſbiliter ad malum per ſe & ex parte ſui, *C.* Quod ſollicitat vincibiliter ad malum per accidens & ratione ſubjecti, N. At concupiſcentiæ motus non ſunt per ſe mali, ſed per accidens quatenùs ſunt in homine; alioquin locum non haberent in belluis.

Inst. *Decimò*. In ſtatu naturæ puræ nulla eſſet gratia ad vincendos concupiſcentiæ motus: ergo eſſent invincibiles.

Resp. Dist. Conſeq. Ergo eſſent invincibiles ex motivo honeſtatis ſupernaturalis & chriſtianæ, *C.* ex motivo honeſtatis puræ moralis & naturalis, *N.*

Instabis. *De ignorantiâ.* Homo innocens non debet privari perfectione ſibi naturaliter debitâ: atqui per ignorantiam privaretur debitâ ſibi ſcientiâ.

Prob. min. Summa hominis perfectio naturalis, eſt homini debita: atqui ſcientia rerum naturalium eſt ſumma & naturalis perfectio hominis.

Resp. Dist. Min. Atqui ſcientia ut acquirenda ſucceſſu temporis, *C.* Ut infuſa à primo momento creationis, *N.*

Inst. Iterùm: Intellectus ſine ſcientiâ actuali eſt imperfectus. Ergo ſcientia eſt illi debita.

Resp. Dist. Ant. Eſt imperfectus negativè, *C.* Privativè, Subdistinguo: ſine ſcientiâ quoad capacitatem, *C.* Quoad actum, *N.*

Inst. Tandem. Opus Dei immediatum debet eſſe perfectum in ordine ſuo. Ergo & in ſtatu naturæ puræ.

Resp. Dist. Debet ex quâdam decentiâ, *C.* Ex neceſſitate abſolutâ, *N.*

OBIECTIO II.

ILle ſtatus repugnat divinæ juſtitiæ, in quo non poſſet homo conſequi finem ſimpliciter ultimum, ſeu beatitudinem: atqui in ſtatu naturæ puræ, homo non poſſet conſequi finem ultimum, quia non poſſet videre Deum.

Resp. Dist. Min. Atqui in ſtatu naturæ puræ homo non poſſet conſequi finem ultimum ſupernaturalem, & abſolutè indebitum, C. Naturalem, & ſibi debitum, N. Nam poſſet Deo abſtractivè cognito uniri per amorem naturalem.

Intabis. Homo in ſtatu naturæ puræ non poſſet conſequi viſionem Dei intuitivam: atqui viſio illa eſt finis homini naturalis.

Prob. Min. Finis ille eſt homini naturalis, qui patrimonium eſt hominis, & à quo excludi non poteſt ſine injuſtitiâ. Atqui viſio Dei intuitiva eſt hujuſmodi ex Aug. contra Julian. Pelag. *Imago Dei in nullo inimica Dei excluditur à patrimonio ſuo: injuſtum Deum facis.*

Resp. Dist. Min. Atqui viſio Dei intuitiva non poteſt homini ſine injuſtitiâ denegari, hypotheticè & juxtà principia Pelagianorum, C. Non poteſt denegari abſolutè, N. Scilicet aſſerebat Julianus infantes eſſe natos ad regnum Cælorum, à quo tamen excludebantur ſine ullo præcedente peccato Originali, morientes ſine Baptiſmo. Hoc ſenſu ait Auguſt. regnum Cælorum eſſe patrimonium hominum, nunc ſcilicet, & in noſtro ſtatu, ex ſingulari Dei munificentiâ.

Inst. *Secundò.* Ea beatitudo eſt homini naturalis abſolutè, quam homo naturaliter appetit. Atqui homo naturaliter appetit viſionem Dei intuitivam.

Prob. Min. Homo naturaliter appetit cognoſcere quidquid continetur intrà limites facultatis intellectivæ; atqui Deus intuitivè videndus, ſic continetur, ſiquidem eſt de genere intelligibilium.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus intuitivè videndus continetur intrà limites facultatis intellecti-

væ,

væ, per gratiam elevatæ ad ſtatum ſupernaturalem, *C.* Intrà limites facultatis ſibi relictæ, & in puris naturalibus, *N.*

Inst. *Tertiò* Non poſſet intellectus elevari per Dei gratiam ad intuitum Dei, niſi de ſe haberet proportionem aliquam: atqui proportio illa eſt quidam appetitus, ſeu natura quatenùs apta ad intuitum Dei.

Resp. Dist. Maj. Niſi haberet proportionem aliquam inchoatam & valdè remotam, *C.* Perfectam & proximam, *N.* Habet quidem proportionem & appetitum valdè remotum fundatum in immaterialitate ſuâ; at non habet perfectum, quia natura non dat appetitum perfectum, niſi ad id quod penès nos eſt naturaliter obtinere.

Inst. *Quartò* Qui naturaliter videt aliquem effectum egregium, naturaliter deſiderat videre cauſam: atqui naturaliter homo videt effectus Dei mirabiles. Ergo appetit perfectè videre Deum.

Resp. Dist. Maj. Naturaliter appetit videre cauſam, quando cauſa & effectus ſunt ejuſdem ordinis, *C.* Secùs, *N.*

Inst. *Quintò.* Vel homo naturaliter appetit Deum intueri; vel contentus eſſe poteſt cognitione Dei abſtractivâ, atqui hac contentus eſſe non poteſt.

Prob. Homo beatus contentus eſſe nequit eâ Dei cognitione, quæ communis eſt beatis & damnatis, probis & improbis: atqui cognitio Dei abſtractiva eſt hujuſmodi.

Resp. Dist. Min. Atqui cognitio Dei abſtractiva eſt communis beatis & damnatis, probis & improbis; cognitio generica, *C.* Specifica & determinata, *N.* Nam in illo ſtatu naturæ puræ beati noſſent Deum ut ſibi beneficum & remuneratorem. At damnati noſſent ut vindicem & iratum.

Inst. *Sextò.* Implicat beatum nihil beatitudinis experiri in patriâ, quod non expertus ſit in viâ. Atqui id contingeret in ſtatu naturæ puræ.

Prob. Min. Quam haberet in patriâ ea non eſſet niſi abſtractiva Dei notitia, ſicut & in viâ foret.

Resp. Dist. In patriâ non eſſet niſi abſtractiva, ſed multò perfectior conjuncta cum amore

naturali inamiſſibili, *C.* Non eſſet niſi abſtractiva & aliundè par, N. Nam Deus perfectiori modo ſe ſe daret beatis cognoſcendum, per creaturas perfectiores.

Inst. *Septimò.* Beatitudo non debet beatum relinquere anxium & irrequietum: atqui cognitio Dei abſtractiva, tametſi perfectior, adhuc relinqueret hominem anxium & irrequietum.

Prob. Min. Appetitus univerſaliſſimus tandi eſt irrequietus, quandiu non unitur ſummo bono habétque aliquid iterum appetendum: atqui poſtâ cognitione abſtractivâ res ità eſt.

Resp. Dist. Maj. Quandiu non unitur modo naturæ ſuæ proportionato, *C.* Modo naturæ vires excedente, *N.*

Inst. *Octavò.* Cognito Deo abſtractivè, ſupereſt optanda Dei viſio intuitiva.

Resp. Dist. Supereſt optanda ex Dei gratiâ elevante, *C.* Optanda ex viribus naturæ, N.

QUÆSTIO SEXTA.

De Exiſtentiâ libertatis moralis.

PROPOSITIO.

Datur in Homine etiam lapſo libertas moralis.

Probatur. In eo datur Libertas moralis; in quo datur facultas ſuorum actuum domina, ſuique ipſius determinativa; atqui datur in homine etiam lapſo facultas ſuorum actuum domina, ſuique ipſius determinativa; nam in eo datur facultas ſuorum actuum domina ſuique ipſius determinativa, in quo datur facultas indifferens ad omnia bona particularia eligenda, vel non eligenda; atqui datur in homine etiam lapſo facultas indifferens ad omnia bona particularia; ſunt enim facultates hominis, ut homo eſt, univerſaliſſimæ, & nulli bono particulari aſtrictæ, utpotè ſpiritales, atque adeò illimita-

tæ; ergo datur in homine etiam lapſo facultas ſuorum actuum domina, ſuique ipſius determinativa, proindéque datur in homine etiam lapſo libertas moralis. Hinc Eccleſiaſtici Cap. 31. laudatur Vir juſtus, *qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Laus iſta ſupponit meritum, meritum ſupponit libertatem.

OBJECTIO I.

ILle non eſt liber qui non habet in ſuâ poteſtate vias ſuas: atqui homo non habet jam in poteſtate vias ſuas, ex Scripturâ.

Resp. Dist. Min. Homo non habet in ſuâ poteſtate vias ſuas quoad executionem, & exitum *C.* Quoad intentionem & propoſitum, *N.*

Instabis. Ille non habet in ſuâ poteſtate vias ſuas quoad intentionem, qui in actionibus naturalibus neceſſitatur à concupiſcentiâ, & in ſupernaturalibus à Dei gratiâ. Atqui homo eſt hujuſmodi.

Prob. Min. Quoad primam partem. Ille neceſſitatur à concupiſcentiâ, qui jam peccat ex gravi & durâ neceſſitate: atqui, ex Aug. homo jam peccat ex gravi neceſſitate. *Peccantem hominem ſecuta eſt gravis & dura neceſſitas.*

Resp Dist. Min. Homo jam peccat ex gravi neceſſitate morali, *C.* Phyſicâ, *N.* Hoc eſt tanta eſt in homine, ex quo peccavit, infirmitas, & ad bonum difficultas ut in multis offendat; At eâ ratione ut poſſit reſiſtere; *Conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*, ex Aug.

Inst. *Secundò.* Ille peccat ex gravi neceſſitate phyſicâ, qui ideò peccat, quia liberum ſuum perdidit arbitrium: atqui homo peccat ex gravi neceſſitate, quia liberum perdidit arbitrium, ex Aug.

Resp. Dist. Min. Homo peccat ex gravi neceſſitate, quia liberum perdidit arbitrium, quoad appendicem quæ erat ſumma ad bonum facilitas, *C.* Quoad eſſentiam, quæ eſt indifferentia agendi, vel non agendi, N. Nam beatus qui potuit tranſgredi legem & non eſt trangreſſus, ex Scripturâ.

Inst. *Tertiò.* Ille ſuâ excidit libertate quoad eſſentiam, qui jam facit malum, quod non vult,

viſionem velut conditionem prærequiſitam ad amandum.

Inst. *Secundò.* Quod ſequitur poſſeſſionem Dei, ſequitur eſſentiam beatitudinis: atqui gaudium ſequitur poſſeſſionem Dei, quia Deus poſſidetur per viſionem & amorem, quibus beati Deo intimè uniuntur; ergo gaudium ſequitur eſſentiam beatitudinis.

Resp. Dist. Maj. Quod ſequitur poſſeſſionem Dei fruitivam ſequitur eſſentiam beatitudinis, *C.* Quod ſequitur poſſeſſionem Dei qualemcumque nec fruitivam, *N.* Porrò gaudium ſequitur quidem qualemcumque Dei poſſeſſionem per viſionem & amorem, ſed hæc poſſeſſio non eſt fruitiva, cum non ſit complacentia voluntatis in bono præſenti.

Inst. *Tertiò.* Quies in bono poſſeſſo, non eſt ipſa poſſeſſio boni: atqui gaudium definitur & eſt, quies in bono poſſeſſo; ergo gaudium non eſt ipſa poſſeſſio ſummi boni.

Resp. Dist. Maj. Quies in bono poſſeſſo, non eſt ipſa poſſeſſio boni, ſi ſit quies in bono poſſeſſo per operationem diſtinctam à quiete, *C.* Si ſit quies in bono poſſeſſo per ipſammet quietem, *N.* Porrò gaudium beatorum eſt quies in bono poſſeſſo per ipſummet gaudium, proindeque eſt & ipſa formalis poſſeſſio ſummi boni.

Inst. *Quartò.* Poſſeſſio Dei debet habere pro objecto, Deum ejuſque perfectiones: atqui gaudium ſeu complacentia beatorum non habet pro objecto Deum, ſed poſſeſſionem Dei; quia gaudium eſt operatio quâ beati gaudent de poſſeſſione Dei: ergo gaudium non eſt ipſa poſſeſſio Dei.

Resp. Dist. Min. Atqui gaudium non habet pro objecto Deum, ſed poſſeſſionem Dei, gaudium reflexum, *C.* Gaudium directum, *N.* At beatitudo conſiſtit non in gaudio reflexo, quod eſt beatudinis proprietas, ſed in gaudio directo.

Inst. *Quintò.* Gaudium directum eſt amor, ergo ſi beatitudo conſiſtat in gaudio directo, non conſiſtit in operatione diſtinctâ ab amore.

Resp. Dist. ant. Gaudium directum eſt amor complacentiæ, *C.* Eſt amor benevolentiæ, *N.* Nam primo beatus fertur in Deum per amorem benevolentiæ, deinde ſibi complacet in ſummo bono.

præſenti ; hæc autem complacentia eſt gaudium, & ipſa beatitudinis eſſentia.

INST. *Sextò.* Si gaudium directum eſſet ipſa beatitudinis eſſentia, beatitudo eſſet incompoſſibilis cum triſtitiâ : atqui tamen Chriſtus Dominus erat ab initio beatus, *& triſtis uſque ad mortem* ; ergo &c.

RESP. DIST. MAj. Beatitudo eſſet incompoſſibilis cum triſtitiâ de Deo amiſſo, qualis eſt triſtitia damnatorum, C. Cum triſtitiâ aliunde ortâ quam de amiſſo Deo, N. Porrò Chriſtus erat triſtis, ſed de peccatis hominum ; ſimul & beatus complacentiâ voluntatis in Deo viſo & amato.

IIII PROPOSITIO.

Beatitudo formalis non conſiſtit eſſentialiter in gaudio.

PROBATUR. Beatitudo formalis non conſiſtit in eâ operatione, quæ ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum : atqui gaudium ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum, & ut primam veritatem per viſionem, & ut primam ſimpliciter bonitatem, per amorem ; ergo gaudium non eſt de eſſentiâ beatitudinis formalis.

OBIECTIO.

Beatitudo formalis eſt merces rependenda beatis : atqui merces rependenda beatis, eſt gaudium ; juxta illud, Matthæi 25. *Intra in gaudium Domini tui* ; ergo beatitudo formalis conſiſtit in gaudio.

RESP. DIST. MIN. Atqui merces rependenda beatis eſt gaudium directum, & ab amore indiſtinctum, C. Eſt gaudium reflexum, N. Nam gaudium hoc eſt beatitudinis proprietas duntaxat.

INSTABIS. Beatitudo formalis eſt finis ultimus : atqui ſolum gaudium eſt propriè finis ultimus, quia eſt ultima beati operatio circa Deum ; ergo beatitudo formalis eſt ſolum gaudium.

RESP. DIST. MAj. Beatitudo formalis eſt finis ultimus eſſentialis & primarius, C. Eſt finis ultimus integralis & ſecundarius, N. Porrò gaudium eſt duntaxat finis ultimus accidentalis & ſecundarius, quia ſupponit Deum jam adæquatè poſſeſſum per vi-

ſionem & amorem.

Inst. *Secundò.* Finis ultimus eſſentialis & primarius eſt quies in ſummo bono: atqui ſolum gaudium eſt quies in ſummo bono; ergo ſolum gaudium eſt finis ultimus eſſentialis & primarius.

Resp. Dist. Maj. Finis ultimus eſſentialis eſt quies in ſummo bono, quies eſſentialis quæ ſit intima unio beati cum ſummo bono, *C.* Quies accidentalis, quæ ſupponat unionem cum ſummo bono, *N.* Porrò gaudium in beatis eſt quies ſolummodò accidentalis, ſupponens unionem perfectam beati cum ſummo bono, per viſionem & amorem.

Inst. *Tertiò.* Quies in ſummo bono eſſentialis debet eſſe operatio, quæ ſiſtat omnem motum: atqui ſolum gaudium eſt ejuſmodi, cum ſit ultima operatio; ergo ſolum gaudium eſt quies eſſentialis in ſummo bono.

Resp. dist. Maj. Quies in ſummo bono debet eſſe operatio, quæ ſiſtat omnem motum, inſtar poſſeſſionis ſummi boni, *C.* Inſtar proprietatis ex poſſeſſione fluentis, N. Porrò gaudium non tam eſt poſſeſſio ſummi bonni, quam proprietas fluens à poſſeſſione Dei, cùm ſupponat Deum jam adæquatè poſſeſſum, & ut verum, & ut bonum.

Inst. *Quartò.* Atqui viſio & amor quæ præcedunt gaudium non ſunt poſſeſſio Dei; ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Poſſeſſio Dei ſiſtit omnem motum in beatis: atqui viſio & amor non ſiſtunt omnem motum in beatis, quia ulterius exurgit gaudium; ergo viſio & amor non ſunt poſſeſſio Dei.

Resp. Dist. Maj. Poſſeſſio Dei ſiſtit omnem motum in beatis, motum in beatitudinem, *C.* Motum in proprietatem & appendicem beatitudinis, *N.* Porro gaudium eſt appendix & proprietas beatitudinis: viſio autem & amor non ſiſtunt quidem omnem motum qui tendat in proprietates beatitudinis, quale eſt gaudium, ſed ſiſtunt omnem motum in ipſam beatitudinem.

Inst. *Quintò.* Illa operatio eſt ipſa beatitudo eſſentialis, quæ propter ſe appetitur, & propter quam cætera appetuntur: atqui gaudium propter ſe appetitur, & propter ipſum cætera; juxta illud *ſecundùm quod unumquodque nos amplius delectat, ſecundùm*

Illud operemur neceſſe eſt; ergo gaudium eſt ipſa beatitudo.

Resp. dist. maj. Quæ propter ſe appetitur tanquam eſſentia beatitudinis, C. Tanquam appendix & proprietas beatitudinis, N. Porrò, ſi cætera appetuntur propter gaudium, appetuntur tanquam propter appendicem beatitudinis, ferè ſicut rationalitas appetitur propter capacitatem ſcientiæ & virtutis, cujus eſt fons & radix.

Inst. *Sextò.* Poſito gaudio, cæteris per mentem ſublatis, adhuc quis foret beatus: ſublato autem gaudio, cæteris interim poſitis, non foret beatus; ergo beatitudo magis præcipuè conſiſtit in gaudio.

Resp. nego Primam partem ſuppoſitionis: nihil enim, abſurdum magis, quam ſupponere quempiam gaudère poſſe, ſublatis quibuſcumque bonis: ſiquidem gaudium ſupponit neceſſariò poſſeſſionem boni.

Resp. *Secundò.* Dist. Secundam partem antecedentis, ſublato gaudio, non foret quis beatus, beatitudine integrali, C. Eſſentiali, N. Nam ſublato gaudio adhuc intimè uniretur Deo, & per intellectum videndo & per voluntatem amando.

QUÆSTIO QUINTA.

De poſſibilitate Statûs naturæ puræ.

Status naturæ puræ ſpectatur dupliciter: primò quoad viam, quatenùs includeret concupiſcentiam, ignorantiam, & alias infirmitates: ſecundò quoad terminum, quatenùs in eo ſtatu ordinaretur homo ad beatitudinem purè naturalem, atque omni dono ſupernaturali ſpoliaretur.

PROPOSITIO.

Status naturæ puræ eſt valdè poſſibilis ex omni parte.

Probatur. Ille ſtatus eſt poſſibilis ex omni parte, qui neque repugnat ex parte ſui, neque ex par-

te Dei, neque tandem ex parte hominis. Atqui ſtatus naturæ puræ eſt hujuſmodi.

Et primò quidem non repugnat ex parte ſui. Nam ille ſtatus non repugnat ex parte ſui, cujus attributa non ſe ſe deſtruunt; atqui attributa ſtatûs naturæ puræ non ſe ſe deſtruunt; nam attributa ſtatûs naturæ puræ, ſunt quædam perfectiones naturales cum quibuſdam defectibus naturalibus; atqui ſunt valdè compoſſibiles illæ perfectiones naturales cum quibuſdam defectibus naturalibus; v. g. ſagacitas mentis cum ignorantiâ vincibili, libertas voluntatis cum concupiſcentiâ; ergo attributa ſtatûs naturæ puræ non ſe ſe deſtruunt, proindéque non repugnat ex parte ſui.

Deinde non repugnat ex parte Dei: nam ille ſtatus non repugnat ex parte Dei, qui neque adverſatur divinæ bonitati, nec ſapientiæ, nec juſtitiæ, nec aliis Dei attributis. Atqui ſtatus naturæ puræ eſt hujuſmodi; nam ille ſtatus nulli attributo Dei adverſatur, in quo Deus nihil denegaret homini debitum; atqui in ſtatu naturæ puræ Deus nihil denegaret homini debitum; naturales & debitas perfectiones concederet, ſagacitatem mentis ad ſcientias comparandas, libertatem voluntatis ad virtutes exercendas; imò & proponeret felicitatem viribus naturæ proportionatam. Ergo ſtatus naturæ puræ non repugnat ex parte Dei.

Denique non repugnat ex parte hominis. Nam ille ſtatus non repugnat ex parte hominis, in quo qui conderetur homo, nullo careret ex iis quæ ſibi naturaliter debentur; atqui in ſtatu naturæ puræ, qui conderetur homo, nullo careret ex iis quæ ſibi naturaliter debentur; careret quidem donis ſupernaturalibus, ſicut & ſpe viſionis Dei intuitivæ; ſed iſta dona ſunt homini naturaliter indebita; juxtà illud Apoſtoli ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.*

OBJECTIO I.

Ille ſtatus eſt impoſſibilis qui repugnat divinæ bonitati: atqui ſtatus naturæ puræ eſt hujuſmodi.

Prob. Min. Ille ſtatus repugnat divinæ bonitati, in quo Deus affligeret innocentes. Atqui in ſta-

tu naturæ puræ Deus affligeret innocentes malis propè infinitis.

Resp. Dist. Maj. In quo Deus affligeret innocentes malis pœnalibus, C. Malis naturalibus, N. At quæ forent in ſtatu naturæ puræ mala, ea forent naturalia, non pœnalia.

Instabis. Deus affligeret innocentes ignorantiâ & concupiſcentiâ: atqui hæc ſunt mala pœnalia.

Prob. Min. Ea mala ſunt pœnalia, quæ ſunt totidem pœnæ peccati Originalis: atqui ignorantia, & concupiſcentia ſunt pœnæ peccati Originalis.

Resp. dist. Min. Atqui ignorantia & concupiſcentia ſunt pœnæ peccati Originalis, per accidens, & in nobis, C. Sunt pœnæ peccati per ſe: & abſolutè, N. Quia ſunt defectus naturales, humanitatis appendices.

Inst. *Secundò. De concupiſcentiâ.* Sic. Ea ſunt per ſe mala, quæ prohibentur à lege divinâ: atqui concupiſcentia prohibetur à lege divinâ; *Non concupiſces.*

Resp. Dist. Min. Atqui concupiſcentia prohibetur à lege divinâ, quoad conſenſum quando trahit ad illicita, C. Prohibetur quoad ſenſum, N. Nam eſt in nobis ſine nobis ſenſus concupiſcentiæ.

Inst. *Tertiò.* Peccatum prohibetur à lege divinâ: atqui concupiſcentia eſt peccatum, ex Apoſt. ad Rom. 7.

Resp. Dist. Maj. Peccatum in ſenſu formali acceptum, C. In ſenſu cauſali, N. Porrò concupiſcentia dicitur ab Apoſtolo peccatum, non formaliter, alioqui non remaneret poſt Baptiſmum: ſed cauſaliter, quatenùs eſt in nobis effectus peccati, & ſæpè inclinat ad peccatum, ut etiam declarant Patres Concilij Tridentini ſeſſ. quintâ, Can. 5.

Inst. *Quartò.* Inordinatio contra rectam rationem, eſt peccatum formaliter: atqui concupiſcentia etiam quoad ſenſum, eſt quædam inordinatio partis inferioris contra rectam rationem.

Resp. Dist. Maj. Inordinatio formaliter voluntaria, C. Inordinatio inchoata, materialis, & prorsùs involuntaria, N. Porrò ſenſus concupiſcentiæ eſt quædam deordinatio: ſed prorsùs involuntaria: ſiquidem eſt in nobis ſine nobis, ante omnem

noſtræ voluntatis conſenſum.

Inst. *Quintò.* Illud eſt per ſe malum & formaliter; quod niſi eſſet à peccato, eſſet à malo Deo, ad ſenſum Manichæorum : atqui concupiſcentia niſi eſſet à peccato, eſſet à malo Deo, ex Aug. contrà Pelagianos.

Resp. Dist. Min. Ex Aug. diſputante contrà Pelagianos argumento ad hominem, *C.* Ex Aug. abſolutè, & nullâ facti hypotheſi, *N.* Porrò eo loci arguit Auguſt. efficaciter contrà Pelagianos, ſuppoſitis Pelagianorum principiis, hoc ferè pacto: Vel concupiſcentia quam experimur, venit à peccato Originali, vel à bono Deo, vel à naturâ, vel à malo Deo. Sed non venit à bono Deo, vel à naturâ, ſiquidem nulla fuit in Adamo concupiſcentia: ejuſque natura erat integra: Ergo vel venit à peccato, vel à malo Deo. At non loquitur abſolutè Auguſt. alioqui non diceret in Libris Retract. *Tametſi concupiſcentia & ignorantia eſſent primordia naturalia, adhuc vincerentur Manichæi.*

Inst. *Sextò.* Vel concupiſcentia eſt per ſe mala, vel eſt defectus aliquis naturalis : atqui non ſic eſt.

Prob. Min. Licitum eſt conſentire defectibus naturalibus, v. g. morbis : atqui licitum non eſt conſentire concupiſcentiæ. Ergo non eſt defectus naturalis.

Resp. Dist. Maj. Licitum eſt conſentire defectibus naturalibus qui ſunt materia patientiæ, *C.* Qui ſunt materia intemperantiæ, *N.* At concupiſcentia eſt materies intemperantiæ.

Inst. *Septimò.* Defectus naturalis poteſt eſſe à naturâ : atqui concupiſcentia non poteſt eſſe à naturâ.

Resp. Nego Min. Nam fundatur in animalitate noſtrâ, quæ de naturâ ſuâ proſequitur bonum ſenſibile; ſic autem ut in nobis proſequatur illud contrà dictamen rationis.

Inst. *Octavò.* Quod eſt contrà naturam non poteſt eſſe a naturâ: atqui concupiſcentia eſt contrà naturam humanam. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.*

Resp. Dist. Min. Atqui concupiſcentia eſt contrà naturam, ut rationalem, *esto*; ut ſentien-

tem, N. Quare non eſt à naturâ ut rationali, benè autem ut ſentiente; fundatur enim in animalitate.

INST. *Nonò* Quod ſollicitat nos ad malum, non poteſt eſſe nobis à naturâ inditum: atqui concupiſcentia ſollicitat nos ad malum.

RESP. DIST. Maj. Quod ſollicitat invincibiliter ad malum per ſe & ex parte ſui, C. Quod ſollicitat vincibiliter ad malum per accidens & ratione ſubjecti, N. At concupiſcentiæ motus non ſunt per ſe mali, ſed per accidens quatenùs ſunt in homine; alioquin locum non haberent in belluis.

INST. *Decimò*. In ſtatu naturæ puræ nulla eſſet gratia ad vincendos concupiſcentiæ motus: ergo eſſent invincibiles.

RESP. DIST. Conſeq. Ergo eſſent invincibiles ex motivo honeſtatis ſupernaturalis & chriſtianæ, C. ex motivo honeſtatis puræ moralis & naturalis, N.

INSTABIS. *De ignorantiâ*. Homo innocens non debet privari perfectione ſibi naturaliter debitâ: atqui per ignorantiam privaretur debitâ ſibi ſcientiâ.

PROB. MIN. Summa hominis perfectio naturalis, eſt homini debita: atqui ſcientia rerum naturalium eſt ſumma & naturalis perfectio hominis.

RESP. DIST. MIN. Atqui ſcientia ut acquirenda ſucceſſu temporis, C. Ut infuſa à primo momento creationis, N.

INST. Iterùm: Intellectus ſine ſcientiâ actuali eſt imperfectus. Ergo ſcientia eſt illi debita.

RESP. DIST. ANT. Eſt imperfectus negativè, C. Privativè, SUBDISTINGUO: ſine ſcientiâ quoad capacitatem, C. Quoad actum, N.

INST. Tandem. Opus Dei immediatum debet eſſe perfectum in ordine ſuo. Ergo & in ſtatu naturæ puræ.

RESP. DIST. Debet ex quâdam decentiâ, C. Ex neceſſitate abſolutâ, N.

OBIECTIO II.

ILle ſtatus repugnat divinæ *juſtitiæ*, in quo non poſſet homo conſequi finem ſimpliciter ultimum, ſeu beatitudinem: atqui in ſtatu naturæ puræ, homo non poſſet conſequi finem ultimum, quia non poſſet videre Deum.

Resp. Dist. Min. Atqui in ſtatu naturæ puræ homo non poſſet conſequi finem ultimum ſupernaturalem, & abſolutè indebitum, *C*. Naturalem, & ſibi debitum, *N*. Nam poſſet Deo abſtractivè cognito uniri per amorem naturalem.

Intabis. Homo in ſtatu naturæ puræ non poſſet conſequi viſionem Dei intuitivam: atqui viſio illa eſt finis homini naturalis.

Prob. Min. Finis ille eſt homini naturalis, qui patrimonium eſt hominis, & à quo excludi non poteſt ſine injuſtitiâ. Atqui viſio Dei intuitiva eſt hujuſmodi ex Aug. contra Julian. Pelag. *Imago Dei in nullo inimica Dei excluditur à patrimonio ſuo: injuſtum Deum facis.*

Resp. Dist. Min. Atqui viſio Dei intuitiva non poteſt homini ſine injuſtitiâ denegari, hypotheticè & juxtà principia Pelagianorum, *C*. Non poteſt denegari abſolutè, N. Scilicet aſſerebat Julianus infantes eſſe natos ad regnum Cælorum, à quo tamen excludebantur ſine ullo præcedente peccato Originali, morientes ſine Baptiſmo. Hoc ſenſu ait Auguſt. regnum Cælorum eſſe patrimonium hominum, nunc ſcilicet, & in noſtro ſtatu, ex ſingulari Dei munificentiâ.

Inst. *Secundò*. Ea beatitudo eſt homini naturalis abſolutè, quam homo naturaliter appetit. Atqui homo naturaliter appetit viſionem Dei intuitivam.

Prob. Min. Homo naturaliter appetit cognoſcere quidquid continetur intrà limites facultatis intellectivæ; atqui Deus intuitivè videndus, ſic continetur, ſiquidem eſt de genere intelligibilium.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus intuitivè videndus continetur intrà limites facultatis intellectivæ,

væ, per gratiam elevatæ ad ſtatum ſupernaturalem, *C.* Intra limites facultatis ſibi relictæ, & in puris naturalibus, *N.*

Inst. *Tertiò* Non poſſet intellectus elevari per Dei gratiam ad intuitum Dei, niſi de ſe haberet proportionem aliquam: atqui proportio illa eſt quidam appetitus, ſeu natura quatenùs apta ad intuitum Dei.

Resp. Dist. Maj. Niſi haberet proportionem aliquam inchoatam & valdè remotam, *C.* Perfectam & proximam, *N.* Habet quidem proportionem & appetitum valdè remotum fundatum in immaterialitate ſuâ; at non habet perfectum, quia natura non dat appetitum perfectum, niſi ad id quod penès nos eſt naturaliter obtinere.

Inst. *Quartò* Qui naturaliter videt aliquem effectum egregium, naturaliter deſiderat videre cauſam: atqui naturaliter homo videt effectus Dei mirabiles. Ergo appetit perfectè videre Deum.

Resp. Dist. Maj. Naturaliter appetit videre cauſam, quando cauſa & effectus ſunt ejuſdem ordinis, *C.* Secùs, *N.*

Inst. *Quintò.* Vel homo naturaliter appetit Deum intueri; vel contentus eſſe poteſt cognitione Dei abſtractivâ, atqui hac contentus eſſe non poteſt.

Prob. Homo beatus contentus eſſe nequit eâ Dei cognitione, quæ communis eſt beatis & damnatis, probis & improbis: atqui cognitio Dei abſtractiva eſt hujuſmodi.

Resp. Dist. Min. Atqui cognitio Dei abſtractiva eſt communis beatis & damnatis, probis & improbis; cognitio generica, *C.* Specifica & determinata, *N.* Nam in illo ſtatu naturæ puræ beati noſſent Deum ut ſibi beneficum & remuneratorem. At damnati noſſent ut vindicem & iratum.

Inst. *Sextò.* Implicat beatum nihil beatitudinis experiri in patriâ, quod non expertus ſit in viâ. Atqui id contingeret in ſtatu naturæ puræ.

Prob. Min. Quam haberet in patriâ ea non eſſet niſi abſtractiva Dei notitia, ſicut & in viâ foret.

Resp. Dist. In patriâ non eſſet niſi abſtractiva, ſed multò perfectior conjuncta cum amore

tæ; ergo datur in homine etiam lapſo facultas ſuorum actuum domina, ſuique ipſius determinativa, proindéque datur in homine etiam lapſo libertas moralis. Hinc Eccleſiaſtici Cap. 31. laudatur Vir juſtus, *qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Laus iſta ſupponit meritum, meritum ſupponit libertatem.

OBJECTIO I.

Ille non eſt liber qui non habet in ſuâ poteſtate vias ſuas: atqui homo non habet jam in poteſtate vias ſuas, ex Scripturâ.

Resp. Dist. Min. Homo non habet in ſuâ poteſtate vias ſuas quoad executionem, & exitum C. Quoad intentionem & propoſitum, N.

Instabis. Ille non habet in ſuâ poteſtate vias ſuas quoad intentionem, qui in actionibus naturalibus neceſſitatur à concupiſcentiâ, & in ſupernaturalibus à Dei gratiâ. Atqui homo eſt hujuſmodi.

Prob. Min. Quoad primam partem. Ille neceſſitatur à concupiſcentiâ, qui jam peccat ex gravi & durâ neceſſitate: atqui, ex Aug. homo jam peccat ex gravi neceſſitate. *Peccantem hominem ſecuta eſt gravis & dura neceſſitas.*

Resp Dist. Min. Homo jam peccat ex gravi neceſſitate morali, C. Phyſicâ, N. Hoc eſt tanta eſt in homine, ex quo peccavit, infirmitas, & ad bonum difficultas ut in multis offendat; At eâ ratione ut poſſit reſiſtere; *Conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*, ex Aug.

Inst. *Secundò.* Ille peccat ex gravi neceſſitate phyſicâ, qui ideò peccat, quia liberum ſuum perdidit arbitrium: atqui homo peccat ex gravi neceſſitate, quia liberum perdidit arbitrium, ex Aug.

Resp. Dist. Min. Homo peccat ex gravi neceſſitate, quia liberum perdidit arbitrium, quoad appendicem quæ erat ſumma ad bonum facilitas, C. Quoad eſſentiam, quæ eſt indifferentia agendi, vel non agendi, N. Nam beatus qui potuit tranſgredi legem & non eſt trangreſſus, ex Scripturâ.

Inst. *Tertiò.* Ille ſuâ excidit libertate quoad eſſentiam, qui jam facit malum, quod non vult,

nec facit bonum quod vult ; atqui homo eſt hujuſmodi, ex Apoſt. ad Rom. 7.

RESP. DIST. MIN. Atqui homo facit malum quod non vult in motibus concupiſcentiæ antecedentibus, *C.* In conſentiendo motibus illis, *N.* At loquitur Apoſtolus de experientiâ concupiſcentiæ, quæ noſtræ poteſtati non ſubjacet.

INST. *Quartò.* Ille facit malum, quod non vult, qui captivatur in lege peccati : atqui homo captivatur in lege peccati. ex Apoſt. ibidem.

RESP. DIST. MIN. Atqui homo captivatur in lege peccati, quoad ſenſum & experientiam motuum concupiſcentiæ, *C.* Quoad conſenſum, *N.* Nam adjuvante Dei gratiâ poteſt non conſentire iis motibus. ex Apoſt. ibidem. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei.*

INST. *Quintò.* Ubi peccatum eſt, ibi conſenſus eſt : atqui homo captivatur in lege peccati ; ergo captivatur quoad conſenſum.

RESP. DIST. MAJ. Ubi peccatum eſt formaliter, *C.* Peccatum cauſaliter, *N.* Porrò nomine (peccati,) Apoſtolus eo loci intelligit concupiſcentiam, quam ideò appellat (peccatum) quia venit à peccato, ſicut effectus à causâ.

INST. *Sextò.* Ille captivatur ad peccandum cujus non eſt volentis, neque currentis : atqui hominis non eſt volentis, neque currentis, ex Apoſt. ad Rom. 3.

RESP. DIST. MIN. Atqui hominis non eſt volentis, aut currentis, ſine Dei gratiâ prævenientе, & adjuvante, *C.* Cum Dei gratiâ, *N.* Hinc addit Apoſtolus, *ſed Dei miſerentis.*

INSTABIS *Quoad ſecundam partem, quæ eſt de gratiâ.* Quod determinat hominem ad bonum, neceſſitat in actionibus ſupernaturalibus : atqui gratia Dei efficax determinat hominem ad bonum, ideòque dicitur ab Aug. victrix.

RESP. DIST. MIN. Atqui gratia Dei efficax determinat moraliter ad bonum, *C.* Phyſicè, *N.* Nam ſuadet magis quàm determinat, ideòque ab Aug. vocatur victrix delectatio.

INST. *Octavò.* Quod effectum ſuum ſortitur ineluctabiliter, & inſuperabiliter, profectò determinat phyſicè ; atqui gratia Dei efficax effectum ſortitur

ineluctabiliter atque inſuperabiliter ex Aug.

Resp. Dist. Min. Gratia efficax ſortitur effectum ineluctabiliter moraliter, *C.* Phyſicè, *N.* Hinc non ſemel comparat S. Aug. efficaciam gratiæ, cum efficaciâ quam habent nuces ad alliciendos infantes, & rami virides ad trahendas oves.

Inst. *Nonò.* Ea gratia ſuum ſortitur effectum ineluctabiliter phyſicè, cui voluntas non poteſt reſiſtere: atqui gratiæ trahenti non poteſt abſolutè reſiſtere voluntas.

Prob. Min. Si voluntas poſſet reſiſtere gratiæ efficaci, jam ſupponi poſſet gratiam efficacem non eſſe efficacem: atqui implicat gratiam ſimul eſſe efficacem, & non efficacem.

Resp. Dist. Maj. Jam ſupponi poſſet gratiam eſſe efficacem in actu primo, ſeu effectivam, ſimul & inefficacem in actu ſecundo, *C.* Efficacem in actu ſecundo, & inefficacem in actu ſecundo, *N.* Tametſi enim ſuum ſemper fortaſſis ſortiatur effectum, fieri tamen poſſet ut non ſortiretur; Quo in caſu eſſet efficax in actu primo, & non in actu ſecundo, effectiva, & non efficiens.

Inst. *Decimò.* Gratia quæ per ſe & eſſentialiter eſt efficax, ſuo non poteſt effectu carere: atqui gratia efficax eſt per ſe & eſſentialiter efficax: alioqui non differret à ſufficiente.

Resp. Dist. Min. Atqui gratia efficax, eſt per ſe efficax dependenter à noſtrâ voluntate annuente, *C.* Independenter à voluntate noſtrâ, *N.* Hinc ait Apoſtolus, *Gratia Dei mecum.*

Inst. *Undecimò.* Niſi gratia efficax eſſet per ſe efficax independenter à noſtra voluntate, jam Dei gratia libero ſubjiceretur arbitrio: atqui hoc repugnat.

Resp. Dist. Maj. Gratia Dei libero ſubjiceretur arbitrio quoad determinationem, vitalitatem & libertatem actionis, *C.* Quoad ſupernaturalitatem, *N.* ſcilicet in actione meritoriâ duo ſunt gradus, ſupernaturalitas, & determinatio, ſeu conſenſus liber. Gratia confert actioni ſupernaturalitatem, voluntas dat determinationem.

Inst. *Duodecimò.* Quod eſt in nobis ſine nobis, operatúrque velle & perficere, profectò non ſubjicitur arbitrio voluntatis; atqui gratia Dei eſt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt in nobis ſine nobis, non ſubjicitur arbitrio, quoad motionem prævenientem, *C.* Quoad determinationem & conſenſum liberum, N. Nam primò, excitat voluntatem noſtram gratia, ſecundò noſtrum eſt, & vocanti reſpondere, & conſentire trahenti.

Inst. *Decimotertiò.* Si gratia Dei pendet à libertate noſtrâ quoad determinationem & conſenſum: jam libertas tenet primàs in merito: atqui è contrà.

Resp. Dist. Maj. Libertas tenet primàs in merito, quatenùs liberum eſt & determinatum, *C.* Quatenùs ſupernaturale eſt, & ſemen vitæ æternæ, *N.* At ſimpliciter gratia primàs tenet, quia meritum æſtimatur magis à gradu ſupernaturalitatis, quàm à gradu libertatis.

Inst. *Decimoquartò.* Si ità eſt, homo poterit ſe ſe diſcernere in negotio ſalutis, cùm tamen dicat Apoſtolus, *Quis te diſcernit?*

Resp. Dist. Homo poterit ſe ſe diſcernere ex Dei gratiâ, præveniente, adjuvante, *C.* Sine Dei gratiâ, ad ſenſum Pelagianorum, N Nam non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, ex eodem Apoſt.

OBJECTIO II.

Ille non eſt liber qui dum agit, neceſſariò agit, atqui homo dum agit, neceſſariò agit; ita ut implicet ipſum non agere.

Resp. Dist. Maj. Qui dum agit, neceſſariò agit neceſſitate antecedente, *C.* Neceſſitate conſequente, N. At neceſſitas conſequens non perimit libertatem, ſiquidem eſt effectus libertatis.

Instabis. Ille agit neceſſariò neceſſitate antecedente, cujus omnes actiones ſunt à Deo præſcitæ & decretæ: atqui omnes hominis actiones ſunt à Deo præſcitæ, & decretæ.

Resp. Dist. Maj. Cujus omnes actiones ſunt à Deo præſcitæ, præſcientiâ antecedente, *C.* Conſequente, N.

Inst. *Secundò.* Præſcientia antecedit actiones noſtras. Ergo actiones noſtræ ſunt præſcitæ præſcientiâ antecedente.

Resp. Dist. Ant. Præſcientia Dei antecedit actiones noſtras ut præſentes in tempore, C. Ut futuras ab æterno, N. Nam ideò præſcivit actiones futuras, quia futuræ erant per conſenſum voluntatis futurum.

Inst. *Tertiò.* Niſi præſcientia Dei antecederet actiones noſtras etiam ut futuras, jam non eſſet præſcientia, ſed poſtſcientia.

Resp. Dist. Jam non eſſet præſcientia relativè ad futuritionem, C. Relativè ad exiſtentiam temporaneam, N. Hoc eſt, prius ſunt futuræ actiones, quam præſciantur a Deo; at prius ſciuntur, quam exiſtant in tempore.

Inst. *Quartò.* Cauſa futurorum ut futurorum, antecedit futura ut futura: atqui præſcientia Dei eſt cauſa futurorum ut futurorum, ut ſæpè legimus apud SS. Patres, & nominatim apud Aug.

Resp. Dist. Min. Atqui præſcientia Dei eſt cauſa futurorum à libertate Dei dependentium, qualis eſt creatio mundi, C. A libertate noſtrâ dependentium, quale eſt Antichriſti peccatum, N.

Inst. *Quintò.* Vel præſcientia Dei eſt cauſa futurorum etiam liberorum à libertate noſtra dependentium, vel libertas & futuritio actionum ejus ſunt cauſa præſcientiæ Dei: atqui hoc poſterius implicat.

Resp. Dist. Min. Atqui libertas noſtra non eſt cauſa præſcientiæ Dei phyſica & propriè dicta, C. Moralis, & impropriè dicta, N. Nam niſi actiones noſtræ eſſent futuræ, Deus eas non præſciret futuras.

Inst. *Sextò.* Omnis cauſalitas arguit dependentiam, & omnis dependentia ſonat imperfectionem: atqui neutra cadit in Deum.

Resp. Dist. Maj. Omnis cauſalitas arguit dependentiam, vel phyſicam, vel moralem, C. phyſicam ſemper, N.

Inst. *Septimò.* Dependentia phyſica arguit imperfectionem phyſicam: ergo & dependentia moralis arguit imperfectionem moralem.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt quia dependentia phyſica eſt inferioris à ſuperiore per influxum realem & phyſicum: at dependentia moralis ſæpius eſt ſuperioris ab inferiori v. g. divitis à paupere, pendet enim dives à paupere ut largiatur eleemoſynam, quia ni flagitaret pau-

per, non erogaret dives.

Inst. *Octavò.* Dependentia voluntatis ab intellectu dirigente eſt moralis, & tamen ſonat imperfectionem aliquam in voluntate: ergo dependentia moralis dicit imperfectionem ſaltem moralem, proindeque locum in Deo habere non poteſt.

Resp. Dist. Conſeq. Ergo dependentia moralis ſonat imperfectionem aliquandò, *C.* Semper, *N.* Toties autem dependentia moralis ſonat imperfectionem, quoties oritur illa dependentia ex indigentiâ dependentis, qualis eſt dependentia voluntatis ab intellectu dirigente & illuſtrante. At quam admittimus in Deo dependentiam moralem ea non oritur ex illius indigentiâ, ſed ex ratione primæ & univerſaliſſimæ cauſæ.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De indifferentiâ Libertatis.

PROPOSITIO.

Eſſentia libertatis moralis conſiſtit in activâ contradictionis indifferentiâ.

Probatur. In eo conſiſtit eſſentia libertatis moralis, quod eſt quid primum in libertate morali, fons & radix omnium libertatis moralis proprietatum. Atqui activa contradictionis indifferentia eſt hujuſmodi.

Et primò quidem eſt quid primum in libertate morali; nam illud eſt quid primum in libertate morali, quo præcisè intellecto, intelligitur libertas, quo præcisè non intellecto, non intelligitur libertas: atqui intellectâ præcisè indifferentiâ contradictionis agendi, vel non agendi, intelligitur libertas moralis, & eâ non intellectâ, non intelligitur libertas; nam nemo intelligitur liber, niſi qui Dominus eſt ſuorum actuum, nemo intelligitur ſuorum actuum Dominus, niſi qui habet in ſuâpoteſtate; agere & non agere;

nemo intelligitur habere in ſuâ poteſtate agere & non agere, niſi qui indifferens eſt ad agendum & non agendum. Ergo activa contradictionis indifferentia eſt quid primum in libertate.

Deinde verò eſt fons & radix proprietatum libertatis moralis; nam libertatis moralis proprietates ſunt præſertim capacitas meriti & demeriti, capacitas laudis & vituperii: atqui meritum & demeritum, laus & vituperium ſupponunt indifferentiam, atque ab eâ fluunt tanquam à radice; nemo enim meretur aut demeretur, niſi qui habet in ſuâ poteſtate actionem elicere vel non elicere; ergo activa contradictionis indifferentia eſt fons & radix proprietatum libertatis moralis.

OBIECTIO I.

SI libertas conſiſteret in indifferentiâ; ubicumque foret libertas, foret & indifferentia: atqui non ita eſt.

PROB. MIN. In Chriſto Domino erat libertas tum circa actiones ſupererogationis, tum circa obſervationem legis naturalis: atqui tamen non erat indifferens ad hæc.

RESP. NEGO MIN. Nam in tantùm fuit liber, in quantum fuit indifferens.

INSTABIS, quoad primam partem de actionibus ſupererogationis. Ille non fuit indifferens ad mortem ſubeundam, qui non poterat abſolutè non mori: atqui Chriſtus D. non poterat abſolutè non mori.

PROB. MIN. Ille non potuit abſolutè non mori, quem oportuit pati: atqui Chriſtum oportuit pati Lucæ 24.

RESP. DIST. MAJ. Quem oportuit pati neceſſitate antecedente, C. Neceſſitate conſequente, N. Porro quæ fuit Chriſto moriendi neceſſitas, ea fuit conſequens liberam ejus acceptationem, quippe qui *oblatus eſt quia voluit*, ex ſcripturâ.

INST. *Secundò.* Ille paſſus eſt neceſſitate antecedente, qui acceperat à Patre æterno mandatum moriendi: atqui Chriſtus acceperat à Patre ſuo moriendi præceptum cui non poterat non obtemperare.

Reſp. Diſt. Maj. Qui acceperat à Patre æterno mandatum moriendi abſolutum, C. Conditionatum, N. At quod dederat Chriſto moriendi præceptum Pater æternus, id erat conditionatum, & dependebat à liberâ Chriſti acceptatione.

Inſt. *Tertiò.* Mandatum illud eſt abſolutum cui ſatisfit per obedientiam: atqui Chriſtus implevit acceptum de morte ſubeundâ mandatum, per obedientiam; *Factus eſt obediens uſque ad mortem.*

Reſp. diſt. min. Atqui Chriſtus implevit mandatum per obedientiam, quæ ſupponebat liberam Chriſti acceptationem, C. Per obedientiam quæ excluderet liberam acceptationem, N. Alioqui, non legeremus, oblatum eſſe quia voluit, poſuiſſe animam ſuam à ſe ipſo.

Inſt. *Quartò.* Illud mandatum excludebat liberam Chriſti D. acceptationem, à quo Chriſtus poſtulavit diſpenſari, nec tamen obtinere potuit: atqui Chriſtus poſtulavit à ſubeundâ morte diſpenſari, nec tamen obtinere potuit.

Reſp. diſt. min. Chriſtus poſtulavit diſpenſari à morte, nec obtinuit, poſtulavit inefficaciter & conditionatè, C. Efficaciter, & abſolutè, N. Alioqui obtinuiſſet, ſiquidem ſemper exauditus eſt pro ſua reverentiâ, & ut ipſe aïebat, *ſcio quia me ſemper audis.*

Inſt. *Quintò.* Ille poſtulabat efficaciter qui enixè adeò poſtulabat, ut ſudor ſanguinis toto manaret corpore: atqui Chriſtus poſtulabat ſic.

Reſp. Diſt. Maj. Si ſudor ille oriretur ex efficaci intentione, & animo obtinendi, C. Si ex alio motivo, N. At ſudor ille oriebatur ex infirmitate naturali partis inferioris ad pericula mortis ſemper trepidantis; voluit autem Chriſtus has induere infirmitates, ut realitatem humanitatis in ſe comprobaret.

Inſt. *Sextò.* Ille poſtulabat ex animo obtinendi qui obtinuiſſet, ſi fieri potuiſſet: atqui Chriſtus, enixè adeo poſtulabat, ut obtinuiſſet, ſi fieri potuiſſet; *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.*

Reſp. Diſt. Maj. Fieri non potuit ut obtineret, conſequenter ad liberam acceptationem, C. Antecedenter ad conſenſum & acceptationem, N. Efficaciter enim volebat pati, & inefficaciter reluc-

tabatur ex quadam velleitate.

INST. *Septimò* quoad ſecundam partem de obſervatione legis naturalis. Ille non fuit indifferens circa obſervationem legis naturalis qui non potuit non implere naturalia præcepta : atqui Chriſtus ut pote impeccabilis non potuit non implere præcepta naturalia.

RESP. DIST. MIN. Atqui Chriſtus non potuit non implere præcepta naturalia, quoad ſubſtantiam conſiderata, *C.* Quoad circumſtantias, *N.* v. g. non potuit non amare Deum, ſed potuit amare, vel ex hoc, vel ex alio motivo, ex motivo religionis, ex motivo redemptionis humanæ.

INST. *Octavò.* Chriſtus promeritus eſt circa ſubſtantiam præceptorum naturalium : igitur erat liber ad illa ſpectata ſic, neque tamen erat indifferens ſub illo reſpectu.

RESP. DIST. ANT. Chriſtus promeritus eſt circa ſubſtantiam præceptorum naturalium, ut determinatam circumſtantiis liberis, *C.* Circa ſubſtantiam præcisè, *N.* Sicut martyres morte ſua promerentur, non quoad ſubſtantiam præcisè, ſed prout mors oppetitur ab iis ex motivo laudabili, v. g. pro deffenſione religionis Chriſtianæ.

INST. *Nonò.* Chriſtus non erat indifferens ad id quod oriebatur ex principio valdè neceſſariò : atqui circumſtantiæ obſervationis legis naturalis oriebantur ex principio valdè neceſſariò nimirum ex principio charitatis.

RESP. DIST. MAJ. Atqui circumſtantiæ obſervationis legis naturalis oriebantur ex principio neceſſario prout verſabatur circa Deum, ex principio neceſſario, prout ſe ſe extendebat ad extrinſeca objecta, *N.* Sic charitas erat in Chriſto neceſſaria prout ea verſatur circa Deum, non prout porrigitur ad opus redemptionis humanæ.

INST. *Decimò.* Chriſtus neceſſitabatur ad opera perfectiora ; ergo ad illas quas ſuſcepit circumſtantias.

RESP. DIST. ANT. Neceſſitabatur ad opera perfectiora, quatenus ſunt de præcepto, *C.* Quatenus ſunt de conſilio, *N.*

OBIECTIO II.

DEus fuit ſummè liber circa actiones tranſcuntes ſuas, v. g. creationem mundi, ſed nunquam fuit indifferens.

Prob. Min. Qui ſemper fuit in actu nunquam fuit indifferens: a qui Deus ſemper fuit in actu, ſi quidem immutabilis eſt.

Resp. Dist. Maj. Qui ſemper fuit in actu, nunquam fuit indifferens indifferentiâ paſſivâ, ſeu ſuſpenſionis, *C.* indifferentiâ activâ, ſeu determinativitatis, *N.*

Instabis. Qui fuit ab æterno determinatus, nunquam fuit indifferens: atqui Deus fuit ab æterno determinatus.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus fuit ab æterno determinatus, determinatione conſequente, *C.* antecedente, *N.*

Inst. *Secundò.* Ut Deus fuiſſet determinatus determinatione conſequente; deberet aliquid fuiſſe prius in Deo ipsâ determinatione ſuâ: atqui nihil eâ cogitari poteſt prius, alioqui in illo priori fuiſſet ſuſpenſus ab omni actione.

Resp. Dist. Maj. Deberet aliquid fuiſſe prius in Deo prioritate naturæ, *C.* Temporis, *N.* Quia prius cogitatur Deus potens determinare ſe ſe, quàm cogitetur determinatus actu.

Inst. *Tertiò.* Determinatio, cujus principium eſt neceſſarium neceſſitate antecedente, eſt antecedens: atqui principium determinationis divinæ eſt abſolutè & antecedenter neceſſarium, nimirum Deus.

Resp. Dist. Maj. Cujus principium eſt neceſſarium in operando, *C.* In exiſtendo, *N.* Porrò Deus eſt quidem principium abſolutè neceſſarium in exiſtendo, at non in operando, v. g. in condendo mundo.

Inst. *Quartò.* Modus operandi ſequitur modum eſſendi; ergo cum Deus ſit principium neceſſarium quoad exiſtentiam, eſt quoque quoad operationem.

Resp. Modus operandi ſequitur modum eſſendi, quoad aliqua, *C.* Quoad omnia, *N.* Alioqui ſicut nihil

nihil cooperamur fabricandæ naturæ noſtræ, nihil quoque cooperaremur operationibus humanis noſtris.

Inst. *Quintò*. Illud eſt in Deo neceſſarium neceſſitate antecedente, quo Deus carere nunquam potuit: atqui nunquam Deus carere potuit ſuâ determinatione, decreto ſuo de condendis creaturis.

Prob. Min. Deus carere non potuit aliquo ſibi intrinſeco: atqui determinatio ſeu decretum eſt aliquid intrinſecum Deo.

Resp. Dist. Min. Atqui determinatio eſt aliquid intrinſecum, ſi determinatio ſpectetur principiativè ſeu entitativè, *C.* Si ſpectetur terminativè, *N.* Licet enim non potuerit Deus carere entitate decreti & volitionis ſuæ, potuit tamen carere terminatione eorum ad creaturas.

Inst. *Sextò*. Determinatio terminativè ſumpta eſt relatio actionis Dei ad terminum extrinſecum: atqui Deus non potuit carere intrinſecâ ſibi relatione.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus non potuit carere intrinſecâ ſibi relatione, carere quoad entitatem, *C.* Quoad denominationem, *N.* Vel, ut aiunt Theologi, ſecundùm eſſe in, *C.* Secundùm eſſe ad, *N.*

Inst. *Septimò*. Si Deus fuit indifferens ad ſuam determinationem & decretum; debuit poſſe carere decreto quatenus libero: atqui decretum quatenus liberum eſt intrinſecum Deo; ergo potuiſſet carere decreto intrinſecùs ſpectato.

Resp. Dist. Min. Atqui decretum quatenus liberum eſt Deo intrinſecum in ordine ad extrinſeca, *C.* Eſt Deo intrinſecum præciſe, *N.* Hinc Deus potuit carere termino decreti extrinſeco, nempe creaturis; at non propoſito, volitione, vel actione.

QUÆSTIO OCTAVA.

An dentur actus humani indifferentes in individuo.

I. PROPOSITIO.

Non dantur actus humani indifferentes in individuo.

Probatur. Dari actus humanos indifferentes in individuo, eſt dari actus humanos qui finem ultimum habeant indifferentem, nec bonum nec malum moraliter : atqui nulli dantur actus humani qui finem habeant ultimum indifferentem, nec bonum nec malum moraliter; nam omnis actus humanus, vel refertur ad Deum tanquam finem ultimum, vel non refertur ; ſi refertur, tunc finem habet ultimum bonum ; ſi non refertur, tunc habet finem ultimum malum, eſtque moraliter malus : etenim actus ille malus eſt, qui conquieſcit in creaturâ tanquam in ſuo fine ultimo, eſt enim Deo injurioſus ; atqui actus qui non refertur ad Deum tanquam ad finem ultimum, conquieſcit in creaturâ tanquam in ſuo fine ultimo. Ergo qui actus non refertur ad Deum tanquam finem ultimum, is eſt moraliter malus, proindeque omnis actus humanus habet finem, vel bonum vel malum moraliter, & ſic omnis actus humanus, eſt vel bonus vel malus moraliter, nullus autem indifferens in individuo.

OBIECTIO PRIMA.

Actus qui neque ſunt laude, nec vituperio digni, ſunt indifferentes : atqui quidam actus humani neque ſunt laude, neque vituperio digni, v. g. deambulare.

Resp. Dist. Min. Quidam actus humani neque ſunt laude, neque vituperio digni, ſi habeatur ratio ſolius objecti, C. Si habeatur ratio finis ultimi, N,

Nam vel conquieſcunt in Deo ; & boni ſunt, vel hærent in creaturis, & mali ſunt.

Instabis. Datur finis ſimpliciter ultimus indifferens ; ergo quidam actus humani neque ſunt laude neque vituperio digni, ſi habeatur ratio finis.

Prob. Ant. Datur medium inter finem ultimum bonum, & finem ultimum malum ; ergo datur finis ultimus indifferens.

Prob. Ant. Inter ea oppoſita quæ non ſunt contradictoria, datur medium per negationem : atqui finis ultimus bonus, & finis ultimus malus non opponuntur contradictoriè, quia ſe habent ut ens, & ens.

Resp. Dist. Maj. Datur medium in quibuſdam ſubjectis, *C.* In omni ſubjecto, *N.* Sic inter eſſe ſanum & eſſe ægrum, datur medium in Angelis ; At non datur in animalibus. Ita inter finem bonum & finem malum datur medium in actibus hominis indeliberatis ; at non datur in actibus humanis.

Inst. *Secundò.* Finis qui neque eſt imperatus, neque prohibitus, eſt valdè indifferens. Atqui datur in actibus humanis finis ultimus nec imperatus nec prohibitus.

Resp. Dist. Maj. Atqui datur in actibus humanis finis ultimus nec imperatus, nec prohibitus abſolutè, *C.* Hypotheticè, *N.* Nam ex hypotheſi quod finem ultimum nobis voluerimus proponere, tenemur bonum proponere.

Inst. *Tertiò.* Poteſt aliquis deambulare poſt cœnam ſanitatis causâ : atqui ſanitas neque eſt finis imperatus, neque prohibitus etiam hypotheticè.

Resp. Dist. Min. Atqui ſanitas non eſt finis prohibitus tanquam intermedius & ſubordinatus, *C.* Tanquam ultimus & ſubordinans, N. Nam conquieſcere in ſanitate tanquam in fine ſimpliciter ultimo, eſſet Deo valdè injurioſum.

Inst. *Quartò.* Non tenemur deambulationem & alias actiones ſimiles ad Deum referre tanquam finem ultimum ; ergo ſanitas poteſt eſſe finis ultimus deambulationis nec imperatus, nec prohibitus.

Prob. Ant. Actus ſupererogationis non cadunt ſub præceptum : atqui deambulare, recitare roſarium, &c. ſunt actus ſupererogationis ; ergo non ſunt de præcepto, nec proinde tenemur eos ad Deum referre,

Resp. Dist. Maj. Actus ſupererogationis non cadunt ſub præceptum, ex parte objecti, *C.* Ex parte finis ultimi, *N.* Licèt enim non tenearis abſolutè recitare roſarium: ſi tamen recitaveris, teneris ex bono motivo recitare.

Inst. *Quintò.* Finis ille non eſt de præcepto qui poteſt licitè omitti. Atqui finis bonus actionis ſupererogationis poteſt licitè omitti; ergo non eſt de præcepto.

Resp. dist. Maj. Finis ille non eſt de præcepto abſolutè, *C.* Hypotheticè, *N.* Sic honor parenti exhibendus poteſt abſolutè omitti, at ex hypotheſi, quod cum parente rem habueris, teneris honorare.

Inst. *Sextò.* Præceptum non eſt de impoſſibili: atqui moraliter impoſſibile eſt ut referamus actiones omnes ad finem bonum ultimum, obſtantibus animi diſtractionibus.

Resp. Dist. Min. Impoſſibile eſt ut referamus actiones omnes ad finem ultimum bonum, referamus actualiter, formaliter, expreſsè, *C.* Virtualiter, & implicitè, *N.* Nam ſufficit, ſi de Deo cogitaverimus aliquando, nec priorem illam retractaverimus intentionem, reliquæ actiones noſtræ virtualiter referri ad Deum conſentur.

Inst *Septimò.* Præceptum illud, ſi quod ſit, de referendis etiam virtualiter actionibus ad Deum, vel eſſet naturale, vel poſitivum; neutrum dici poteſt.

Resp. Nego Min. *Primò.* Eſt naturale, quia eſt præceptum juſtitiæ hominis erga Deum; cùm enim homo plus Deo debeat acceptum referre, quam poſſit, tenetur ſaltem referre quantum poteſt. Poteſt autem virtualiter referre ad illum actiones ſuas omnes. Secundò eſt poſitivum, & habetur tam in veteri teſtamento, *Diliges Dominum ex toto corde tuo*, &c. quàm in novo. *Sive edatis, ſive bibatis, ſive aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite.*

Inst. *Octavò.* Præceptum naturale non latet ſapientes, & Doctores: atqui præceptum de referendis actionibus omnibus ad Deum latet viros bene ſapientes; latuit, D. Bonaventuram, Scotum, & jam latet Scotiſtas: ergo non eſt naturale.

Resp. dist, Maj. Præceptum naturale pri-

marium, v g. Declina à malo, *C.* Secundarium, v. g. Noli duello confligere, *N.* At præceptum de referendis actionibus ad Deum eſt duntaxat naturale ſecundarium, longo ſed efficaci diſcurſu deductum ex præcepto juſtitiæ primario.

Inst. *Nonò.* Præceptum omne vel eſt affirmativum vel negativum: atqui præceptum de referendis actionibus ad Deum omnibus, neque eſt affirmativum, neque negativum; igitur nullum eſt.

Resp. Nego Min. *Primò* eſt affirmativum; quia jubet referre actiones ad Deum; *ſecundò* eſt negativum, quia vetat conſequenter, referre actiones ad creaturas tanquam finem ultimum.

Inst. *Decimò.* Præcepta affirmativa non ſemper obligant; ergo non ſemper tenemur noſtras ad Deum referre actiones.

Resp. Dist. Ant. Præcepta affirmativa non ſemper obligant quoad objectum actionis, *C.* Quoad finem ultimum, Subdistinguo, non obligant abſolutè, *C.* Hypotheticè, *N.* Atque in hoc diſcrepant à negativis, quæ ſemper abſolutè obligant, v. g. *Non occides.*

OBIECTIO II.

Actus liberi ſunt indifferentes: atqui dantur actus liberi; ergo & indifferentes.

Resp. Dist. Maj. Actus liberi ſunt indifferentes indifferentiâ quæ excludat neceſſitatem, *C.* indifferentia quæ excludat bonitatem & malitiam moralem, *N.* Scilicet vox iſta (indifferentes) eſt valdè æquivoca.

Instabis. Docent Logici, quod quidquid convenit ſpeciei, conveniat & individuo: atqui dantur actus indifferentes in ſpecie; ergo & in individuo.

Resp. Dist. Min. Dantur actus indifferentes in ſpecie phyſicâ, *C.* In ſpecie morali, *N.* Quare dantur quoque actus indifferentes in individuo phyſico ex parte objecti actionis: At non dantur indifferentes in individuo morali, ex parte finis ultimi.

Inst. *Secundò.* Datur medium inter finem ultimum bonum, & malum moraliter, ſicut inter animal rationale & irrationale; ergo dantur actus indifferen-

tes in individuo ex parte finis ultimi.

Resp. Dist. Ant. Datur medium inter finem ultimum bonum & malum, datur Logicè & in mente, *C.* Moraliter, & à parte rei, *N.* Quamvis enim finis ultimus generatim abſtrahat à bono & malo; reipſa tamen omnis actus humanus habet finem vel bonum, vel malum moraliter, vel Deum, vel creaturas.

Inst. *Tertiò.* Homo poteſt licitè agere propter finem ultimum ſenſibilem & jucundum; ergo datur finis moraliter nec bonus, nec malus.

Prob. Ant. Homo poteſt agere & quatenus animal, & quatenus rationalis: atqui quatenus animal poteſt conquieſcere in fine ſenſibili jucundo.

Resp. Dist. Min. Atqui homo quatenus animal poteſt conquieſcere in fine jucundo, in actibus hominis ſeu indeliberatis, *C.* In actibus humanis & deliberatis, *N.* Nam actus humanos tenetur conformare rationi.

Inst. *Quartò.* Tam homo ut animal poteſt conquieſcere in bono ſenſibili, quam ut rationalis poſſit conquieſcere in bono ſpiritali, in Deo.

Resp. Nego. Parit. Ratio diſp. eſt, quia operationes animalitatis debent eſſe ſubordinatæ rationi in homine, proindeque referri debent ad finem bonum ex præſcripto rationis.

Inst. *Quintò.* Quod convenit belluis ut animalibus, poteſt competere homini ut animali: atqui conquieſcere in bono ſenſibili, convenit belluis ut animalibus; ergo poteſt convenire homini ut animali.

Resp. Dist. Maj. Quod convenit belluis ut animalibus, convenit & homini ut animali, phyſicè loquendo, *C.* Moraliter loquendo, *N.* Ratio diſp. eſt quia appetitus ſentiens in belluis eſt ſui juris, at in homine ſubordinatur rationi.

Inst. *Sextò.* Ratio non mutat jura animalitatis: ergo non impedit quin licitè homo ut animal conquieſcat in ſenſibilibus.

Resp. Dist. Ant. Ratio non mutat jura animalitatis, quaſi ea eſſentialiter evertat, *C.* Dirigendo ad finem ſuperiorem, *N.*

II. PROPOSITIO.

Dantur actus quidam humani indifferentes in individuo.

Probatur. In principiis Scotiſtarum ſic. Ut dentur actus humani quidam indifferentes in individuo, ſatis eſt quod poſſit homo actus quoſdam humanos elicere propter finem indifferentem, nec bonum, nec malum moraliter; Atqui poteſt homo actus quoſdam elicere ſuos propter finem indifferentem; nam qui non tenetur actus omnes ſuos aliquâ honeſtate morali imbuere, poteſt quoſdam actus elicere propter finem indifferentem: atqui non tenetur homo actus omnes ſuos aliquâ honeſtate morali imbuere; ſi enim teneretur ad id, vel ex præcepto naturali, vel poſitivo, atqui nullâ lege, nec naturali, nec poſitivâ ad id aſtringitur homo; namque lex naturalis omnibus eſt comparata: lex poſitiva divina vel humana non latet viros eximiè ſapientes & doctos; atqui tamen lex iſta quâ teneatur homo omnes actus ſuos imbuere aliquâ honeſtate morali, fuit ignota viris benè doctis, ut S. Bonaventuræ, Scoto, jamque latet Scotiſtas omnes. Ergo nulla eſt lex quâ teneatur homo omnes actus ſuos imbuere aliquâ honeſtate morali, proindéque poteſt elicere quoſdam actus propter finem indifferentem; & ſic dantur actus quidam humani indifferentes in individuo.

OBJECTIO.

SI darentur actus quidam humani indifferentes in individuo, poſſet voluntas hominis in medio conſiſtere, ut neque bona eſſet neque mala moraliter. Atqui non poteſt voluntas hominis in medio conſiſtere, ut neque bona ſit neque mala, ut docet S. Auguſt. pluribus in locis. Ergo non dantur actus indifferentes.

Resp. Dist. Maj. Poſſet voluntas hominis in medio conſiſtere ratione actûs, nec boni, nec mali moraliter, C. Ratione ſtatûs, gratiæ, vel

peccati, N. Porrò non poteſt quidem voluntas hominis conſiſtere in medio ratione ſtatûs, quia ſemper eſt vel in ſtatu gratiæ, vel in ſtatu peccati; at poteſt conſiſtere in medio, ratione actûs, quia poteſt elicere actum, nec bonum, nec malum moraliter.

INSTABIS. Si quandò poſſet voluntas hominis in medio conſiſtere ratione actûs, maximè circa verbum aliquod otioſum; atqui verbum otioſum non eſt indifferens; ſiquidem de illo rationem reddent homines in die Judicii, ut expreſsè docet Chriſtus Dominus, Math. 12. verſ. 36.

RESP. DIST. MAJ. Si quandò poſſet hominis voluntas in medio conſiſtere ratione actûs, maximè circà verbum otioſum, negativè, C. Circà verbum otioſum privativè, N. Porrò quidem mala ſunt moraliter & damnanda, verba otioſa privativè, in quibus proferendis conſumitur plus temporis, quàm recta ratio permittat: quo ſenſu vituperatur otioſus homo. At non ſunt moraliter mala verba otioſa negativè, id eſt, verba quæ nec ad honeſtatem conducunt, nec ab honeſtate revocant: videtur autem Chriſtus Dominus loco citato, loqui de verbo otioſo privativè, id eſt, pernicioſo; id enim profert occaſione hujus quod impii Phariſæi dixerant; *Hic non ejicit Dæmones niſi in Beelzebub principe Dæmoniorum.*

INSTABIS. *Secundò.* Atqui actus otioſus negativè eſt moraliter malus. PROBATUR SUBS. *Qui non colligit mecum, diſpergit*, inquit Chriſtus in Evang. Atqui qui elicit actus otioſos negativè, ſeu non bonos, non colligit cum Chriſto. Ergo diſpergit, proindéque peccat.

RESP. DIST. MAJ. Qui non colligit cum Chriſto, diſpergit, quando & quoties tenetur colligere, C. Quando non tenetur colligere, N. Porrò nullâ lege tenetur homo ſuos omnes actus ad Deum referre, nec lege naturali, nec poſitivâ, divinâ, vel humanâ.

INST. *Tertiò.* Ille tenetur actus omnes ſuos ad Deum referre, qui ſive edat, ſive bibat, ſive aliud quid faciat, omnia debet in gloriam Dei facere; atqui ad id tenetur homo lege divinâ, quam tradit Apoſtolus in Epiſt. 1. ad Corinth. Cap. 10.

Resp. Dist. Maj. Qui tenetur omnia in gloriam Dei facere, poſitivè, ita ut ſemper in omnibus actibus ſuis poſitivè intendat Dei gloriam, *C.* Qui tenetur omnia in gloriam Dei facere negativè, id eſt, nihil facere contra Dei gloriam, *N.* Porrò debet quidem homo omnia in gloriam Dei facere negativè, ita ut nihil unquam faciat contra Dei gloriam; at non tenetur omnia in gloriam Dei facere poſitivè; tametſi enim Deus ſit omnium actuum noſtrorum Dominus, nihilominus tamen non eſt ira eorum exactor, ut omnes noſtros motus & actus abſolutè præcipiat ad ſui gloriam eſſe referendos.

Inst. *Quartò.* Atqui tenetur homo ſuos omnes actus ad Deum referre poſitivè.

Prob. Subs. Ille tenetur ſuos omnes actus ad Deum referre poſitivè, cui licitum non eſt quieſcere in creaturâ tanquam in fine ultimo. Atqui homini licitum non eſt quieſcere in creaturâ tanquam in fine ultimo: quia ſic violaret legem charitatis, juſtitiæ & gratitudinis. Ergo tenetur homo ſuos omnes actus ad Deum referre.

Resp. dist. Maj. Cui licitum non eſt quieſcere in creaturâ tanquam in fine ultimo negativè, *C.* Tanquam in fine ultimo poſitivè, *N.* Porrò non eſt quidem homini licitum quieſcere in creaturâ poſitivè, ita ut creaturam ponat ſibi pro fine ultimo principali; at poteſt homo quieſcere in creaturâ negativè, quia poteſt non ulteriùs tendere, nec actionem ſuam ad Deum poſitivè referre.

Inst. *Quintò.* Si quandò poſſet homo licitè quieſcere in creaturâ, nec ulteriùs tendere ad Deum; jam non teneretur diligere Deum ex toto corde, ex totis viribus. Atqui tamen ad id tenetur homo.

Resp. Dist. Maj. Jam non teneretur homo diligere Deum ex toto corde, totis viribus, intenſivè, ſeu ordinativè, *C.* appretiativè, *N.* Porrò tenetur quidem homo Deum diligere ex totis viribus appretiativè, id eſt, Deum pluris facere, quàm quodcumque aliud bonum; at non tenetur Deum diligere ex totis viribus ordinativè, quia nullâ lege tenetur ordinare ſuos omnes actus in Deum.

Inst. *Sextò.* Tenetur homo omnia ſua Deo rependere titulo juſtitiæ & gratitudinis, quia *cujus eſt fundus, hujus eſt fructus.*

Resp. Dist. Tenetur homo omnia ſua Deo rependere repetenti vel præcipienti, *C.* Deo non repetenti, ſed permittenti, *N.* Porrò Deus non repetit omnes actiones noſtras.

Inst. *Septimò.* Tam Deus poſtulat ut omnes actiones humanæ pendeant ab ipſo tanquam fine ultimo, quam poſtulet, ut pendeant ab ipſo tanquam causâ primâ efficiente; atqui hoc poſterius verum eſt.

Resp. nego Maj. & parit. Ratio diſparit. eſt, quia Deus ut prima cauſa efficiens, eſt cauſa eſſendi ſimpliciter, ſeu bonitatis naturalis; at verò Deus ut finis ultimus moralis, non eſt cauſa eſſendi ſimpliciter, ſed benè & honeſtè eſſendi. Porrò bonitas moralis, ſeu honeſtas non ſe extendit ad omnes actiones, ſicut bonitas naturalis & phyſica ſe ſe extendit ad omnes. Quare illud tantùm concludi debet, quod non refertur ad Deum tanquam ad finem ultimum moralem, non eſſe bene & honeſtè; at non ſtatim eſt malè, quia poteſt eſſe indifferenter.

Inst. *Octavò.* Tam homo tenetur ſemper agere conformiter dictamini rationis circà finem honeſtum, quàm belluæ teneantur ſemper agere conformiter naturæ ſenſitivæ circà finem jucundum. Atqui hoc poſterius verum eſt.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparit. eſt, quia belluæ operantur uno tantùm modo, & habent unum duntaxat bonum propoſitum, nempè ſenſibile & jucundum. At homo non uno tantùm operatur modo, cùm ſit agens liberum, nec unum duntaxat bonum habet ſibi propoſitum, ſed multiplex, nempè honeſtum & jucundum; ideóque poteſt intendere bonum honeſtum inter operandum benè, & jucundum inter operandum indifferenter.

QUÆSTIO NONA.

An Virtus moralis ſit habitus eſſentialiter bonus.

I. PROPOSITIO.

Virtus moralis eſt habitus eſſentialiter bonus.

Probatur. Ille habitus eſt eſſentialiter bonus qui eſſentialiter eſt rectæ rationi conformis, atque honeſtati morali: atqui Virtus moralis eſt eſſentialiter conformis rectæ rationi, cùm dirigatur à prudentiâ, ideóque definitur, *habitus electivus in eâ mediocritate conſiſtens, quam Vir prudens præſcripſerit:* Ergo Virtus moralis eſt habitus eſſentialiter bonus.

OBIECTIO.

Habitus indifferens, non eſt eſſentialiter bonus: Atqui virtus moralis eſt habitus indifferens.

Prob. Min. Habitus liber & electivus, eſt indifferens: atqui virtus moralis eſt habitus liber & electivus, ut liquet ex ejus definitione.

Resp. Dist. Maj. Habitus liber & electivus eſt indifferens, id eſt, poteſt erumpere, vel non erumpere in actum, C. Eſt indifferens, id eſt, poteſt inclinare ad bonum & malum promiſcuè, N.

Instabis. Ille habitus eſt indifferens eâ ratione ut poſſit inclinare ad bonum & malum, qui poteſt concurrere ad actus moraliter malos: atqui virtus moralis poteſt concurrere ad actus moraliter malos, v. g. ad actum ſuperbiæ, putà ſi quis ſuperbiat de virtute ſuâ.

Resp. Dist. Maj. Qui poteſt concurrere ad actus malos inſtar principii actuum malorum, C. Inſtar objecti & occaſionis actuum malorum, N. Porro virtus moralis poteſt quidem eſſe objectum & occaſio actûs mali, v. g. ſuperbiæ; at non poteſt eſſe

principium actûs mali, quia per ſe tendit ad honeſtatem.

Inst. *Secundò.* Ille habitus poteſt eſſe principium actuum malorum, qui poteſt indifferenter habere finem bonum & malum moraliter: atqui virtus moralis eſt hujuſmodi.

Prob. Min. Suppono quempiam Chriſtianum per plures annos jejunâſſe propter bonum finem, v. g. propter Chriſtum; & ſubindè jejunare propter malum finem, v. g. propter inanem gloriam: atqui in illâ hypotheſi, temperantia indifferenter habet bonum & malum finem.

Resp. Dist. Min. Atqui temperantia habet bonum & malum finem, temperantia famulans ſeu imperata, quæ reſidet in appetitu ſentiente, *C.* Temperantia imperans & principalis quæ reſidet in voluntate, *N.* Nempè præter virtutem temperantiæ reſidentem in voluntate, ſunt quidam habitus alii famulantes, qui reſident in appetitu ſenſitivo, ipſúmque veluti frænant.

Inst. *Tertiò.* Habitus temperantiæ imperans, eſt habitus ille temperantiæ qui reſidet in voluntate: atqui in noſtrâ hypotheſi habitus qui reſidet in voluntate concurrit ad jejunandum propter malum finem.

Prob. Min. Tunc habitus temperantiæ reſidens in voluntate concurrit ad jejunandum propter malum finem, cùm voluntas experitur facilitatem ad jejunandum propter malum finem: atqui in noſtrâ hypotheſi voluntas experitur facilitatem ad jejunandum propter malum finem.

Resp. Dist. Maj. Cùm voluntas experitur facilitatem ad jejunandum propter malum finem, facilitatem poſitivam, *C.* Negativam tantùm, *N.* Porrò quam experitur ſubindè voluntas in jejunando facilitatem, ea ſolùm eſt negativa, quæ oritur ex ſolâ remotione impedimentorum in appetitu ſenſitivo, qui per frequens jejunandi exercitium eſt abundè domitus: ſicut qui domitum conſcendit equum, experitur facilitatem in eo quò voluerit flectendo.

Inst. *Quartò.* Ea facilitas eſt poſitiva quæ oritur ex habitu poſitivo: atqui major illa jejunandi propter malum finem facilitas, oritur ex habitu poſitivo. Ergo poſitiva eſt.

Resp.

Resp. Dist. Min. Atqui major illa jejunandi facilitas oritur ex habitu poſitivo famulante, & qui reſideat in appetitu ſenticute, C. Ex habitu poſitivo imperante, & qui reſideat in ipſâ voluntate, N.

Inst. *Quintò.* Si quid impediret quominus major ea voluntatis facilitas ad jejunandum oriretur ex habitu temperantiæ poſitivo imperante, maximè, quia temperantia imperans exigit eſſentialiter motivum honeſtatis: Atqui non exigit eſſentialiter motivum honeſtatis.

Resp. Nego Min. Quippè cùm faciat hominem ſimpliciter bonum debet habere motivum eſſentialiter honeſtum.

Inst. *Sextò.* Habitus temperantiæ imperans non exigit eſſentialiter quod non eſt ſibi intrinſecum: atqui motivum honeſtatis non eſt intrinſecum temperantiæ imperanti; ſiquidem finis eſt extrinſecus agenti.

Resp. Dist. Maj. Quod non eſt ſibi intrinſecùm, nec eſſentialiter connotatum, C. Et eſt eſſentialiter connotatum, N. At finis honeſtus eſſentialiter connotatur à virtute morali, ſicut veritas connotatur à virtute intellectuali.

II. PROPOSITIO.

Virtus moralis non eſt habitus eſſentialiter bonus.

Probatur. Habitus ille non eſt eſſentialiter bonus, qui inclinat ad actus modò bonos, modò malos: atqui habitus virtutis moralis inclinat ad actus modò bonos, modò malos; ſi quis enim diu abſtineat à cibo in honorem veri Dei, & ſub ndè factus miſer apoſtata incipiat abſtinere à cibo in honorem Idolorum, tunc habitus temperantiæ qui primâ vice inclinabat ad actus bonos, poſtremò incli at ad malos actus, nempè ad jejunandum in honor m falſi nu-

minis. Ergo habitus virtutis moralis non eſt bonus eſſentialiter.

OBJECTIO.

Habitus ille eſt eſſentialiter bonus, qui ſemper inclinat ad bonum morale. Atqui habitus virtutis moralis ſemper inclinat ad bonum morale.

Prob. Min. Tam habitus virtutis moralis inclinat ſemper ad bonum morale, quam habitus virtutis intellectualis, ut v. g. ſcientiæ, inclinet ſemper ad verum intellectuale: atqui hoc poſterius certum eſt.

Resp. nego Maj. & parit. Ratio diſparitas eſt, quia virtus intellectualis adæquatè & unicè æſtimatur ab objecto, quod eſt verum ut verum: At virtus moralis æſtimatur non ſolùm ab objecto, ſed etiam à fine & circumſtantiis, quæ quia variari poſſunt in moralibus, ideò & variari poteſt habitûs moralis bonitas & malitia.

Instabis. Ideò virtus intellectualis ſemper inclinat ad verum, quia ſpecificatur à vero ut vero; atqui pariter virtus moralis ſpecificatur à bono ut bono: ergo par utrobique ratio.

Resp. Dist. Min. Atqui pariter virtus moralis ſpecificatur à bono ut bono objecto, ſeu officio, C. A bono fine, N. Namque bonitas finis eſt accidentaria habitui virtutis, v. g. temperantiæ.

Inst. *Secundò.* Ille habitus ſpecificatur à bono fine, qui non poteſt inclinare ad actus vitioſos; atqui habitus virtutis moralis non poteſt inclinare ad actus vitioſos; alioqui jam non eſſet habitus virtutis, ſed vitii.

Resp. dist. Min. Atqui habitus virtutis moralis non poteſt inclinare ad actus vitioſos, ſi ſit habitus virtutis formaliter ſumptus, ut eſt virtutis, C. ſi ſit habitus materialiter ſumptus, ut eſt indifferens ad bonum vel malum finem, N. Sic enim flecti poteſt & ad bonum & ad malum, juxtà intentionem agentis.

Inst. *Tertiò.* Habitus virtutis non inclinat niſi ad actus ſimiles iis actibus quibus primâ vice pro-

ductus eſt : atqui productus eſt bonis actibus ; ergo inclinat ſemper ad bonos.

Resp. Dist. Maj. Habitus virtutis non inclinat niſi ad actus ſimiles iis actibus quibus productus eſt, ſimiles ratione objecti ſeu officii, *C.* Similes ratione finis & circumſtantiarum, *N.* Nam ratio finis eſt extrinſeca & prorsùs accidentaria habitui virtutis; v. g. abſtinere à cibo in honorem, vel veri Numinis, vel Jovis.

Inst. *Quartò.* Habitus virtutis inclinat ſemper ad actus ſimiles ratione objecti actibus quibus productus eſt ; ergo etiam inclinat ſemper ad actus ſimiles ratione finis actibus quibus productus eſt.

Resp. Nego Conſ. & parit. Ratio diſparit. eſt ; quia ratio finis eſt extrinſeca habitui virtutis ; ratio autem objecti ſeu officii intrinſeca.

Inst. *Quintò.* Ratio finis eſt intrinſeca habitui qui connotat finem honeſtum rectæ rationi conformem : atqui habitus virtutis moralis connotat finem honeſtum & conformem rectæ rationi ; ergo ratio finis boni atque honeſti eſt intrinſeca habitui virtutis.

Resp. Dist. Maj. Qui connotat finem honeſtum, connotat per ſe & ex intentione operis, *C.* Connotat per accidens, & ex fine operantis tantùm, *N.* Porrò non niſi per accidens eſt quod habitus virtutis moralis connotet finem honeſtum, v. g. quod habitus jejunandi connotet honorem Dei ; ſiquidem poteſt & ad malum finem detorqueri.

QUÆSTIO DECIMA.

De Medio virtutis moralis.

PROPOSITIO.

Juſtitia etiam vindex noneſt in Medio formaliter.

PROBATUR. Ea virtus non eſt in medio formaliter contrà quam nemo peccare poteſt per exceſſum; atqui contrà Juſtitiam nemo peccare poteſt per exceſſum: nam nemo peccare poteſt per exceſſum contrà virtutem in cujus materiâ non poteſt eſſe exceſſus tali virtuti oppoſitus; atqui in materiâ juſtitiæ non poteſt eſſe exceſſus injurioſus; etenim materia juſtitiæ eſt bonum cuique quod ſuum eſt præſtandum. Atqui in bonis eſſe non poteſt exceſſus injurioſus: atque ut res pateat magis, excurramus per ſingulas juſtitiæ ſpecies.

Si debeas Titio quinquaginta nummos, & reddas centum, excedis profectò in materiâ juſtitiæ commutativæ; at exceſſus iſte non eſt injurioſus Titio, quia nihil adimis de jure Titii.

Si militiæ Dux inter diſtribuenda militibus ſuis ſpolia, det Sempronio quinquaginta nummos, cui debentur viginti duntaxat, excedit profectò in materiâ juſtitiæ diſtributivæ; at exceſſus iſte non eſt injurioſus Sempronio, ut per ſe patet.

Si Judex crudelis graviores, quam par ſit, pœnas decernat in ſontem, v. g. crurifragium pro ſuſpendio, non peccat in materiâ juſtitiæ vindicis per exceſſum injurioſum; nam excedit quidem in materiâ juſtitiæ vindicis reſpectu actoris pœnas repoſcentis ſonti infligendas; at exceſſus iſte non eſt actori injurioſus, imò firmat jus ipſius: intereà Judex facit injuriam ſonti, ſed per defectum, quatenùs non ſatis curat conſervationem corporis de cætero illæſi poſt exolutas pœnas: pœnæ autem non ſunt materia juſtitiæ

vindicis reſpectu ſontis, cùm non ſint ejus emolumentum. Ergo contrà juſtitiam nemo poteſt peccare per exceſſum, proindéque juſtitia non eſt in medio formaliter.

OBJECTIO.

EA virtus eſt in medio formaliter quæ hinc inde duobus oppugnatur vitiis, per exceſſum & per defectum. Atqui juſtitia vindex eſt hujuſmodi.

PROB. MIN. Quæ ratio probat temperantiam oppugnari vitio per exceſſum, eadem probat juſtitiam oppugnari exceſſu.

RESP. NEGO parit. Ratio diſp. eſt, quia datur exceſſus in materia temperantiæ, temperantiæ contrarius, v. g. ebrietas. At verò dari non poteſt exceſſus in materiâ juſtitiæ, contrarius juſtitiæ; ſiquidem materia juſtitiæ eſt bonum cuique reddendum, non poteſt autem eſſe exceſſus in bonis qui pugnet contrà juſtitiam.

INSTABIS. Idcò temperantia oppugnatur vitio per exceſſum: quia datur exceſſus in materiâ temperantiæ: atqui pariter dari poteſt exceſſus in materiâ juſtitiæ, v. g. crurifragium pro ſuſpendio.

RESP. DIST. MIN. Atqui dari poteſt exceſſus in materiâ juſtitiæ, qui non ſit injurioſus, ideóque non pugnet contrà juſtitiam, *C*. Exceſſus qui ſit injurioſus, *N*. Nam ſi actor repoſcat ſuſpendium ſonti infligendum, Judex autem decernat crurifragium, exceſſus ille non eſt actori injurioſus.

INST. *Secundò*. Exceſſus in pœnis eſt ſonti valdè injurioſus.

RESP. DIST. Exceſſus in pœnis eſt ſonti injurioſus, ſub eo reſpectu, ſub quo non eſt in materiâ juſtitiæ reſpectu ſontis, *C*. Sub eo reſpectu, ſub quo eſt in materiâ juſtitiæ, *N*. Nam pœnæ ſunt quidem materia juſtitiæ reſpectu actoris, at non reſpectu ſontis.

INST. *Tertiò*. Atqui pœnæ ſunt materia juſtitiæ vindicis reſpectu ſontis.

PROB. SUBS. Tam pœnæ ſunt materia juſtitiæ

vindicis reſpectu ſontis, quàm præmia ſint materia juſtitiæ remunerativæ reſpectu merentis.

Resp. Nego parit. Ratio diſp. eſt, quia præmia ſunt bona merenti, ita ut in ea jus acquirat qui meretur. At pœnæ non ſunt bonæ ſonti, nullùmque jus acquirit in pœnas qui facinus perpetrat, quia jus non eſt niſi in bona.

Inst. *Quartò.* Quod eſt ſonti debitum, eſt materia juſtitiæ vindicis reſpectu ſontis, ſicut præmia reſpectu merentis. Atqui pœnæ ſunt debitæ ſonti.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt ſonti debitum propriè, & propter jus repoſcendi, *C.* Impropriè & ſine jure repoſcendi, *N.* At non niſi impropriè debentur ſonti pœnæ, neque jus habet ſons in pœnas repoſcendas.

Inst. *Quintò.* Illud eſt ſonti propriè debitum à quo denominatur & ſpecificatur juſtitia vindex; atqui à pœnis ſpecificatur juſtitia vindex.

Resp. Dist. Min. Atqui à pœnis infligendis ſpecificatur juſtitia vindex tanquam à materiâ ſuâ reſpectu actoris, *C.* Tanquam à materiâ ſuâ reſpectu ſontis, N. Scilicet juſtitia quam debet exercere Judex reſpectu ſontis connotat & ſupponit pœnas infligendas tanquam materiam juſtitiæ reſpectu actoris pœnas repoſcentis. At ipſa habet pro materia ſuâ reſpectu ſontis, jus ſontis de cætero conſervandum.

Inst. *Sextò.* Illud eſt materia juſtitiæ vindicis reſpectu ſontis, de quo ſons conqueri poteſt tanquam de exceſſu ſibi injurioſo. Atqui ſons meritò conqueri poteſt de gravioribus pœnis ſibi illatis.

Resp. Dist. Maj. De quo ſons conqueri poteſt tanquam de exceſſu in materiâ juris ſui, *C.* In materiâ juris alieni, *N.* At ſons conqueritur de gravioribus pœnis tanquam de exceſſu in materiâ juris reïpublicæ, non autem in materiâ juris ſui: igitur ſons conqueri poteſt, quod dum ſine injuriâ actoris plus boni tribuitur actori quàm repoſcat, minùs ei tribuatur juris ſibi debiti in conſervatione corporis de cætero illæſi; atque ita defectus eſt juſtitiæ contrà ſontem.

QUÆSTIO UNDECIMA.

De ſubjecto Fortitudinis & Temperantiæ.

PROPOSITIO.

Fortitudo & Temperantia reſident in voluntate tanquam in ſubjecto.

Probatur. Habitus formaliter electivus & ſpiritalis reſidet in facultate formaliter electiva & ſpiritali : atqui fortitudo & temperantia ſunt habitus formaliter electivi & ſpiritales, quia virtus moralis definitur, *habitus electivus, &c.* ſola autem voluntas eſt facultas electiva ſimul & ſpiritalis ; ergo fortitudo & temperantia reſident in voluntate tanquam in ſubjecto.

OBIECTIO.

Partes irrationales ſunt appetitus concupiſcens & iraſcens, non autem voluntas : atqui fortitudo & temperantia ſunt in partibus hominis irrationalibus (ex Philoſopho.)

Resp. Dist. Min. Atqui fortitudo & temperantia ſunt in partibus irrationalibus, ſunt objectivè, tanquam circa proprium objectum, *C.* Sunt ſubjectivè, tanquam in ſubjecto ſuò, *N.* Sicut enim prudentia eſt ſubjectivè in intellectu, & objectivè in voluntate cujus dirigit actiones : Ita fortitudo & temperantia ſunt ſubjectivè in voluntate, objectivè autem in appetitu ſentiente, cujus moderatur paſſiones.

Instabis. Fortitudo & temperantia ſunt ſubjectivè in eâ facultate quam dirigunt : atqui dirigunt appetitum ſentientem ejuſque paſſiones.

Resp. dist. maj. Sunt in ea facultate, quam dirigunt immediatè, *C.* Mediatè tantùm, *N.* Sicut enim equus dirigitur ab habenis mediante manu equitis, ita appetitus ſentiens dirigitur à fortitudine mediante voluntate.

Inst. *Secundò.* Ea facultas immediatè dirigitur à virtute, cujus actus ſunt virtutis moralis actiones: atqui actus appetitus ſentientis ſunt virtutis moralis actiones, v. g. Modica ciborum ſumptio.

Resp. Dist. Maj. Cujus actus ſunt virtutis moralis actiones elicitæ ſeu imperantes, *C.* Imperatæ tantùm & ſubordinatæ, *N.* Porrò actus appetitus ſenſitivi poſſunt eſſe virtutis actiones ſed imperatæ à voluntate, non autem imperantes & elicitæ, quia nec ſunt liberæ per ſe nec honeſtæ; alioqui dicendum eſſet vim motricem eſſe per ſe capacem alicujus virtutis moralis.

Inst. *Tertiò.* Moderatio timoris & audaciæ in periculis mortis, eſt actio virtutis imperans: atqui moderatio hæc pertinet ad appetitum; quia ad eandem facultatem pertinet moderatè vivere, cujus eſt poſſe excedere & deficere.

Resp. Dist. Maj. Moderatio timoris & audaciæ eſt actio virtutis imperans, moderatio prout ſe tenet ex parte voluntatis imperantis, *C.* Prout ſe tenet ex parte appetitus ſenſitivi obſequentis, *N.* Imperat voluntas moderationem timoris, & appetitus exequitur.

Inst. *Quartò.* Actus fortitudinis non eſt illius facultatis, quæ non habet pro objecto pericula mortis pertimeſcenda; atqui voluntas non habet pro objecto pericula mortis pertimeſcenda.

Prob. Min. Facultas de ſe immortalis non habet pericula mortis pertimeſcenda: atqui voluntas de ſe eſt immortalis.

Resp. Dist. Maj. Facultas immortalis tam affectivè quam entitativè, *C.* Entitativè tantùm, *N.* Porro voluntas eſt quidem immortalis entitativè, ſed non affectivè; ſiquidem eſt facultas individui mortalis cujus gratiâ tenetur pertimeſcere mortem.

Inst. *Sextò.* Atqui facultas entitativè immortalis, nequit verſari circa pericula mortis.

Prob Subs. Facultas omnis ſpecificatur ab objecto circa quod verſatur; ergo ſi ſit entitativè ſpiritalis & immortalis, nequit verſari circa objectum materiale, quale eſt periculum mortis.

Resp. dist. Ant. Facultas ſpecificatur ab objecto ſimul & à modo tendendi in objectum, *C.* Ab

objecto materiali præciſè, *N.* Alioqui intellectus eſſet materialis eò quod verſetur circa res materiales cognoſcendas.

INST. *Sextò.* Facultas materialis reſtringitur ad materialia; ergo & ſpiritalis ad ſpiritalia.

RESP. NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt quia qui poteſt plus, poteſt & minus; ſed non vice verſâ; facultas ſpiritalis eſt univerſaliſſima, materialis eſt valdè limitata.

QUÆSTIO DUODECIMA.

An Judex debeat judicare ſecundùm allegata & probata contra propriam ſcientiam.

I. PROPOSITIO.

Judex, ex hypotheſi quod ſententiam ferre teneatur, in cauſa capitali debet judicare ſecundùm allegata & probata, reclamante privatâ ſuâ ſcientiâ.

PROBATUR. Perſona publica, ut publica, debet uti ſcientiâ publicâ ut publica: atqui Judex ut Judex in ferendâ ſententiâ, eſt perſona publica, ut publica; ergo debet uti ſcientiâ publicâ: atqui ſcientia judicis publica eſt ea quæ habetur ex allegatis & probatis; ergo Judex ut Judex in ferendâ ſententiâ, debet judicare ſecundum allegata & probata; reclamante licet privatâ ſuâ ſcientiâ.

OBJECTIO.

NEfas eſt judici condemnare innocentem: atqui ſi judex judicaret ſecundùm allegata & probata reclamante ſuâ ſcientiâ, jam condemnaret innocentem.

RESP. DIST. MAJ. Nefas eſt condemnare innocentem, cujus innocentia ſit publicè nota, *C*, Cu-

jus innocentia ſit privatim tantum nota, *N*. Nam in judice ut judice, privata ſcientia computatur pro nullâ.

Instabis. Judex debet potius abſtinere à judicio, quam innocentem condemnare, cujus innocentia eſt tantùm privatim nota; ergo non debet judicare.

Resp. Dist. Ant. Debet potius abſtinere à judicio, ſi poſſit de conſenſu reipublicæ, *C*. Si non poſſit, nolente republicâ, *N*. At ſupponimus in præſenti quæſtione judicem velle quidem, ſed non poſſe abſtinere à ferendâ ſententiâ.

Inst. *Secundo.* Judex non debet ſe ſe contaminare peccato lethali: atqui ſi judicaret ex allegatis & probatis contra privatam ſcientiam ſe ſe contaminaret peccato mortali.

Prob. Min. Quicumque agit contra conſcientiam in re gravi peccat mortaliter: atqui judex in noſtro caſu ageret contra ſuam conſcientiam.

Prob. Min. Qui decernit pœnas in eum quem certo novit nullas eſſe promeritum, is agit contra ſuam conſcientiam: atqui judex in noſtro caſu decerneret pœnas in eum quem certò noſſet nullas eſſe promeritum.

Resp. dist. Maj. Quem certo novit nullas eſſe promeritum, ſcientiâ publicâ quâ tenetur uti, *C*. Scientiâ privatâ, quam tenetur veluti obliviſci, *N*. Nam judex ut judex non agit ſuo nomine, nihilque debet ex arbitrio ſuo facere, ſed juxta quod leges & jura pronunciant.

Inst. *Tertiò.* Judex tenetur ſcientiam veram anteponere ſcientiæ falſæ: atqui ſcientia allegatorum eſt falſa, ut ſupponitur, ſcientia judicis propria eſt vera; ergo debet anteponere ſcientiam privatam ſcientiæ allegatorum.

Resp. Dist. Maj. Judex debet anteponere ſcientiam veram ſcientiæ falſæ, ſi cætera ſint paria, ideſt ſi utraque ſcientia ſit publica, vel utraque privata, *C*. Secùs, ideſt ſi vera ſit privata, & publica ſit falſa, nec ut talis innoteſcat publicè, *N*. Judex enim eſt perſona publica.

Inst. *Quarto.* Judex nullâ ratione debet audire vocem mendacii: atqui in caſu noſtro, audiret vocem mendacii, falſa nempe teſtimonia.

Resp. Dist. Maj. Si mendacium illud poſſit publicè detegi, C. Si non poſſit, N.

Inst. *Quintò.* Graviter peccant, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt ex Apoſt. Rom. 1. Atqui Judex qui judicaret ex allegatis, conſentiret facientibus mala, ſi quidem annueret falſis teſtibus.

Resp. Nego min.. Neque enim dici poteſt conſentire mentientibus qui publicè deteſtatur mendacium, & pofitetur ſe paratum eſſe abdicare ſe magiſtratu, ſi ſineret reſpublica.

Inst. *Sextò.* Judex cauſam adjudicaret falſis teſtibus & quidem cognitis; ergo conſentiret mentientibus.

Resp. Dist. Cauſam adjudicaret falſis teſtibus, ut ſuo fungens officio perſonæ publicæ, & cum ſincerâ execratione mendacii, C. Proprio nutu, N. ſiquidem ſupponitur abhorrere à mendacio teſtium; hinc quidquid eſt peccati redundat in teſtes, at non in judicem.

Inst. *Septimò.* Si Petrus ſciret certò Mariam non eſſe uxorem ſuam, non poſſet eam accipere in uxorem, tametſi teſtes affirmarent eſſe; ergo à pari ſi judex certò ſciat Petrum eſſe innocentem non poteſt eum condemnare, tametſi falſi teſtes affirment eſſe reum.

Resp. nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt quia ſcire Mariam eſſe uxorem, eſt negotium privatum ut privatum.

II. PROPOSITIO.

Judex non debet in causâ capitali judicare ſecundùm allegata & probata, reclamante privatâ ſuâ ſcientiâ.

Probatur. Judex nullâ ratione debet innocentem ſibi cognitum ut talem occidere: atqui ſi Judex judicaret in causâ capitali ſecundùm allegata & probata reclamante privatâ ſcientiâ, occideret innocentem ſibi cognitum ut talem: ergo Judex non debet judicare ſecundùm allegata & probata reclamante privatâ ſuâ ſcientiâ.

OBJECTIO.

JUdex debet judicare ſecundùm allegatá, & probata reclamante privatâ ſcientiâ, ſi in ore duorum vel trium teſtium debeat perire accuſatus: atqui *in ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur:* Deuteron. cap. 17. ergo debet judex judicare ſecundùm allegata teſtium & probata.

Resp. Dist. Min. In ore duorum vel trium teſtium peribit qui interficietur, ideſt non poterit damnari quiſquam ſine duorum vel trium teſtimonio, C. Ideſt damnabitur in quem inſurrexerint duo vel tres falſi teſtes cogniti ut tales à judice, N. Hinc ibidem ſtatim ſubjungitur, *Nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium.*

Instabis. Perſona publica ut publica debet ſequi ſcientiam publicam: atqui judex ut judex eſt perſona publica; ergo debet ſequi ſcientiam publicam ex depoſitione teſtium.

Resp. Dist. Min. Atqui judex ut judex eſt perſona publica, ſi ſententiam fert & judicat, C. Si abſtinet à judicando, N. Licèt enim non debeat judex uti privatâ ſuâ ſcientiâ ut innocentem criminis accuſatum abſolvat, eâ tamen uti poteſt & debet, ut abſtineat à judicio in accuſatum innocentem ferendo ne audiat vocem mendacii & à vero deviet.

Inst. *Secundò.* Non magis judex abſtinere debet à judicando ſecundùm allegata & probata, contra privatam ſcientiam; quam Sacerdos à porrigendo ſacram ſynaxim homini quem privatâ ſcientiâ noſſet cum peccato mortali accedere: atqui hoc poſterius verum eſt, & conſtat exemplo Chriſti Domini qui Judæ proditori ſibi cognito ut tali corpus ſuum porrexit; ergo, &c.

Resp. Nego Maj. Et parit. Ratio diſp. eſt quia Sacerdos porrigens Chriſti corpus homini quem novit infectum peccato lethali, nihil facit contrà præceptum naturale, imò facit hoc ut vitet ſcandalum: at verò judex condemnans innocentem ex allegatis falſorum teſtium reclamante propriâ ſcientiâ, violaret præceptum hoc naturale, *Inſontem & juſtum non occides.*

Inst.

INST. *Tertiò.* Ille tenetur judicare ſecundùm depoſitionem teſtium, qui alligatur depoſitioni teſtium : atqui judex ut judex alligatur depoſitioni teſtium, alioqui fruſtrà teſtes adhiberentur in judiciis ; ergo tenetur judex judicare ſecundùm allegata & probata.

RESP. DIST. MIN. Atqui judex alligatur depoſitioni teſtium, ſi privata ſciencia non reclamet, *C.* Si reclamet ſcientia privata, *N.* Quanquam enim teneatur ſequi depoſitionem teſtium in ferendâ ſuâ ſententiâ ; non tenetur tamen ei adhærere, ſi abſtineat, ut par eſt, à judicando.

INST. *Quartò.* Idcircò teneretur judex in noſtrâ hypotheſi abſtinere à ferendâ, quia nullâ ratione licet occidere innocentem : atqui falſum eſt quod nullâ ratione, nullo in caſu id liceat.

PROB. MIN. Licet iis qui urbes obſident explodere tormenta bellica verſus illam urbis partem in qua obſeſſi, omnes parvulos collocaſſent ; ergo licet aliquandò propter bonum publicum innocentes opprimere.

RESP. DIST. Conſeq. Licet aliquandò innocentes opprimere, modò id fiat indirectè tantùm, *C.* Si id fiat directè, *N.* Igitur obſeſſor directè non intendit occidere parvulos inſontes ; primarius enim ejus finis eſt dejicere muros ut fiat poſſeſſor urbis : Secùs autem eſt de judice, cujus finis primarius eſt conſervare innocentes, quos tamen directè opprimeret, ſi judicaret ex allegatis.

INST. *Quintò.* Non magis judex judicando ſecundùm allegata, & probata cenſeretur directè occidere innocentem, quàm carnifex juſtitiæ miniſter exequendo ſententiam mortis in eum quem certò noſſet innocentem.

RESP. NEGO Parit. Ratio diſparit. eſt quia carnifex eſt nudum juſtitiæ inſtrumentum, cujus proinde non eſt in patientis innocentiam inquirere ; at verò judex eſt cauſæ cognitor, in cujus conſcientiâ lex naturalis depoſuit authoritatem conſervandi innocentis quoad fieri poteſt.

PARS PHILOSOPHIÆ TERTIA.

DE REBUS

METAPHYSICIS.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentiâ & Naturâ Metaphyſices.

PROPOSITIO.

Exiſtit Metaphyſica.

PROBATUR. Nomine Metaphyſices intelligitur ſcientia entis realis ab omni materiâ ſecreti : atqui exiſtit ſcientia entis realis ab omni materiâ ſecreti ; nam certò atque evidenter novimus, *Ens eſſe intelligibile quia verum eſt ; Deum exiſtere, quia exiſtunt creaturæ ; Animam rationalem eſſe immortalem, quia eſt ſubſtantia ſpiritalis.* Ergò exiſtit Metaphyſica.

OBJECTIO.

SI qua datur Metaphyſica, inutiles ſunt aliæ ſcientiæ ; falſum conſequens.

PROB. MAJ. Tunc inutiles erunt aliæ ſcientiæ, cum dabitur ſcientia quæ ſpectet objectum omnium ſcientiarum : atqui ſi qua datur Metaphyſica ſpectat objectum omnium ſcientiarum nempe ens omne.

RESP. DIST. MAJ. Cum dabitur ſcientia quæ ſpectet objectum formale omnium ſcientiarum, C. Objectum materiale, N. At ens, quod eſt commun Metaphyſicæ cum aliis ſcientiis, aliter ab ipsâ, aliter

ab aliis ſpectatur ; ab ipsâ quidem ſpectatur ens ut ens generatim : Ab aliis verò ens ut tale & determinatum, v. g. à Phyſicâ ut corpus naturale.

INSTABIS. Ea ſufficit ſcientia quæ tractat de rebus omnibus : atqui unica Metaphyſica (ſi datur) tractat de rebus omnibus ; ergo unica ſufficit Metaphyſica, ſi datur.

RESP. DIST. MAJ. Quæ tractat de rebus omnibus ſpectatis tam ſecundùm rationes ſuas ſpecificas & particulares, quam ſecundùm genericas, C. Spectatis ſecundùm rationes genericas tantùm, N. Porrò Metaphyſica non attingit ſpeciales rerum omnium rationes, ſed duntaxat genericas, quatenus nempe ſunt entia : aliæ verò ſcientiæ attingunt ſpeciales illas rerum rationes, v. g Phyſica rationem corporis, ut corpus eſt.

INST. *Secundò.* Diſciplina quæ tractat de genere, tractat & de ſpeciebus huic generi ſubjectis : atqui Metaphyſica, ſi datur, tractat de ente generatim ; ergo tractat quoque de rebus omnibus ſecundum rationes ſpeciales ſpectatis.

RESP. DIST. MAJ. Tractat & de ſpeciebus huic generi ſubjectis, ſi ſpecies illæ participent objectum formale diſciplinæ, C. Si non participent, N. Porro res omnes ſpectatæ ſecundum ſpeciales ſuas rationes non participant objectum formale Metaphyſices, nempe abſtractionem ab omni materiâ ; ſic corpus non abſtrahit ab omni materiâ ; hinc eſt quod Metaphyſica ſpeciales rerum omnium rationes non attingat.

INST. *Tertiò.* Diſciplina quæ tractat de gradu qui identificatur cum ratione ſpeciali rerum omnium, tractat quoque de ipsâ ratione ſpeciali rerum omnium : atqui Metaphyſica tractat primò per ſe de gradu entis, qui identificatur cum ratione ſpeciali rerum omnium.

RESP. DIST. MAJ. Qui identificatur formaliter, C. Entitativè, N. At gradus genericus entis, & gradus ſpecialis talium entium formaliter diſtinguntur, quia diverſas ſortiuntur ideas & definitiones.

INST. *Quartò.* Quod nihil eſt formaliter præter ens, identificatur formaliter cum ente : atqui rationes ſpeciales rerum omnium nihil ſunt forma-

liter præter ens, v. g. corpus ut corpus nihil eſt præter ens.

Resp. Dist. Min. Atqui rationes ſpeciales rerum nihil ſunt præter ens tale, ſeu determinatum, *C.* Præter ens generatim ut ens præciſè, *N.* Sic corpus eſt ens tale nempe corporeum ſeu contractum per corporeïtatem.

Inst. *Quintò.* Atqui ens tale, nihil dicit præter ens generatim.

Prob. Subs. Si ens tale diceret aliquid præter ens generatim, ens generatim non eſſet tranſcendentale ad omnia: atqui tamen eſt.

Resp. Dist. Maj. Non eſſet tranſcendentale ad omnia, quæ ſe habent ut differentiæ entis, *C.* Quæ ſe habent ut ſpecies *N.*

II. PROPOSITIO.

Metaphyſica eſt ſcientia propriè dicta.

Probatur. Habitus demonſtrativus rei neceſſariæ per cauſas, eſt ſcientia propriè dicta: atqui Metaphyſica eſt habitus demonſtrativus rei neceſſariæ per cauſas; plures enim ipſa conficit demonſtrationes de objecto ſuo, v. g. *Deum exiſtere, quia exiſtunt creaturæ; Deum eſſe immutabilem, quia eſt infinitè perfectus; æternum, quia immutabilis; animam noſtram eſſe incorruptibilem, quia ſubſtantia ſpiritalis eſt;* ergo Metaphyſica eſt ſcientia propriè dicta.

OBIECTIO.

Scientia definitur cognitio rerum inferiorum per inferiores cauſas, habetque cum ſapientiâ oppoſitionem: atqui Metaphyſica non eſt cognitio rerum inferiorum, eſt verò ſapientia.

Resp. Dist. Maj. Scientia ſpecificè ſumpta, *C.* Scientia genericè ſumpta, *N.* Nam ſic, eſt cognitio vera certa & evidens rei neceſſariæ per cauſas, abſtrahendo à rebus inferioribus, & altiſſimis.

Instabis Scientia genericè ſumpta eſt cogni-

tio abſtrahens à rebus altiſſimis & inferioribus: atqui Metaphyſica non eſt hujuſmodi; ergo non eſt ſcientia genericè ſumpta.

Resp. Dist. Conſeq. Ergo Metaphyſica non eſt ſcientia genericè, hoc eſt non eſt genus ſcientiæ abſtrahentis à rebus inferioribus & altiſſimis, *C.* Non eſt ſcientia genericè, hoc eſt non comprehenditur ſub genere ſcientiæ tanquam ſpecies, *N.*

Inst. *Secundo* Atqui Metaphyſica non eſt ſcientia comprehenſa ſub genere ſcientiæ.

Prob. Subs. Vera ſcientia debet habere objectum certum & determinatum: atqui Metaphyſica non habet objectum certum & determinatum; ſiquidem excurrit indeterminatè per omnia.

Resp. dist. min. Atqui Metaphyſica non habet objectum certum & determinatum, ideſt limitatum ad certam entis ſpeciem, ut Phyſica, *C.* Non habet objectum certum, ideſt, certò aſſignabile, *N.* Nam verſatur circa ens reale ut ens generatim.

Inst. *Tertiò.* Objectum ſcientiæ debet eſſe intelligibile: atqui ens ut ens generatim non eſt intelligibile; ergo non poteſt eſſe objectum Metaphyſicæ ut ſcientiæ.

Prob. Min. Quod abſtrahit à materiâ intelligibili, non eſt intelligibile: atqui ens ut ens generatim abſtrahit à materiâ intelligibili, ſenſibili & ſingulari.

Resp. nego Maj. Nam materia intelligibilis, eſt materia prima, vel aliquid dicens eſſentialem habitudinem ad materiam, v. g. quantitas: atqui quod abſtrahit à materiâ ſic ſpectatâ poteſt eſſe intelligibile, ut ſubſtantia generatim, accidens, ens ut ens.

Inst. *Quartò.* Quod abſtrahit à materiâ ſenſibili non eſt ſenſibile; ergo quod abſtrahit à materiâ intelligibili non eſt intelligibile.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt quia, nihil eſt ſenſibile præter materiam ſenſibilem; proindeque, ſi quid ab eâ abſtrahat, nequit eſſe ſenſibile: at multa ſunt intelligibilia præter materiam intelligibilem, ut ſubſtantia generatim: proindeque ſi quid ab eâ abſtrahat, adhuc poteſt eſſe intelligibile.

Inst. *Quintò.* Nihil poteſt eſſe intelligibile,

niſi fuerit ſenſibile, *Nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu* : atqui quod abſtrahit à materiâ intelligibili non poteſt eſſe ſenſibile ; ergo quod abſtrahit à materiâ intelligibili, nequit eſſe intelligibile.

Resp. Dist. Maj. Niſi fuerit ſenſibile, vel per ſe vel per aliud, vel proximè, vel remotè, C. Per ſe & proximè, N. Porrò ens ut ens eſt ſenſibile per ſingularia ſua, per hoc & illud ens in ſingulari.

Inst. *Sextò.* Atqui ens quod abſtrahit à materiâ intelligibili non poteſt fieri ſenſibile per aliud & remotè.

Prob. Subs. Quod non poteſt realiter exiſtere etiam per aliud, non poteſt fieri ſenſibile etiam per aliud : atqui ens quod abſtrahit à materiâ intelligibili, nequit realiter exiſtere etiam per aliud ; ſiquidem abſtrahit quoque à materiâ ſingulari, & ſenſibili ; ergo non poteſt eſſe ſenſibile per ſua ſingularia.

Resp. dist. min. Atqui ens ut ens generatim, non poteſt exiſtere realiter, ens ſecundò intentionaliter ſumptum pro ipsâ ratione univerſalitatis formalis, C. ens primò intentionaliter, pro ipſo gratenis ut ſic, N.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Potentiâ Obedientiali.

I. PROPOSITIO.

Datur in creaturis potentia obedientialis.

Probatur. Nomine potentiæ obedientialis intelligitur quædam capacitas producendi, vel recipiendi aliquid quod naturæ vires excedat : atqui datur in creaturis capacitas producendi vel recipiendi aliquid quod naturæ vires excedat ; nam datur in intellectu capacitas Dei intuitivè videndi, & in voluntate capacitas eliciendi actûs charitatis circa Deum

cum enim intellectus noſter ſit ſummè intellectivus; Deus autem ut videndus intuitivè, ſit intelligibilis, eſt in intellectu noſtro capacitas Dei intuitivè videndi. Idem dicendum de voluntate noſtrâ reſpectu amoris; ergo datur in creaturis potentia obedientialis.

OBIECTIO.

SI daretur potentia obedientialis in creaturis, ea vel foret naturalis, vel ſupernaturalis: atqui neutrum dici poteſt; ſi enim eſſet naturalis nihil poſſet ad effectus ſupernaturales; ſi autem foret ſupernaturalis, recipi non poſſet in creaturâ purè naturali; ergo non datur potentia obedientialis.

Resp. nego Min. Et dico potentiam obedientialem eſſe naturalem ſimul. & ſupernaturalem ſub diverſo reſpectu; eſt quidem naturalis entitativè & intrinſecè, quia non diſtinguitur realiter ab entitate creaturarum, quarum eſt potentia obedientialis; eſt autem ſupernaturalis extrinſecè, quatenùs connotat effectus ſupernaturales attingendos, Deo ſpecialiter & uberiùs concurrente.

Instabis. Potentia, quæ producit effectus intrinſecè ſupernaturales, eſt intrinſecè ſupernaturalis: atqui potentia obedientialis ſi datur producit effectus ſupernaturales intrinſecè, v. g. viſionem Dei intuitivam.

Resp. Dist. Maj. Quæ producit per ſe & ex naturâ ſuâ effectûs intrinſecè ſupernaturales, C. Quæ producit per complementum ſupernaturale deſuper infuſum, N. Porro intellectus, v. g. producit viſionem Dei intuitivam, non per ſe, & ex naturâ ſuâ, ſed per complementum ſupernaturale, quod à Theologis dicitur *lumen gloriæ*.

Inst. *Secundò*. Illud eſt per ſe & ex naturâ ſuâ ſupernaturale, quod creaturæ non ineſt, niſi ſpecialiter à Deo infundatur: atqui potentia obedientialis eſt hujuſmodi ſi datur.

Prob. Min. Potentia obedientialis eſt quædam capacitas eliciendæ actionis ſupernaturalis, quâ fit ut creatura ſit formaliter potens elicere actionem hanc: atqui creatura non eſt potens elicere actionem ſupernaturalem, niſi potentia illa ſpecialiter infundatur.

Resp. Dist. Min. Niſi ſpecialiter potentia infundatur ratione complementi, *C.* Ratione ſui, *N.* Sic potentia videndi Deum intuitivè, à Deo infunditur ratione complementi quod eſt lumen gloriæ; at non ratione ſui, quia eſt ipſa mentis intellectivitas.

Inst. *Tertiò.* Vel potentia obedientialis quæ eſt in intellectu, v. g. ad videndum Deum infunditur à Deo ratione ſui, vel ratione ſui eſt homini congenita: atqui non eſt congenita homini.

Prob. Min. Si potentia videndi Deum intuitivè eſſet homini naturaliter congenita, homo naturalem haberet appetitum videndi Deum. Falſum conſequens.

Resp. Dist. Maj. Homo naturalem haberet appetitum videndi Deum, inchoatum, *C.* Completum & perfectum, *N.* Appetitus autem ille inchoatus conſiſtit in ſummâ & univerſaliſſimâ mentis intellectivitate.

Inst. *Quartò.* Si homo haberet naturalem videndi Deum appetitum inchoatum; viſio Dei intuitiva eſſet homini naturalis & debita. Falſum conſ.

Resp. Nego Maj. Cùm enim viſio Dei intuitiva non appetatur ab homine, niſi quatenùs elevato per auxilium gratiæ ſupernaturalis, non poteſt eſſe naturalis & debita; ſicut nec gratia.

Inst. *Quintò.* Illud eſt homini naturale & debitum, ad quod homo habet potentiam & appetitum ſaltem inchoatum: atqui ſupponitur homo habere appetitum inchoatum ad viſionem Dei intuitivam. Ergo eſſet ei naturalis & debita.

Resp. Nego Maj. Nam illud ſolùm eſt homini naturale & debitum ad quod habet potentiam completam naturaliter.

Inst. *Sextò.* Reunio animæ cum corpore eſt homini naturalis & debita, licèt homo non habeat ad eam appetitum naturalem niſi inchoatum; ergo illud eſt homini naturale & debitum ad quod homo naturalem habet appetitum inchoatum.

Resp. Dist. Conſ. Si illud ſit ſupernaturale duntaxat quoad modum, *C.* Quoad ſubſtantiam & entitatem, *N.* At reunio animæ cum corpore eſt naturalis quoad ſubſtantiam, licèt non ſit naturalis quoad modum, quo fit; hinc eſt animæ debita quoad ſubſtantiam, at non quoad modum.

II. PROPOSITIO.

Non datur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet.

Probatur. Dari potentiam obedientialem in quolibet ad quodlibet, eſt quamlibet promiſcuè creaturam elevari poſſe ad quoſlibet promiſcuè effectus producendos. Atqui implicat quamlibet promiſcuè creaturam elevari ad quoſlibet promiſcuè effectus producendos; nam implicat creaturam elevari ad eos effectus producendos, ad quos nullam habeat proportionem potentiámve ſaltem inchoatam; atqui plures ſunt creaturæ, quæ nullam prorsùs habent proportionem potentiámve etiam inchoatam ad effectus quoſlibet promiſcuè producendos; Sic punctum zenonicum nullam habet proportionem cum magnitudine menſurandâ, lapis cum viſione eliciendâ: Ergo implicat quamliber promiſcuè creaturam elevari ad quoſlibet promiſcuè effectus producendos, proindéque non datur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet.

OBIECTIO.

Potentia obedientialis eſt eſſentialis ſubjectio creaturæ ad Deum in ordine ad effectus ſupernaturales: atqui quælibet creatura habet hujuſmodi potentiam in ordine ad quoſlibet effectus.

Prob. Min. Quælibet creatura habet potentiam in ordine ad effectus qui continentur intrà limites creaturæ: atqui effectus quilibet (in quæſtione) continentur intrà limites creaturæ.

Resp. Dist. Maj. Qui continentur intrà limites creaturæ cujuſlibet indiſcriminatim, *C.* Creaturæ certæ & determinatæ, *N.* Porrò effectus, in quæſtione, continentur intrà limites creaturæ non cujuſliber, ſed certæ & determinatæ: v. g. viſio Dei intuitiva continetur intrà limites intellectûs humani lumine gloriæ confortati; at non continetur intrà limites oculi corporei, nullam habentis cum Deo videndo proportionem.

Instabis. Effectus finiti continentur intrà limites facultatis finitæ: atqui effectus, in quæſtione, ſunt finiti. Ergo continentur intrà limites cujuſlibet indiſcriminatim creaturæ.

Resp. Dist. Maj. Effectus finiti continentur intrà limites facultatis finitæ proportionem habentis cum talibus effectibus, C. Nullam habentis proportionem, N. At qualibet creatura non habet ſufficientem proportionem cum quibuſlibet effectibus; v. g. punctum Mathematicum cum quantitate menſurandâ.

Inst. *Secundò.* Ut effectus contineatur intrà limites facultatis productivæ, ſufficit proportio generica: atqui quælibet creatura habet proportionem genericam cum quolibet effectu finito.

Resp. Dist. Maj. Sufficit proportio generica proxima, & ſufficiens, C. Remota, & inſufficiens, N. At proportio generica, quæ eſt inter creaturam quamlibet, & effectum quemlibet, eſt valdè remota & inſufficiens, v. g. proportio entis quæ eſt inter punctum Mathematicum, & quantitatem menſurandam.

Inst. *Tertiò.* Inter cauſam & effectum producendum, ſufficit proportio productivi & producibilis: atqui quælibet creatura eſt productiva, quilibet effectus ſunt producibiles; ergo ſufficiens eſt proportio generica inter quamlibet creaturam & quemlibet effectum.

Prob. Maj. Tam ad producendum quemlibet effectum ſufficit proportio productivi & producibilis, quam ad videndum intuitivè Deum, ſufficiat proportio intellectivi, & intelligibilis.

Resp. Nego parit. Ratio diſp. eſt, quia potentia quælibet intellectiva eſt univerſalis in cognoſcendo; At quælibet cauſa non eſt univerſalis in producendo; ſic potentia productiva muſcarum eſt limitata ad muſcas, nec poteſt ſe ſe extendere ad productionem Angelorum.

Inst. *Quartò.* Ideò ſufficit proportio intellectivi ad intelligibile, quia in intellectivo eſt potentia ſaltem inchoata, quæ poteſt compleri, & reddi ſufficiens ab agente ſuperiori uberiùs concurrente: atqui pariter in quâlibet creaturâ productivâ, eſt inchoata potentia quæ poſſit reddi ſufficiens & com-

pleri ad quemlibet effectum.

Prob. Min. Ut potentia productiva de ſe reddatur ſufficiens ad quemlibet effectum, ſatis eſt ſi Deus ſuo uberiori concurſu poſſit ſupplere defectum potentiæ ad quemlibet effectum: atqui Deus poteſt abſolutè ſupplere hujuſmodi defectum.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus poteſt abſolutè ſupplere hujuſmodi defectum, ita ut ſupplendo, cenſeatur ſolus agere, atque effectum producere, C. Ita ut creatura producat effectum unà cum Deo, N. Etſi enim Deus poſſit ſolus producere frigus, v. g. non poteſt tamen præſtare, ut ignis producat frigus, ſiquidem nullam habet cum tali effectu proportionem.

Inst. *Quintò.* Deus non eſt minùs potens, inter agendum cum creaturis, quam ſi ageret ſolitariè. Ergo ſi poſſit ſine creaturâ ſupplere defectum cauſæ productivæ, poterit & ſupplere inter agendum ſimul cum creaturâ.

Resp. Dist. Conſ. Poterit, niſi repugnet ex parte creaturæ, C. Si repugnet ex parte creaturæ, N. At repugnat creaturam erumpere in actum, quem non contineat, vel ad cujus oppoſitum ſit à naturâ ſuâ determinata, v. g. ignis ad productionem frigoris; cùm ſit ex naturâ ſuâ determinatus ad calorem.

Inst. *Sextò.* Non magis repugnat ex parte creaturæ, quamlibet creaturam erumpere in quemlibet effectum, quàm ignem Inferorum materialem torquere Dæmones ſpiritales: atqui hoc non repugnat, ſicut nec repugnat aquam Baptiſmalem producere gratiam ſanctificantem.

Resp. Dist. Min. Atqui non repugnat ignem Inferorum torquere Dæmones, moraliter, C. Torquere phyſicè, N. At ignis Inferorum torquet Dæmones non phyſicè, quaſi phyſicè agat in ipſos per influxum realem, ſed moraliter, quatenùs ad præſentiam ignis excitantur in voluntate Dæmonum dolores acerbiſſimi. Idem dicendum de aquâ baptiſmali reſpectu gratiæ ſanctificantis.

Inst. *Septimò.* Niſi ignis Inferorum torqueret phyſicè, non torqueret veris & miris modis: atqui torquet veris & miris modis; ex S. Auguſt.

Resp. Dist. Maj. Non torqueret veris &

miris modis phyſicis per influxum realem, *C.* Veris & miris modis moralibus, ſed tamen efficaciſſimis, *N.* At ignis Inferorum torquet veris & miris modis, eo ſenſu quod Dæmones experiantur acerbiſſimum doloris ſenſum ad præſentiam ignis infernalis, non quidem phyſicè, ſed moraliter agentis.

QUÆSTIO TERTIA.

De primo cognitionis Principio.

I. PROPOSITIO

Primum cognitionis Principium eſt iſta propoſitio (quidquid evidenter percipitur illud eſt certiſſimum.)

Probatur. Illud eſt primum cognitionis Principium, vi cujus certi ſumus de cæteris quibuſcumque principiis & propoſitionibus; atqui de cæteris quibuſcumque principiis naturalibus certi ſumus vi iſtius propoſitionis, (*quidquid evidenter percipitur illud eſt certiſſimum.*) Nam in tantùm certi ſumus de veritate naturali alicujus propoſitionis, in quantùm evidenter percipimus rem eſſe talem qualis per propoſitionem exprimitur; idque conſtat inductione, ſic non aliter certi ſumus, *bis duo eſſe quatuor; triangulum tribus conſtare angulis; circulum habere partium ſuarum æquidiſtantiam à centro; totum eſſe majus ſuâ parte; impoſſibile eſſe idem ſimul eſſe & non eſſe*, quàm quia hæc & ſimilia evidenter percipimus, quidquid autem evidenter percipitur illud eſt certiſſimum. Ergo prædicta propoſitio eſt primum cognitionis principium.

OBJECTIO.

Primum cognitionis principium, debet eſſe cauſa cæterorum. Atqui hæc propoſitio (*quidquid evidenter, &c.*) Non eſt cauſa veritatis cæterorum principiorum, v. g. iſtius, *declinandum eſt à malo*,

Resp. Dist. Maj. Debet eſſe cauſa cognoſcendi cæterorum, C. Cauſa eſſendi, N. Porrò hæc propoſitio *quidquid*, *&c.* eſt unica cauſa cognoſcendi cæterorum principiorum; quia in tantùm certi ſumus de cæteris, in quantùm ſunt evidentia.

Instabis. Si iſta propoſitio, (*quidquid &c.*) eſſet cauſa cognoſcendi cæterorum principiorum, de nullius propoſitionis veritate certi eſſe poſſemus, niſi priùs cognitâ propoſitione illâ: atqui multa poſſunt nobis eſſe certa, quin priùs innotuerit hæc propoſitio, (*quidquid*, *&c.*) ut fit apud Ruſticos.

Resp. Dist. Maj. Niſi priùs cognitâ hâc propoſitione, cognitâ, vel formaliter, & ſecundùm terminos quibus concipitur, vel æquivalenter, & ſecundùm ſenſum, C. Niſi cognitâ formaliter, N. At nemo vel ruſticus poteſt eſſe certus de minimâ veritate naturali, niſi vi iſtius principii, ſaltem æquivalenter præcogniti, ſcilicet quia veritas eſt evidens, & convincens.

Inst. *Secundò*. Non ſumus certi de veritate cæterarum propoſitionum vi illius propoſitionis quæ mutuatur certitudinem ſuam ab aliâ propoſitione priori: atqui hæc propoſitio (*quidquid*, *&c.*) ſuam mutuatur certitudinem ab iſtâ aliâ propoſitione, *Deus eſt verax & bonus*.

Prob. Min. In tantùm certus ſum de iſtâ propoſitione (*quidquid*, *&c.*) in quantùm certus ſum errare me non poſſe in rebus evidentibus: atqui non poſſum eſſe certus non errare me in rebus evidentibus, niſi priùs certus fuerim, Deum eſſe veracem & bonum.

Resp. Nego Min. Imò non ſum certus Deum eſſe veracem & bonum, niſi quia id evidenter percipio, (*quidquid autem evidenter percipitur illud eſt certiſſimum*.)

Inst. *Tertiò*. Non poſſum eſſe certus non errare me in rebus evidentibus; niſi priùs certus fuerim, non falli me in perceptione rerum evidentium ab aliquo præpotente, ſed maligno genio: atqui non poſſum eſſe certus non falli me ſic, niſi priùs certus fuerim Deum eſſe veracem & bonum.

Prob. Min. Non poſſum eſſe certus non falli me in perceptione rerum evidentium ab eo genio, qui poteſt infinitis, quos penetrare & prævidere

non poſſum

non poſſum, modis decipere me: atqui præpotens ille ſed malignus genius poſſet infinitis, quos penetrare non poſſum, modis decipere me, niſi certus ſim Deum eſſe veracem & bonum.

Resp. Dist. Min. Atqui præpotens ille & malignus genius poſſet infinitis decipere me modis, in rebus obſcuris, *C*. In rebus perſpicuis, *N*. Namque error non aliundè naſci poteſt quàm ab obſcuritate.

Inst. *Quartò* Ens à quo pendet eſſentialiter evidentia perceptionum noſtrarum, poſſet decipere nos in rebus evidentibus, niſi verax ſupponeretur & bonum: atqui ab illo præpotente, & ſuperiori genio pendet eſſentialiter evidentia perceptionum noſtrarum.

Resp. Dist. Maj. Ens à quo pendet evidentia perceptionum noſtrarum ut ſit conjuncta cum veritate, *C*. Ut exiſtat præcisè, *N*. Porrò pendet quidem à Deo evidentia ut exiſtat aliqua; at ab eo non pendet ut ſit neceſſariò conjuncta cum veritate.

Inst. *Quintò*. Evidentia perceptionum noſtrarum pendet ab aliquo Ente ſupremo, ut exiſtat. Ergo non poſſum eſſe certus de exiſtentiâ evidentiæ, niſi priùs certus fuerim de exiſtentiâ Dei.

Resp. Dist. Ant. Evidentia pendet à Deo ut exiſtat aliqua, pendet quoad ſe, *C*. Quoad nos, *N*. Nam priùs certus ſum de evidentiâ perceptionis meæ, quam aſſurgam indè ad notitiam exiſtentiæ Dei: ſicut priùs innoteſcunt nobis creaturæ, ex quibus devenimus ad notitiam Dei.

Inst *Sextò* Qui non eſt certus de principio, non poteſt eſſe certus de principiato: atqui qui non eſt certus de exiſtentiâ Dei, non eſt certus de principio ipſius evidentiæ: Ergo nec de ipsâ, evidentiâ.

Resp. Dist. Maj. Qui non eſt certus de principio cognoſcendi, *C*. De principio eſſendi, *N*. Porrò Deus eſt principium eſſendi, at non cognoſcendi, quia incipimus à cognitione creaturarum, & indè procedimus ad notitiam Dei.

II. PROPOSITIO.

Primum cognitionis principium eſt iſta propoſitio, (impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.)

Probatur. Ea propoſitio primum eſt cognitionis principium quæ eſt univerſaliſſima, indemonſtrabilis, & demonſtrativa cæterarum. Atqui iſta propoſitio, (*impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*,) eſt hujuſmodi: eſt quidem univerſaliſſima, ſiquidem conſtat terminis univerſaliſſimis, nimirùm ente & non ente: eſt indemonſtrabilis, ſiquidem nulla eſt alia propoſitio per quam demonſtrari poſſit veritas hujus propoſitionis (ſi fortè negetur): tandem eſt demonſtrativa cæterarum, quia per eam propoſitionem poſſent facilè revinciri falſitatis qui cæteras temerè negâſſent propoſitiones, quia manifeſtæ contradictionis arguerentur, & fateri cogerentur idem ſimul eſſe & non eſſe; *impoſſibile autem eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*. Ergo prædicta propoſitio eſt primum cognitionis principium.

OBJECTIO.

Primum cognitionis principium debet eſſe demonſtrativum cæterarum propoſitionum. Atqui hæc propoſitio, (*impoſſibile eſt, &c.*) non eſt demonſtrativa cæterarum.

Prob. Min. Propoſitio negans non infert affirmantem, alioqui concluſio non ſequeretur deteriorem partem: atqui hæc propoſitio (*impoſſibile eſt &c.*) negans eſt, & propoſitiones benè multæ ſunt affirmantes.

Resp. Dist. Maj. Propoſitio negans non infert affirmantem, non infert directè, C. Indirectè & deducendo ad incommodum, N. Porrò hæc propoſitio, (*impoſſibile eſt, &c.*) probat indirectè affirmantes; v. g. hanc (*totum eſt majus ſuâ parte*) hoc pacto:

Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.

Atqui, ſi totum non eſſet majus ſuâ parte, idem ſimul eſſet & non eſſet totum.

Ergo impoſſibile eſt totum non eſſe majus ſuâ parte.

Resp. *Secundò.* Negando Min. Quia dici poteſt hanc propoſitionem, (*impoſſibile eſt, &c.*) eſſe affirmantem, & ſic verti debere, (*idem ſimul eſſe & non eſſe, eſt impoſſibile.*)

Instabis. Propoſitio cæterarum demonſtrativa debet eſſe univerſaliſſima. Atqui hæc propoſitio, (*impoſſibile eſt, &c.*) non eſt univerſaliſſima.

Prob. Min. Ea propoſitio non eſt univerſaliſſima, quæ non negat quodlibet medium inter ens & non ens: atqui hæc propoſitio, (*impoſſibile &c.*) non negat quodlibet medium inter ens & non ens, quia negat ſolùm medium per participationem; at non per excluſionem.

Resp. Nego Min. Quia medium per participationem inter ens & non ens, & medium per excluſionem ſunt unum & idem in contradictoriis: ſiquidem ens ſimul & non ens, eſt neque ens, neque non ens; non eſt quidem ens, quia, eſt non ens; non eſt vero non ens, quia eſt ens.

Inst. *Secundò.* Medium per excluſionem & medium per participationem non ſunt unum & idem. Ergo propoſitio quæ negat medium per participationem, non ideò negat medium per excluſionem.

Prob. Ant. Medium per participationem, & per excluſionem non ſunt quid idem; ſi ex eo quod Petrus neque ſit in templo, neque non ſit in templo, non poſſit inferri eum ſimul eſſe & non eſſe in templo: atqui non poteſt inferri ſic.

Resp. Nego Min. Nam erit in templo, quia dici non poteſt eum non eſſe in templo; Secundò, non erit in templo, ut ſupponitur. Ergo erit ſimul & non erit in templo.

Inst. *Tertiò.* Ex eo quod aliquid neque ſit album, neque ſit nigrum, neque ſit videns, neque cæcum, non poteſt inferri, illud ſimul eſſe album & nigrum, videns & cæcum: ergo à pari ex eo quod Petrus, neque ſit in templo, neque non ſit, non licet inferre eum eſſe ſimul & non eſſe.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia album & nigrum ſunt duo contraria,

Digitized by Google

at inter contraria datur medium omni ſenſu : eſſe verò & non eſſe in templo , ſunt duo contradictoria latiſſimè patentia,

Inst. *Quartò*. Atqui pariter negatio non entis, non infert ens ; ſicut negatio nigri non infert album.

Prob. Subs. Non magis negatio non entis infert ens , quam negatio tenebrarum inferat lucem.

Resp Nego parit. Ratio diſparitatis eſt , quia lux & tenebræ ſunt duo privativa , ideòque minùs latè patent , quàm ens & non ens ſimpliciter , quæ ſunt duo contradictoria.

QUÆSTIO QUARTA.

Sitnè poſſibilis creatura creatrix ?

I. PROPOSITIO.

Poſſibilis eſt creatura creatrix.

Probatur. Poſſibilis eſt ea creatura , quæ nihil arguit infinitum & independens ſoli Deo proprium. Atqui creatura creatrix nihil argueret infinitum & independens ſoli Deo proprium. Nam creatura creatrix argueret ſolummodò virtutem producendi aliquid è nihilo ſubjecti ; atqui virtus producendi aliquid è nihilo ſubjecti non eſt infinita , vel independens, ſoli Deo propria ; non magis enim opus eſt virtute infinitâ ad producendum aliquid è nihilo ſubjecti in creatione , quàm ad producendum aliquid è nihilo ſui in eductione ; atqui non requiritur virtus infinita ad producendum aliquid è nihilo ſui in negotio eductionis , ut omnes agnoſcunt ; ergo nec requiritur virtus infinita ad producendum aliquid è nihilo ſubjecti in negotio creationis ; neque enim longius diſtant ab invicem ſubjectum & nihilum ſubjecti, quàm eſſe ſui, & nihilum eſſe ſui. Igitur poſſibilis eſt creatura creatrix.

OBJECTIO.

IMplicat creaturam fieri cauſam univerſaliſſimam. Atqui creatura creatrix foret cauſa univerſaliſſima.

Prob. Min. Effectus univerſaliſſimus non venit niſi à causâ univerſaliſſimâ : atqui effectus creationis eſt univerſaliſſimus, cùm ſit ipſum ens creabile : Ergo creatura creatrix foret cauſa univerſaliſſima.

Resp. Dist: Min. Atqui effectus creationis eſt univerſaliſſimus, ſi ſit effectus creationis univerſaliſſimæ & independentis, C. Si ſit effectus creationis particularis & dependentis, N. Porrò non contendimus poſſe creaturam creare Entia quælibet creabilia univerſaliter & independenter, ſed aliqua tantùm, pro ratione virtutis quæ creaturæ poteſt à Deo communicari.

Instabis. Atqui effectus creationis nullus eſſe poteſt niſi à causâ univerſaliſſimâ & independenti. Ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Effectus qui ſupponit in causâ ſuâ virtutem ſimpliciter infinitam non poteſt eſſe niſi à causâ univerſaliſſimâ & independenti; atqui effectus creationis, præcisè ut creatio eſt, ſupponit in causâ virtutem ſimpliciter infinitam.

Prob: Min. Ea virtus eſt ſimpliciter infinita quæ ſuperat diſtantiam terminorum ſimpliciter infinitam : atqui effectus creationis ſupponit in causâ ſuâ virtutem quæ ſuperet diſtantiam ſimpliciter infinitam.

Prob. Min. Virtus creandi ſuperat diſtantiam quæ eſt inter ens & nihil purum : atqui diſtantia hæc eſt ſimpliciter infinita, inter terminos infinitè diſtantes, & omnimodè diſproportionatos. Ergo virtus creandi ſuperat diſtantiam ſimpliciter infinitam.

Resp. Dist. Maj. hanc. Virtus creandi ſuperat diſtantiam quæ eſt inter ens & nihil, finita, C. Inter ens & nihil infinita, N.

Dist. Min. Atqui diſtantia nihili ad ens eſt infinita, ſi ſint ens infinitum & nihil infinitum, C. Si ſint ens finitum & nihil finitum, N. Porrò ens creaturæ eſt finitum, pariter & ejus nihilum eſt finitum ;

ſicque non videntur infinitè diſtare, præſertim cùm ambo conveniant in eo quod de nihilo participent. ſic v. g. homo eſt ens finitum, quia in homine eſt negatio infinitorum entium ſeu perfectionum, quibus caret.

Inst. *Secundò.* Atqui ens creaturæ, & ejus nihilum tametſi finita, infinitè diſtant. Ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Ea infinitè diſtant inter quæ nulla datur ſimilitudo vel propinquitas: atqui inter ens creaturæ ejuſque nihilum nulla datur ſimilitudo vel propinquitas; cùm ſe totis diſcrepent. Ergo infinitè diſtant.

Resp. Dist. Maj. Ea infinitè diſtant, inter quæ nulla datur ſimilitudo neque poſitiva, neque negativa, *C.* Similitudo poſitiva tantùm, *N.* Porrò inter ens creaturæ, ejuſque nihilum, nulla quidem datur ſimilitudo poſitiva, qualis eſſe ſolet inter entia duo realia & poſitiva. At datur aliqua ſimilitudo ſaltem negativa inter ens creaturæ ejuſque nihilum, quatenùs non eſt inter ea diſproportio tanta, quanta cogitari poteſt; v. g. quanta inter ens Dei, ejuſque nihilum.

Inst. *Tertiò.* Ea diſtantia eſt omninò infinita, quæ tanta eſt, ut major cogitari non poſſit; atqui major cogitari non poteſt diſtantia, quam quæ eſt inter ens creaturæ ejuſque nihilum.

Prob. Min. Major cogitari nequit diſtantia, quam quæ eſt inter terminos qui in nullo prorsùs conveniunt: atqui ens creaturæ, ejuſque nihilum in nullo prorsùs conveniunt, neque ratione ſui, neque ratione ſubjecti, ſiquidem creatio fit ex nihilo tùm ſui, tùm ſubjecti.

Resp. Dist. Maj. Major cogitari nequit diſtantia, quam quæ eſt inter terminos, qui in nullo prorsùs conveniunt, & ſunt infiniti, *C.* Et ſunt finiti, *N.* Porrò termini creationis ſunt ambo finiti, putà ens creaturæ ejuſque nihilum.

Inst. *Quartò.* Licèt termini creationis univerſaliſſimæ ſint finiti, putà creaturæ, earúmque nihilum, attamen infinita requiritur virtus ad creandam univerſaliter quamlibet creaturam. Ergo etiam quamvis termini creationis particularis ſint finiti, tamen infinita videtur requiri virtus ad creandam aliquam in particulari creaturam.

Resp. Nego Conſeq. & Parit. Ratio diſp. eſt quia creare univerſaliter quamlibet creaturam arguit independentiam,& rationem primæ cauſæ ſuprà ſortem omnis creaturæ, proindeque arguit infinitam virtutem : non item creare particulariter aliquam determinatè creaturam, quia poteſt competere uni certæ creaturæ reſpectu alterius creaturæ, v. g. Angelo reſpectu muſcæ.

II. PROPOSITIO.

Impoſſibilis eſt creatura creatrix.

Probatur. Virtus ſimpliciter infinita nulli poteſt creaturæ communicari : atqui virtus creandi eſt ſimpliciter infinita ; nam ea virtus eſt ſimpliciter infinita, quæ ſuperat diſtantiam terminorum ſimpliciter infinitam : atqui virtus creandi ſuperat diſtantiam terminorum ſimpliciter infinitam, ſuperat enim diſtantiam quæ eſt nihili creaturæ ad ens creaturæ : atqui talis diſtantia eſt ſimpliciter infinita, cùm ſit inter terminos contradictoriè oppoſitos, quibus nihil omninò commune eſt ; ergo virtus creandi eſt ſimpliciter infinita, proindeque impoſſibilis eſt creatura creatrix.

OBJECTIO.

Poſſibilis eſt creatura quæ cum ſit productiva de ſe, producat id quod de ſe producibile eſt : atqui creatura eſt de ſe productiva, & effectus creationis eſt de ſe producibilis ; ergo poſſibilis eſt creatura creatrix.

Resp. Dist. maj. Poſſibilis eſt creatura quæ producat id quod de ſe producibile eſt, dependenter à ſubjecto eductionis, *C.* Quæ producat independenter ab omni ſubjecto, *N.* Porro effectus creationis eſt producibilis independenter ab omni ſubjecto, ſicque ſuperat vires creaturæ, quæ nihil quidquam producere poteſt niſi ex ſubjecto præjacente.

Instabis Atqui poſſibilis eſt creatura quæ producat effectum independenter à ſubjecto præjacente ; ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Poſſibilis eſt creatura quæ producat effectum, ad cujus productionem non requiritur infinita virtus: atqui ad producendum effectum independenter à ſubjecto præjacente, non requiritur infinita virtus.

Prob. Min. Ad producendum effectum finitum non requiritur infinita virtus: atqui producere effectum independenter à ſubjecto præjacente, eſt producere effectum finitum; ergo ad producendum effectum independenter à ſubjecto, non requiritur infinita virtus.

Resp. Dist. Maj. Ad producendum effectum finitum finito modo, non requiritur infinita virtus, *C.* Ad producendum effectum finitum infinito modo, non requiritur infinita virtus, *N.* Porrò producere effectum independenter à ſubjecto, in negotio creationis, eſt producere infinito modo, nimirùm ſuperando diſtantiam terminorum ſimpliciter infinitam, virtus autem productiva non tam æſtimatur ab effectu producto, quam à modo effectûs producendi.

Inst. *Secundò.* Producere effectum finitum ſupplendo influxum finitum cauſæ finitæ abſentis, non eſt producere infinito modo: atqui producere independenter à ſubjecto, eſt ſupplere influxum finitum cauſæ materialis abſentis; ergo producere effectum independenter à ſubjecto, non eſt producere infinito modo.

Resp. Dist. Maj. Producere effectum finitum ſupplendo influxum finitum in genere cauſæ materialis, non eſt producere infinito modo, *C.* Supplendo influxum finitum in genere cauſæ efficientis uberius influentis, *N.* Porro in negotio creationis ſuppletur influxus cauſæ materialis abſentis, ſed ſuppletur in genere cauſæ efficientis; ad id autem opus eſt infinitâ virtute ut ſuperetur diſtantia terminorum ſimpliciter infinita.

Inst. *Tertiò.* Idcircò opus eſſet virtute infinitâ ad ſupplendum influxum cauſæ materialis in negotio creationis, quia ibi eſſet infinita terminorum ſuperanda diſtantia inter nihilum creaturæ & creaturam: atqui non eſt infinita diſtantia inter nihilum creaturæ & creaturam.

Prob. min. Inter finitos terminos, non eſt infinita diſtantia; atqui nihilum creaturæ & creatura

ſunt termini ambo finiti, talis enim eſt privatio qualis eſt forma cujus eſt privatio; ergo non eſt infinita diſtantia inter nihilum creaturæ & creaturam.

Resp. dist. Maj. Inter finitos terminos non eſt infinita diſtantia, ſi ſint finiti ratione diſtantiæ, C. Si ſint finiti ratione ſui tantùm, N. Porrò nihilum creaturæ & creatura ſunt quidem duo termini finiti ratione ſui, at infiniti ſunt ratione diſtantiæ, idque mirum videri non debet; nam ſi duo Angeli, vel duo homines infinitè diſtarent ab invicem, jam forent finiti ratione ſui, & tamen infiniti ratione diſtantiæ ſeu intervalli.

Inst. *Quartò.* Infinita non eſt ea diſtantia, qua poteſt aſſignari major: atqui poteſt aſſignari diſtantia major, quam quæ eſt inter nihilum creaturæ, & creaturam.

Prob. Min. Deus magis diſtat à nihilo ſui, quam creatura à nihilo creaturæ: ergo poteſt aſſignari diſtantia major, quam quæ eſt inter nihilum creaturæ & creaturam.

Resp. Nego Ant. Quia ſicut Deus & nihilum Dei in nullo conveniunt, ita creaturæ & nihilum creaturæ in nullo conveniunt: proindeque pariter diſtant.

Inst. *Quintò.* Quod non poteſt redigi in nihilum, magis diſtat à nihilo, quam quod poteſt annihilari: atqui Deus redigi non poteſt in nihilum, creatura poteſt; ergo Deus magis diſtat à nihilo ſui, quam creatura à nihilo creaturæ.

Resp. Dist. Maj. Quod non poteſt redigi in nihilum, magis diſtat à nihilo, ſi major diſtantia à nihilo, ſit ratio cur non poſſit redigi in nihilum, C. Secùs, N. Porro ſi Deus redigi non poteſt in nihilum, id non habet à majore ſui diſtantiâ à nihilo, ſed à ſuâ independentiâ; cum ècontrà ſi creatura poſſit annihilari, id habet à ſuâ dependentiâ, non verò à minore ſui diſtantiâ à nihilo.

Inst. *Sextò.* In tantum aliquid diſtat à nihilo, in quantum excludit negationem entis: atqui Deus magis excludit à ſe negationem entis quam creatura, quia cùm Deus magis participet de perfectione, magis etiam participat de ente; ergo Deus magis diſtat à nihilo, quàm creatura.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus magis exclu-

dit à ſe negationem entis, in genere perfectionum quæ non participantur à creaturâ, *C.* In genere perfectionum quas creatura participat, *N.* Sic, v. g. quia Deus eſt omnipotens magis excludit à ſe negationem entis in genere omnipotentiæ, quam non participat creatura; ſed Deus in ratione exiſtentis, & realis, non magis diſtat à nihilo exiſtentiæ ſuæ, quam creatura exiſtens diſtet à nihilo ſuæ exiſtentiæ.

QUÆSTIO QUINTA.

De concurſu Dei cum creaturis.

PROPOSITIO.

Deus immediatè concurrit cum creaturis ad ſingulas earum operationes.

PROBATUR. Ille concurrit immediatè cum creaturis ad ſingulas earum operationes, à quo creaturæ dependent dependentiâ omnium maximâ & eſſentiali, quæ non poſſit ſalvari ſine concurſu immediato: atqui creaturæ dependent à Deo dependentiâ omnium maximâ, quæ non poteſt ſalvari ſine concurſu Dei immediato ad ſingulas operationes: nam ſalvari non poteſt eſſentialis & omnium maxima creaturarum à Deo dependentia, niſi creaturæ intelligantur immediate dependere à Deo in fieri, conſervari, & operari: atqui intelligi non poſſunt dependere à Deo immediatè in operari, ſine neceſſitate concurſus Dei immediati ad ſingulas operationes; ergo Deus immediate concurrit cum creaturis ad ſingulas earum operationes.

OBJECTIO I.

Concurſus Dei immediatus eſt inutilis, ſi creaturæ poſſint agere independenter à tali concurſu: atqui creaturæ poſſunt agere independenter à concurſu immediato.

PROB. MIN. Quæ independenter à concurſu

immediato Dei, habent completam agendi potentiam, poſſunt agere independenter à concurſu Dei immediato: atqui creaturæ ſunt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Quæ habent completam agendi potentiam non ſubordinatam cauſæ ſuperiori, C. Subordinatam agenti ſuperiori, N. Porrò quæ ineſt creaturis agendi potentia, ea eſt dependens, eſt eſſentialiter ſubordinata cauſæ ſuperiori coagenti.

Instabis. Ea completam de ſe habent agendi potentiam ſine ſubordinatione, quæ continent effectus ſuos vel eminenter, vel formaliter, inſtar cauſarum principalium: atqui creaturæ ſunt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Inſtar cauſarum principalium ſimpliciter, & independentium, C. Inſtar cauſarum ſecundùm quid principalium, & dependentium ab agente ſuperiori, N.

Inst. *Secundò*. Atqui creaturæ ſunt independentes à concurſu Dei immediato.

Prob. Subs. Sine concurſu Dei immediato, ſalvatur eſſentialis ſubordinatio creaturarum Deo, per ſolum concurſum mediatum: ergò, &c.

Prob. Ant. Tunc abundè ſalvatur eſſentialis ſubordinatio creaturarum Deo, quando creaturæ dicuntur à Deo pendere in fieri, eſſe, conſervari & operari: atqui per ſolùm concurſum mediatum, creaturæ adhuc dependerent in fieri, eſſe, conſervari, & operari.

Resp. Dist. Min. Atqui per ſolum concurſum mediatum, creaturæ adhuc dependerent à Deo, in fieri, conſervari & operari, dependerent remotè, C. Proximè, & ſufficienter, N. Nam plus eſt dependere inter operandum à Deo immediatè concurrente, per ſimultàneum influxum, quàm pendere mediatè duntaxat per conceſſam priùs facultatem operandi.

Inst. *Tertiò*. Atqui eſſentialis dependenria creaturarum à Deo per concurſum mediatum, eſt ſufficiens & proxima.

Prob. Subs. Vel redundat dependentia creaturarum à Deo immediatè concurrente, vel agnoſcenda eſt dependentia à Deo phyſicè præmovente: atqui hoc poſterius implicat, ergo & prius.

Resp. Nego Maj. Ratio diſp. eſt quia dependentia à Deo præmovente eſſet violenta, ut poſt

eripiens creaturis debitum in actiones ſuas dominium, non item concurſus.

Inst. *Quartò*. Vel redundat dependentia à concurſu immediato, vel agnoſcenda eſt præmotio phyſica, ſi parem utraque voluntati neceſſitatem inferat: atqui concurſus immediatus & præmotio phyſica parem inferunt agendi neceſſitatem.

Prob. Min. Ideò præmotio phyſica dicitur voluntati neceſſitatem inferre, quia eâ ſemel poſitâ, voluntas non poteſt non agere: ſed pariter poſito concurſu immediato Dei, voluntas non poteſt non agere.

Resp. Dist. min. Sed pariter poſito concurſu immediato Dei, voluntas non poteſt non agere, poſito tanquam hypotheſi conſequenti, *C.* Antecedenti, *N.* At econtrà præmotio phyſica inferret voluntati neceſſitatem antecedentem, quia efficaciter applicaret creaturas, ſic ut non valerent reſiſtere.

Inst. *Quintò*. Quod neceſſariò prærequiritur ad agendum, ſe habet tanquam hypotheſis neceſſaria & antecedens: atqui concurſus Dei immediatus neceſſariò prærequiritur ad agendum.

Resp. dist. Maj. Quod neceſſariò requiritur ad agendum, ſi non ſit in noſtrâ poteſtate illud accerſere, vel non accerſere, *C.* Si ſit in noſtrâ poteſtate illud accerſere, *N.* At eſt in poteſtate libertatis accerſere concurſum, vi ſuæ determinationis.

Inst. *Sextò*. Quod eſt prius actione creaturæ, non eſt in creaturæ poteſtate illud accerſere: atqui concurſus Dei immediatus prior eſt omni actione, & determinatione creaturarum.

Resp. Dist. maj. Quod eſt prius prioritate temporis, vel cauſalitatis, *C.* Prioritate univerſalitatis, & eſſendi conſecutionis, *N.* At Dei concurſus immediatus non eſt prior actione creaturæ prioritate temporis, vel cauſalitatis, quaſi ſit cauſa illius: at eſt prior univerſalitate, quia requiritur ad omnes univerſim creaturarum actiones.

OBIECTIO II.

Ex actionibus creaturarum quædam ſunt bonæ, quædam malæ moraliter: atqui implicat Deum concurrere ad malas actiones; ergo implicat Deum concurrere

concurrere ad omnes.

Prob. Min. Si Deus concurreret ad actiones malas, eſſet author peccati: falſum conſequens.

Resp. Dist. Maj. Si Deus concurreret ad actiones malas formaliter ſumptas, ex parte malitiæ, C. Materialiter ſumptas ex parte actûs humani, N. Porrò Deus non concurrit ad formale peccati, ſeu ad malitiam moralem, ſed ad actum humanum, ſeu materiale peccati.

Instabis. Si Deus concurrit ad actiones malas, concurrit ad id omne, ad quod ipſa concurrit creatura: atqui creatura concurrit non modo ad materiale, ſed etiam ad formale peccati; ergo Deus concurreret ad peccatum formaliter ſumptum.

Resp. dist. maj. Deus concurreret ad id omne ad quod ipſa concurrit creatura efficiendo, C. Deficiendo, N. Porrò creatura concurrit ad malitiam peccati, non ut cauſa efficiens, ſed ut deficiens, quia malitia nihil aliud eſt quam defectus.

Inst. *Secundò*. Niſi Deus concurreret ad formale peccati eſſet in actionibus creaturæ gradus aliquis à Deo independens.

Resp. Dist. Eſſet in actionibus creaturæ gradus aliquis independens, gradus privativus, ſeu defectus ipſe, C. Gradus poſitivus & realis, N. At concurrere ad defectum ſonat imperfectionem, & ſolius eſſe poteſt cauſæ deficientis; Deus autem deficere non poteſt.

Inst. *Tertiò*. Atqui ſi Deus concurreret ad actiones malas, concurreret ad defectum actionis.

Prob. Subs. Qui concurrit ad id quod eſt neceſſariò conjunctum cum defectu, concurrat neceſſe eſt ad defectum ipſum: atqui Deus concurreret ad materiale peccati, neceſſariò conjunctum cum defectu; ergo concurreret ad defectum ipſum.

Resp. Dist. Min. Atqui materiale peccati eſt neceſſariò conjunctum cum defectu, conjunctum ex parte cauſæ ſecundæ deficientis, C. Conjunctum ex parte cauſæ primæ indefectibilis, N. Nam defectus actionis unicè repetitur à libertate deficiente.

Inst. *Quartò*. Ille concurrit ad actionem ut formaliter defectuoſam, qui concurrit ad actionem prout eſt formaliter difformis rectæ rationi: atqui Deus concurrens ad actiones malas, concurreret ad

actionem prout formaliter difformem rectæ rationi.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus concurreret ad actionem prout eſt difformis ex parte creaturæ deficientis, *C*. Prout eſt difformis ex parte ſui, *N*. Nam tota difformitas actionis petitur à causâ particulari determinante & defectibili.

Inst. *Quintò*. Deus & creatura concurrunt unicâ & indiviſibili actione; ergo ſi actio illa eſſet difformis ex parte creaturæ, eſſet quoque ex parte Dei.

Resp. Dist. Ant. Concurrerent unicâ & indiviſibili actione realiter & entitativè, *C*. Formaliter & conſideratione, *N*. Nam alia eſt formalitas actionis ut ſe tenet ex parte Dei concurrentis, alia ut ſe tenet ex parte creaturæ deficientis; creatura deficit in actione, quia agit contrà debitum; Deus autem non deficit, quia agit ex debito.

Inst. *Sextò*. Licet homo in actione ſuâ non intendat difformitatem actionis, nihilominus deficit intendendo materiale peccati; ergo quamvis Deus concurrens non intendat difformitatem actionis, ſi tàmen ponat materiale actionis, deficere cenſetur.

Resp. Nego Conſeq. & Parit. Ratio diſp. eſt quia homo eſt cauſa particularis, & determinans: Deus autem agit ut cauſa univerſalis, & determinata.

Inst. *Septimò* Ergo ſaltem Deus deficit ut cauſa generalis & determinata.

Resp. Nego Conſeq. Sicuti ſol non cenſetur deficere in productione fructus amari.

QUÆSTIO SEXTA.

De Præmotione Phyſicâ.

PROPOSITIO.

Non datur phyſica præmotio ad ſenſum Thomiſtarum.

Probatur. Ea non eſt admittenda præmotio; quæ inutilis eſt, noxia libertati, injurioſa Deo: atqui præmotio phyſica eſt hujuſmodi. Et primò quidem eſt inutilis; nam ea præmotio eſt inutilis creaturis inter operandum, ſine quâ poſſunt creaturæ hìc & nunc ad agendum determinari; atqui ſine præmotione phyſicâ poſſunt creaturæ hìc & nunc determinari ad agendum: nam creaturæ vel ſunt liberæ, vel neceſſariæ; ſi liberæ ſunt, ſuâ poſſunt libertate determinare ſe; ſi ſunt neceſſariæ, ſua ſatis naturali neceſſitate determinantur; ergo Phyſica præmotio eſt inutilis.

Deinde verò eſt noxia libertati. Nam determinatio antecedens & phyſica eſt noxia libertati, cujus eſſentia eſt indifferentia antecedens: atqui phyſica præmotio eſt determinatio creaturarum à Deo antecedens & phyſicâ, & quidem talis, ut eâ ſemel poſitâ, repugnet non ſequi effectum; ergo phyſica præmotio eſt noxia libertati.

Denique eſt injurioſa Deo. Nam ea præmotio eſt injurioſa Deo, quâ ſemel poſitâ Deus foret auctor peccati: atqui poſitâ præmotione phyſicâ foret Deus auctor peccati; nam auctor eſt peccati, qui primus inſtigat & phyſicè applicat ad peccandum creaturas de peccato nequidem cogitantes: atqui per phyſicam præmotionem Deus inſtigaret & applicaret phyſicè ad peccandum creaturas ne de peccato quidem cogitantes; ergo eſt Deo valdè injurioſa iſta præmotio.

OBIECTIO I.

PRimum movens phyſicè præmovet ſecundum: atqui Deus eſt primum movens, creatura eſt ſecundum.

Resp. Dist. Maj. Primum movens prioritate cauſalitatis atque influxûs, *C.* Prioritate dignitatis atque univerſalitatis, *N.* At Deus eſt primum movens dignitate, quia ſummè independens in ſuis operationibus, & univerſalitate, quia generatim concurrit ad omnes creaturarum operationes.

Instabis. Prima cauſa eſt primum movens prioritate cauſalitatis: atqui Deus eſt prima cauſa ſimpliciter.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus eſt prima cauſa exiſtendi, *C.* Operandi, *N.* Quia præmovet quidem phyſicè creaturas ad exiſtendum, at non ad operandum.

Inst. *Secundò.* Prima cauſa operans, eſt prima cauſa operandi: atqui Deus eſt prima ſimpliciter cauſa operans.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus eſt prima ſimpliciter cauſa operans in ſuis operationibus, *C.* In operationibus creaturarum, *N.* Quia non eas ad operandum phyſicè determinat, ſed ad concurrendum determinatur ab ipſis.

Inst. *Tertiò.* Qui operatur in nobis velle & perficere, eſt prima cauſa operans in operationibus creaturarum: atqui *Deus operatur in nobis velle & perficere.*

Resp. Dist. Min. Atqui Deus operatur in nobis velle & perficere, operatur moraliter, per gratias ſuaviter excitantes, *C.* Operatur phyſicè præmovendo, *N.*

Inst. *Quartò.* Qui attingit à fine ad finem fortiter operatur velle & perficere, phyſicè præmovendo: atqui *Deus attingit à fine ad finem fortiter.*

Resp. Dist. Min. Atqui Deus attingit à fine ad finem fortiter, morali ſed efficaci ſuaſione, *C.* Phyſicâ præmotione, *N.* hinc additur, *& diſponit omnia ſuaviter*; non ſuaviter autem, ſi phyſicè, quia tolleret libertatem.

Inst. *Quintò.* Ille attingit à fine ad finem phyſicâ præmotione, cui creaturæ omnes eſſentialiter ſub-

ordinantur in operationibus ſuis : atqui Deo ſubordinantur eſſentialiter creaturæ omnes.

Resp. Dist. Maj. Cui creaturæ omnes eſſentialiter ſubordinantur tanquam phyſicè prædeterminanti, præmoventi, *C.* Tanquam concurrenti, *N.* Nam ſubordinatio creaturarum Deo ſatis intelligitur per concurſum, quatenus nihil quidquam operari poſſunt creaturæ, niſi Deo concurrente.

Inst. *Sextò.* Quæ ſubordinantur eſſentialiter Deo ſicut inſtrumentum cauſæ principali, ſubordinantur Deo tanquam phyſicè præmoventi : atqui creaturæ omnes ſubordinantur Deo ſicut inſtrumentum cauſæ principali.

Resp. Dist. Maj. Quæ ſubordinantur Deo ſicut inſtrumentum artificiale & paſſivum, *C.* Sicut inſtrumentum naturale & activum, *N.* Porro creatutura eſt inſtrumentum Dei naturale & activum habens in ſe principium ſui motus.

Inst. *Septimò.* Quæ non poſſunt movere ſe niſi prius moveantur à Deo, ſurbordinantur Deo ſicut inſtrumentum artificiale artifici ſuo : atqui creaturæ non poſſunt movere ſe, niſi priùs moveantur à Deo.

Prob. min. Creaturæ non poſſunt moveri à ſeipſis ; ergo prius moveantur à Deo neceſſe eſt.

Prob. Ant. *Quidquid movetur, ab alio movetur* (ex axiomate) ergo creaturæ non poſſunt moveri à ſeipſis.

Resp. Dist. Ant. Ab alio movetur, ſi non habeat in ſe principium ſui motus, *C.* Si habeat vim ſui motivam, *N.* At vim illam ſibi vindicant creaturæ.

Inst. *Octavò.* Si creaturæ moverentur à ſeipſis ; jam ſimul eſſent in actu, & in potentiâ reſpectu ſui ; atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Simul eſſent in actu, & in potentiâ activâ, *C.* Paſſivâ, *N.* Quia motum non recipiunt aliundè.

OBIECTIO II.

Quæ dependent à Deo dependentiâ omnium maximâ, dependent à Deo phyſicè præmovente : atqui creaturæ dependent à Deo dependentiâ omnium maximâ,

ſino, gratiam Dei non tollere libertatem, & relinquere poteſtatem diſſentiendi: atqui gratia de quâ loquitur Tridentinum, eſt phyſica præmotio ſupernaturalis.

PROB. MIN. Loquitur Concilium Tridentinum de gratiâ, quæ tollebat libertatem in principiis Hæreticorum: atqui ſola gratia phyſicè præmovens tollebat libertatem in principiis Hæreticorum.

RESP. DIST. MAj. Loquitur Concilium de gratiâ quæ tollebat libertatem in principiis hæreticorum, de gratiâ ut gratiâ præcisè, abſtrahendo à modo ipſius phyſico, *C.* De gratiâ ſecundùm modum impellendi phyſicum, quem Hæretici vindicabant ipſi, *N.* Scilicet Tridentinum definiit generatim liberum arbitrium non tollere libertatem, idque contra hæreticos; utrum autem phyſicè vel moraliter ſuum obtineat eff.ctum nihil expreſsè definiit; conjicimus ſolùm propendiſſe in eam ſententiam quæ gratiæ dat moralem impulſionem, quia alioqui non videtur, quo pacto poſſet gratiæ voluntas reſiſtere ſeu diſſentire.

INST. *Quintò.* Definitio Concilii debuit eſſe directè oppoſita errori hæreticorum: atqui error hæreticorum erat gratiam phyſicè præmoventem tollere libertatem; ergo definiit Concilium, gratiam phyſicè præmoventem non tollere libertatem.

RESP. DIST. MAj. Definitio Concilii debuit eſſe directè oppoſita errori, oppoſita quoad dogma, *C.* Quoad rationem dogmatis, *N.* Dogma erroneum erat, gratiam tollere libertatem, & hoc damnatum eſt à Concilio: ratio dogmatis erat, quia erat phyſica motio; hoc intactum à Concilio.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Dentur ne Accidentia Phyſica.

PROPOSITIO.

Dantur Accidentia phyſica & abſoluta à ſubſtantiis realiter diſtincta.

Probatur. Accidentia Phyſica ſunt accidentia realiter ſeparabilia à ſubſtantiis, quarum ſunt accidentia. Atqui dantur accidentia realiter ſeparabilia à ſubſtantiis: nam in Sacramento Altaris poſt factam conſecrationem ſuperſunt ſpecies Panis & Vini, ut definitum eſt à Concilio Tridentino, Seſſ. 13. Can. 2. atqui ſpecies illæ Panis & Vini ſuperſtites ſunt accidentia phyſica & abſoluta. Enimverò ſpecies illæ vel ſunt accidentia phyſica, vel accidentia modalia, vel ſubſtantiæ. Atqui non ſunt ſubſtantiæ, quia tota Panis & Vini ſubſtantia converſa eſt in corpus & ſanguinem Chriſti, ut ibidem docetur; neque ſunt accidentia modalia, quia ſunt ſeparatæ ab omni ſubjecto, Modi autem ſunt inſeparabiles à ſubjectis ſuis. Ergo ſpecies illæ Panis & Vini poſt factam conſecrationem ſuperſtites, ſunt accidentia phyſica & abſoluta, proindéque dantur accidentia phyſica & abſoluta à ſubſtantiis realiter diſtincta.

OBJECTIO.

Nihil debet Philoſophus admittere; quod ſibi non fuerit evidenter notum: atqui accidentia phyſica non ſunt evidenter nota; eorum enim nulla prorsùs habetur idea. Ergo non dantur accidentia phyſica.

Resp. *Primò.* Dist. Maj. Nihil debet Philoſophus admittere, quod ſibi non fuerit evidenter notum, non debet admittere tanquam evidens, *C.* Tanquam probabilius, *N.*

Resp. *Secundò*. Dist. Maj. Atqui accidentia phyſica non ſunt evidenter nota, abſolutè & nullâ factâ hypotheſi, *C*. Non ſunt evidenter nota hypotheticè, ſuppoſitis ſemel fidei principiis, *N*. Nam ſi remanent ſpecies in Altaris Myſterio, & ſub illis ſpeciebus corpus Chriſti, neceſſe eſt dari accidentia phyſica, ut dictum eſt ſuprà.

Instabis. Nullum datur accidens phyſicum, ſi quodlibet accidens ſit realiter inſeparabile à materiâ; atqui quodlibet accidens eſt à materiâ inſeparabile.

Prob. Min. Modus & modificatio materiæ eſt inſeparabilis à materiâ: atqui quodlibet accidens eſt materiæ modus & modificatio. Ergo quodlibet accidens eſt inſeparabile à materiâ.

Resp. Dist. Maj. Modus materiæ eſt inſeparabilis à materiâ, ſi ſit modus metaphyſicus, ut inflexio digiti, *C*. Si ſit modus phyſicus, ut quantitas, *N*.

Inst. *Secundò*. Modus materiæ eſſentialiter inhærens, eſt modus materiæ metaphyſicus; atqui quodlibet accidens eſt ens eſſentialiter inhærens materiæ: quia definitur ſic. Ergo quodlibet accidens eſt modus materiæ metaphyſicus.

Resp. Dist. Maj. Modus materiæ eſſentialiter inhærens in actu ſecundo, *C*. Eſſentialiter inhærens in actu primo tantùm, *N*. Porrò accidens non eſt ens eſſentialiter inhærens niſi in actu primo, quatenùs eſſentialiter exigit eſſe in alio, quanquam interim fieri poſſit ut non ſit inhærens in actu ſecundo, ſi nempè ſubducatur inhæſionis ſubjectum, ut contingit in Altaris Myſterio.

Inst. *Tertiò*. Si quod eſt accidens realiter ſeparabile à ſubjecto inhæſionis maximè magnitudo ſolida; atqui magnitudo non eſt à materiâ realiter ſeparabilis.

Prob. Min. Proprietas materiæ eſt inſeparabilis à materiâ. Atqui magnitudo ſolida eſt materiæ proprietas. Ergo eſt inſeparabilis à materiâ.

Resp. Dist. Maj. Proprietas materiæ eſt inſeparabilis à materiâ, ſi ſit proprietas metaphyſica, *C*. Si ſit proprietas phyſica, *N*. Porrò magnitudo ſolida eſt materiæ proprietas phyſica, realiter ab eâ ſeparabilis, & ſeparata in Altaris Myſterio,

INST. *Quartò.* Attributum materiæ neceſſarium [illegible] ab eſſentia materiæ profluens, eſt ejus proprietas metaphyſica & inſeparabilis. Atqui magnitudo ſolida eſt attributum materiæ neceſſarium & [illegible]. Ergo eſt ejus proprietas metaphyſica.

RESP. DIST. MAJ. Attributum materiæ neceſſarium neceſſitate metaphyſicâ, C. Neceſſarium neceſſitate phyſicâ tantum, N. porrò magnitudo eſt attributum materiæ neceſſarium, ſed neceſſitate phyſicâ, quia phyſice ſequitur, nec eſt materia ſine magnitudine, nec magnitudo abſque materiâ, tametſi abſolutè invicem ſeparari queant, ut in Altaris Myſterio.

INST. *Quintò.* Magnitudo ſolida eſt attributum neceſſarium neceſſitate metaphyſicâ illius ſubſtantiæ, quæ non poteſt concipi niſi ut extenſa & diviſibilis; atqui materia concipi non poteſt niſi ut extenſa & diviſibilis.

RESP. DIST. MAJ. Quæ non poteſt concipi niſi ut extenſa extenſione quantitativâ & impenetrabili, C. Niſi ut extenſa extenſione entitativâ & penetrabili, N. Porrò materia concipitur ut extenſa, entitativè, & diviſibilis in plures entitatis ſuæ partes.

INST. *Sextò.* Atqui materia concipi non poteſt niſi ut extenſa quantitativè. Ergo, &c.

PROB. SUBS. Materia concipi non poteſt, niſi ut conſtans duobus hinc & indè terminis, medióque interjecto; atqui non poteſt concipi ut conſtans duobus terminis & medio, niſi concipiatur ut extenſa quantitativè.

RESP. DIST. MAJ. Materia concipi non poteſt niſi ut conſtans duobus terminis & medio interjecto, ſi materia ſpectetur in ſuo ſtatu naturali & phyſico, C. Si ſpectetur in ſtatu præternaturali & abſolutè poſſibili, N. Porrò materia abſque magnitudine eſt in ſtatu præternaturali, ſed ſtatu abſolutè poſſibili, ut videre eſt in Sacramento Altaris.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Exiſtentiâ Dei.

PROPOSITIO.

Exiſtentia Dei demonſtratur efficaciter à poſteriori.

PROBATUR. Demonſtrari aliquid à poſteriori eſt demonſtrari per effectus ſibi neceſſariò & evidenter connexos; atqui exiſtentia Dei demonſtratur per effectûs ſuos ſibi neceſſariò & evidenter connexos, nimiùm per creaturas; atque poteſt ea demonſtratio inſtitui ferè ſic.

Nomine Dei intelligitur Ens neceſſarium independens & perfectiſſimum in omni genere. Atqui exiſtat neceſſe eſt Ens aliquod neceſſarium independens & perfectiſſimum; vel enim exiſtit ens aliquod neceſſarium, vel omnia quæcumque entia, ſunt contingentia; ſed implicat entia omnia eſſe contingentia: nam ſi entia omnia eſſent contingentia, omnia poſſent eſſe vel non eſſe promiſcuè; ſed implicat entia omnia poſſe eſſe vel non eſſe indiſcriminatìm; nam ſi omnia poſſunt eſſe vel non eſſe; ſupponamus omnia non eſſe; *poſſibili poſito in actu nihil ſequitur abſurdi*: ſed ſi ſupponamus omnia non eſſe, jam omnia erunt poſſibilia ſimul & non erunt; erunt quidem poſſibilia, quia ſunt contingentia, contingens enim eſt quod poteſt eſſe vel non eſſe. Deindè non erunt poſſibilia, nam non erunt poſſibilia, quæ exiſtentiam ſortiri nunquam poterunt; atqui quæ ſupponuntur non eſſe, numquam poterunt exiſtentiam ſortiri, nec à ſeipſis, nec ab alio; non quidem à ſe, quia nihil eſt quod ſibi poſſit exiſtentiam conferre, alioqui foret ſeipſo prius & poſterius ſimul: non etiam ab alio, quia nihil aliud eſſe ſupponitur, cùm ſuppoſuerimus omnia non eſſe. Ergo implicat omnia eſſe contingentia, proindéque exiſtat oportet Ens aliquod neceſſarium, Ens autem illud, Deus eſt.

eripiens creaturis debitum in actiones ſuas dominium, non item concurſus.

Inst. *Quartò.* Vel redundat dependentia à concurſu immediato, vel agnoſcenda eſt præmotio phyſica, ſi parem utraque voluntati neceſſitatem inferat: atqui concurſus immediatus & præmotio phyſica parem inferunt agendi neceſſitatem.

Prob. Min. Ideò præmotio phyſica dicitur voluntati neceſſitatem inferre, quia eâ ſemel poſitâ, voluntas non poteſt non agere: ſed pariter poſito concurſu immediato Dei, voluntas non poteſt non agere.

Resp. Dist. min. Sed pariter poſito concurſu immediato Dei, voluntas non poteſt non agere, poſito tanquam hypotheſi conſequenti, *C.* Antecedenti, *N.* At econtrà præmotio phyſica inferret voluntati neceſſitatem antecedentem, quia efficaciter applicaret creaturas, ſic ut non valerent reſiſtere.

Inst. *Quintò.* Quod neceſſariò prærequiritur ad agendum, ſe habet tanquam hypotheſis neceſſaria & antecedens: atqui concurſus Dei immediatus neceſſariò prærequiritur ad agendum.

Resp. dist. Maj. Quod neceſſariò requiritur ad agendum, ſi non ſit in noſtrâ poteſtate illud accerſere, vel non accerſere, *C.* Si ſit in noſtrâ poteſtate illud accerſere, *N.* At eſt in poteſtate libertatis accerſere concurſum, vi ſuæ determinationis.

Inst. *Sextò.* Quod eſt prius actione creaturæ, non eſt in creaturæ poteſtate illud accerſere: atqui concurſus Dei immediatus prior eſt omni actione, & determinatione creaturarum.

Resp. Dist. maj. Quod eſt prius prioritate temporis, vel cauſalitatis, *C.* Prioritate univerſalitatis, & eſſendi conſecutionis, *N.* At Dei concurſus immediatus non eſt prior actione creaturæ prioritate temporis, vel cauſalitatis, quaſi ſit cauſa illius: at eſt prior univerſalitate, quia requiritur ad omnes univerſim creaturarum actiones.

OBIECTIO II.

Ex actionibus creaturarum quædam ſunt bonæ, quædam malæ moraliter: atqui implicat Deum concurrere ad malas actiones; ergo implicat Deum concurrere

concurrere ad omnes.

Prob. Min. Si Deus concurreret ad actiones malas, eſſet author peccati: falſum conſequens.

Resp. Dist. Maj. Si Deus concurreret ad actiones malas formaliter ſumptas, ex parte malitiæ, C. Materialiter ſumptas ex parte actûs humani, N. Porrò Deus non concurrit ad formale peccati, ſeu ad malitiam moralem, ſed ad actum humanum, ſeu materiale peccati.

Instabis. Si Deus concurrit ad actiones malas, concurrit ad id omne, ad quod ipſa concurrit creatura: atqui creatura concurrit non modo ad materiale, ſed etiam ad formale peccati; ergo Deus concurreret ad peccatum formaliter ſumptum.

Resp. dist. maj. Deus concurreret ad id omne ad quod ipſa concurrit creatura efficiendo, C. Deficiendo, N. Porrò creatura concurrit ad malitiam peccati, non ut cauſa efficiens, ſed ut deficiens, quia malitia nihil aliud eſt quam defectus.

Inst. *Secundò*. Niſi Deus concurreret ad formale peccati eſſet in actionibus creaturæ gradus aliquis à Deo independens.

Resp. Dist. Eſſet in actionibus creaturæ gradus aliquis independens, gradus privativus, ſeu defectus ipſe, C. Gradus poſitivus & realis, N. At concurrere ad defectum ſonat imperfectionem, & ſolius eſſe poteſt cauſæ deficientis; Deus autem deficere non poteſt.

Inst. *Tertiò*. Atqui ſi Deus concurreret ad actiones malas, concurreret ad defectum actionis.

Prob. Subs. Qui concurrit ad id quod eſt neceſſariò conjunctum cum defectu, concurrat neceſſe eſt ad defectum ipſum: atqui Deus concurreret ad materiale peccati, neceſſariò conjunctum cum defectu; ergo concurreret ad defectum ipſum.

Resp. Dist. Min. Atqui materiale peccati eſt neceſſariò conjunctum cum defectu, conjunctum ex parte cauſæ ſecundæ deficientis, C. Conjunctum ex parte cauſæ primæ indefectibilis, N. Nam defectus actionis unicè repetitur à libertate deficiente.

Inst. *Quartò*. Ille concurrit ad actionem ut formaliter defectuoſam, qui concurrit ad actionem prout eſt formaliter difformis rectæ rationi: atqui Deus concurrens ad actiones malas, concurreret ad

actionem prout formaliter difformem rectæ rationi.

Resp. Dist. Min. Atqui Deus concurreret ad actionem prout eſt difformis ex parte creaturæ deficientis, *C.* Prout eſt difformis ex parte ſui, *N.* Nam tota difformitas actionis petitur à cauſâ particulari determinante & defectibili.

Inst. *Quintò.* Deus & creatura concurrunt unicâ & indiviſibili actione; ergo ſi actio illa eſſet difformis ex parte creaturæ, eſſet quoque ex parte Dei.

Resp. Dist. Ant. Concurrerent unicâ & indiviſibili actione realiter & entitativè, *C.* Formaliter & conſideratione, *N.* Nam alia eſt formalitas actionis ut ſe tenet ex parte Dei concurrentis, alia ut ſe tenet ex parte creaturæ deficientis; creatura deficit in actione, quia agit contrà debitum; Deus autem non deficit, quia agit ex debito.

Inst. *Sextò.* Licet homo in actione ſuâ non intendat difformitatem actionis, nihilominus deficit intendendo materiale peccati; ergo quamvis Deus concurrens non intendat difformitatem actionis, ſi tamen ponat materiale actionis, deficere cenſetur.

Resp. Nego Conſeq. & Parit. Ratio diſp. eſt quia homo eſt cauſa particularis, & determinans: Deus autem agit ut cauſa univerſalis, & determinata.

Inst. *Septimò* Ergo ſaltem Deus deficit ut cauſa generalis & determinata.

Resp. Nego Conſeq. Sicuti ſol non cenſetur deficere in productione fructus amari.

QUÆSTIO SEXTA.

De Præmotione Phyſicâ.

PROPOSITIO.

Non datur phyſica præmotio ad ſenſum Thomiſtarum.

Probatur. Ea non eſt admittenda præmotio; quæ inutilis eſt, noxia libertati, injurioſa Deo: atqui præmotio phyſica eſt hujuſmodi. Et primò quidem eſt inutilis; nam ea præmotio eſt inutilis creaturis inter operandum, ſine quâ poſſunt creaturæ hic & nunc ad agendum determinari; atqui ſine præmotione phyſicâ poſſunt creaturæ hic & nunc determinari ad agendum: nam creaturæ vel ſunt liberæ, vel neceſſariæ; ſi liberæ ſunt, ſuâ poſſunt libertate determinare ſe; ſi ſunt neceſſariæ, ſua ſatis naturali neceſſitate determinantur; ergo Phyſica præmotio eſt inutilis.

Deinde verò eſt noxia libertati. Nam determinatio antecedens & phyſica eſt noxia libertati, cujus eſſentia eſt indifferentia antecedens: atqui phyſica præmotio eſt determinatio creaturarum à Deo antecedens & phyſicâ, & quidem talis, ut eâ ſemel poſitâ, repugnet non ſequi effectum; ergo phyſica præmotio eſt noxia libertati.

Denique eſt injurioſa Deo. Nam ea præmotio eſt injurioſa Deo, quâ ſemel poſitâ Deus foret auctor peccati: atqui poſitâ præmotione phyſicâ foret Deus auctor peccati; nam auctor eſt peccati, qui primus inſtigat & phyſicè applicat ad peccandum creaturas de peccato nequidem cogitantes: atqui per phyſicam præmotionem Deus inſtigaret & applicaret phyſicè ad peccandum creaturas ne de peccato quidem cogitantes; ergo eſt Deo valdè injurioſa iſta præmotio.

OBIECTIO I.

PRimum movens phyſicè præmovet ſecundum: atqui Deus eſt primum movens, creatura eſt ſecundum.

RESP. DIST. MAJ. Primum movens prioritate cauſalitatis atque influxûs, *C.* Prioritate dignitatis atque univerſalitatis, *N.* At Deus eſt primum movens dignitate, quia ſummè independens in ſuis operationibus, & univerſalitate, quia generatim concurrit ad omnes creaturarum operationes.

INSTABIS. Prima cauſa eſt primum movens prioritate cauſalitatis: atqui Deus eſt prima cauſa ſimpliciter.

RESP. DIST. MIN. Atqui Deus eſt prima cauſa exiſtendi, *C.* Operandi, *N.* Quia præmovet quidem phyſicè creaturas ad exiſtendum, at non ad operandum.

INST. *Secundò.* Prima cauſa operans, eſt prima cauſa operandi: atqui Deus eſt prima ſimpliciter cauſa operans.

RESP. DIST. MIN. Atqui Deus eſt prima ſimpliciter cauſa operans in ſuis operationibus, *C.* In operationibus creaturarum, *N.* Quia non eas ad operandum phyſicè determinat, ſed ad concurrendum determinatur ab ipſis.

INST. *Tertiò.* Qui operatur in nobis velle & perficere, eſt prima cauſa operans in operationibus creaturarum: atqui *Deus operatur in nobis velle & perficere.*

RESP. DIST. MIN. Atqui Deus operatur in nobis velle & perficere, operatur moraliter, per gratias ſuaviter excitantes, *C.* Operatur phyſicè præmovendo, *N.*

INST. *Quartò.* Qui attingit à fine ad finem fortiter operatur velle & perficere, phyſicè præmovendo: atqui *Deus attingit à fine ad finem fortiter.*

RESP. DIST. MIN. Atqui Deus attingit à fine ad finem fortiter, morali ſed efficaci ſuaſione, *C.* Phyſicâ præmotione, *N.* hinc additur, *& diſponit omnia ſuaviter*; non ſuaviter autem, ſi phyſicè, quia tolleret libertatem.

INST. *Quintò.* Ille attingit à fine ad finem phyſicâ præmotione, cui creaturæ omnes eſſentialiter ſub-

ordinantur in operationibus ſuis : atqui Deo ſubordinantur eſſentialiter creaturæ omnes.

Resp. Dist. Maj. Cui creaturæ omnes eſſentialiter ſubordinantur tanquam phyſicè prædeterminanti, præmoventi, C. Tanquam concurrenti, N. Nam ſubordinatio creaturarum Deo ſatis intelligitur per concurſum, quatenus nihil quidquam operari poſſunt creaturæ, niſi Deo concurrente.

Inst. *Sextò*. Quæ ſubordinantur eſſentialiter Deo ſicut inſtrumentum cauſæ principali, ſubordinantur Deo tanquam phyſicè præmoventi : atqui creaturæ omnes ſubordinantur Deo ſicut inſtrumentum cauſæ principali.

Resp. Dist. Maj. Quæ ſubordinantur Deo ſicut inſtrumentum artificiale & paſſivum, C. Sicut inſtrumentum naturale & activum, N. Porro creatutura eſt inſtrumentum Dei naturale & activum habens in ſe principium ſui motus.

Inst. *Septimò*. Quæ non poſſunt movere ſe niſi prius moveantur à Deo, ſurbordinantur Deo ſicut inſtrumentum artificiale artifici ſuo : atqui creaturæ non poſſunt movere ſe, niſi priùs moveantur à Deo.

Prob. min. Creaturæ non poſſunt moveri à ſeipſis ; ergo prius moveantur à Deo neceſſe eſt.

Prob. Ant. *Quidquid movetur, ab alio movetur* (ex axiomate) ergo creaturæ non poſſunt moveri à ſeipſis.

Resp. Dist. Ant. Ab alio movetur, ſi non habeat in ſe principium ſui motus, C. Si habeat vim ſui motivam, N. At vim illam ſibi vindicant creaturæ.

Inst. *Octavò*. Si creaturæ moverentur à ſeipſis ; jam ſimul eſſent in actu, & in potentiâ reſpectu ſui ; atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Simul eſſent in actu, & in potentiâ activâ, C. Paſſivâ, N. Quia motum non recipiunt aliundè.

OBJECTIO II.

Quæ dependent à Deo dependentiâ omnium maximâ, dependent à Deo phyſicè præmovente : atqui creaturæ dependent à Deo dependentiâ omnium maximâ,

ſino, gratiam Dei non tollere libertatem, & relinquere poteſtatem diſſentiendi : atqui gratia de quâ loquitur Tridentinum, eſt phyſica præmotio ſupernaturalis.

PROB. MIN. Loquitur Concilium Tridentinum de gratiâ, quæ tollebat libertatem in principiis Hæreticorum : atqui ſola gratia phyſicè præmovens tollebat libertatem in principiis Hærericorum.

RESP. DIST. MAj. Loquitur Concilium de gratiâ quæ tollebat libertatem in principiis hæreticorum, de gratiâ ut gratiâ præcisè, abſtrahendo à modo ipſius phyſico, C. De gratiâ ſecundùm modum impellendi phyſicum, quem Hærerici vindicabant ipſi, N. Scilicet Tridentinum definiit generatim liberum arbitrium non tollere liberratem, idque contra hæreticos; utrum autem phyſicè vel moraliter ſuum obtineat eff.ctum nihil expreſsè definiit; conjicimus ſolùm propendiſſe in eam ſententiam quæ gratiæ dat moralem impulſionem, quia alioqui non videtur, quo pacto poſſet gratiæ voluntas reſiſtere ſeu diſſentire.

INST. *Quintò.* Definitio Concilii debuit eſſe directè oppoſita errori hæreticorum : atqui error hæreticorum erat gratiam phyſicè præmoventem tollere libertatem; ergo definiit Concilium, gratiam phyſicè præmoventem non tollere libertatem.

RESP. DIST. MAj. Definitio Concilii debuit eſſe directè oppoſita errori, oppoſita quoad dogma, C. Quoad rationem dogmatis, N. Dogma erroneum erat, gratiam tollere libertatem, & hoc damnatum eſt à Concilio : ratio dogmatis erat, quia erat phyſica motio; hoc intactum à Concilio.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Dentur ne Accidentia Phyſica.

PROPOSITIO.

Dantur Accidentia phyſica & abſoluta à ſubſtantiis realiter diſtincta.

Probatur. Accidentia Phyſica ſunt accidentia realiter ſeparabilia à ſubſtantiis, quarum ſunt accidentia. Atqui dantur accidentia realiter ſeparabilia à ſubſtantiis: nam in Sacramento Altaris poſt factam conſecrationem ſuperſunt ſpecies Panis & Vini, ut definitum eſt à Concilio Tridentino, Seſſ. 13. Can. 2. atqui ſpecies illæ Panis & Vini ſuperſtites ſunt accidentia phyſica & abſoluta. Enimverò ſpecies illæ vel ſunt accidentia phyſica, vel accidentia modalia, vel ſubſtantiæ. Atqui non ſunt ſubſtantiæ, quia tota Panis & Vini ſubſtantia converſa eſt in corpus & ſanguinem Chriſti, ut ibidem docetur; neque ſunt accidentia modalia, quia ſunt ſeparatæ ab omni ſubjecto, Modi autem ſunt inſeparabiles à ſubjectis ſuis; Ergo ſpecies illæ Panis & Vini poſt factam conſecrationem ſuperſtites, ſunt accidentia phyſica & abſoluta, proindéque dantur accidentia phyſica & abſoluta à ſubſtantiis realiter diſtincta.

OBIECTIO.

Nihil debet Philoſophus admittere, quod ſibi non fuerit evidenter notum: atqui accidentia phyſica non ſunt evidenter nota; eorum enim nulla prorsùs habetur idea. Ergo non dantur accidentia phyſica.

Resp. *Primò.* Dist. Maj. Nihil debet Philoſophus admittere, quod ſibi non fuerit evidenter notum, non debet admittere tanquam evidens, *C.* Tanquam probabilius, *N.*

Resp. *Secundò*. Dist. Maj. Atqui accidentia phyſica non ſunt evidenter nota, abſolutè & nullâ factâ hypotheſi, *C*. Non ſunt evidenter nota hypotheticè, ſuppoſitis ſemel fidei principiis, *N*. Nam ſi remanent ſpecies in Altaris Myſterio, & ſub illis ſpeciebus corpus Chriſti, neceſſe eſt dari accidentia phyſica, ut dictum eſt ſuprà.

Instabis. Nullum datur accidens phyſicum, ſi quodlibet accidens ſit realiter inſeparabile à materiâ; atqui quodlibet accidens eſt à materiâ inſeparabile.

Prob. Min. Modus & modificatio materiæ eſt inſeparabilis à materiâ: atqui quodlibet accidens eſt materiæ modus & modificatio. Ergo quodlibet accidens eſt inſeparabile à materiâ.

Resp. Dist. Maj. Modus materiæ eſt inſeparabilis à materiâ, ſi ſit modus metaphyſicus, ut inflexio digiti, *C*. Si ſit modus phyſicus, ut quantitas, *N*.

Inst. *Secundò*. Modus materiæ eſſentialiter inhærens, eſt modus materiæ metaphyſicus; atqui quodlibet accidens eſt ens eſſentialiter inhærens materiæ: quia definitur ſic. Ergo quodlibet accidens eſt modus materiæ metaphyſicus.

Resp. Dist. Maj. Modus materiæ eſſentialiter inhærens in actu ſecundo, *C*. Eſſentialiter inhærens in actu primo tantùm, *N*. Porrò accidens non eſt ens eſſentialiter inharens niſi in actu primo, quatenùs eſſentialiter exigit eſſe in alio, quanquam interim fieri poſſit ut non ſit inhærens in actu ſecundo, ſi nempè ſubducatur inhæſionis ſubjectum, ut contingit in Altaris Myſterio.

Inst. *Tertiò*. Si quod eſt accidens realiter ſeparabile à ſubjecto inhæſionis maximè magnitudo ſolida; atqui magnitudo non eſt à materiâ realiter ſeparabilis.

Prob. Min. Proprietas materiæ eſt inſeparabilis à materiâ. Atqui magnitudo ſolida eſt materiæ proprietas. Ergo eſt inſeparabilis à materiâ.

Resp. Dist. Maj. Proprietas materiæ eſt inſeparabilis à materiâ, ſi ſit proprietas metaphyſica, *C*. Si ſit proprietas phyſica, *N*. Porrò magnitudo ſolida eſt materiæ proprietas phyſica, realiter ab eâ ſeparabilis, & ſeparata in Altaris Myſterio,

Inst. *Quartò.* Attributum materiæ neceſſarium reciprocum, ab eſſentiâ materiæ profluens, eſt ejus proprietas metaphyſica & inſeparabilis. Atqui magnitudo ſolida eſt attributum materiæ neceſſarium & reciprocum. Ergo eſt ejus proprietas metaphyſica.

Resp. Dist. Maj. Attributum materiæ neceſſarium neceſſitate metaphyſicâ, *C.* Neceſſarium neceſſitate phyſicâ tantùm, *N.* porrò magnitudo eſt attributum materiæ neceſſarium, ſed neceſſitate phyſicâ, quia phyſicè loquendo, nec eſt materia ſine magnitudine, nec magnitudo abſque materiâ, tametſi abſolutè mutuò ſeparari queant, ut in Altaris Myſterio.

Inst. *Quintò.* Magnitudo ſolida eſt attributum neceſſarium neceſſitate metaphyſicâ illius ſubſtantiæ, quæ non poteſt concipi niſi ut extenſa & diviſibilis; atqui materia concipi non poteſt niſi ut extenſa & diviſibilis.

Resp. Dist. Maj. Quæ non poteſt concipi niſi ut extenſa extenſione quantitativâ & impenetrabili, *C.* Niſi ut extenſa extenſione entitativâ & penetrabili, *N.* Porrò materia concipitur ut extenſa, entitativè, & diviſibilis in plures entitatis ſuæ partes.

Inst. *Sextò.* Atqui materia concipi non poteſt, niſi ut extenſa quantitativè. Ergo, &c.

Prob. Subs. Materia concipi non poteſt, niſi ut conſtans duobus hinc & indè terminis, medióque interjecto; atqui non poteſt concipi ut conſtans duobus terminis & medio, niſi concipiatur ut extenſa quantitativè.

Resp. Dist. Maj. Materia concipi non poteſt niſi ut conſtans duobus terminis & medio interjecto, ſi materia ſpectetur in ſuo ſtatu naturali & phyſico, *C.* Si ſpectetur in ſtatu præternaturali & abſolutè poſſibili, *N.* Porrò materia abſque magnitudine eſt in ſtatu præternaturali, ſed ſtatu abſolutè poſſibili, ut videre eſt in Sacramento Altaris.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Exiſtentiâ Dei.

PROPOSITIO.

Exiſtentia Dei demonſtratur efficaciter à poſteriori.

PROBATUR. Demonſtrari aliquid à poſteriori eſt demonſtrari per effectus ſibi neceſſariò & evidenter connexos; atqui exiſtentia Dei demonſtratur per effectûs ſuos ſibi neceſſariò & evidenter connexos, nimiùm per creaturas; atque poteſt ea demonſtratio inſtitui ferè ſic.

Nomine Dei intelligitur Ens neceſſarium independens & perfectiſſimum in omni genere. Atqui exiſtat neceſſe eſt Ens aliquod neceſſarium independens & perfectiſſimum; vel enim exiſtit ens aliquod neceſſarium, vel omnia quæcumque entia, ſunt contingentia; ſed implicat entia omnia eſſe contingentia: nam ſi entia omnia eſſent contingentia, omnia poſſent eſſe vel non eſſe promiſcuè; ſed implicat entia omnia poſſe eſſe vel non eſſe indiſcriminatìm; nam ſi omnia poſſunt eſſe vel non eſſe; ſupponamus omnia non eſſe; *poſſibili poſito in actu nihil ſequitur abſurdi*: ſed ſi ſupponamus omnia non eſſe, jam omnia erunt poſſibilia ſimul & non erunt; erunt quidem poſſibilia, quia ſunt contingentia, contingens enim eſt quod poteſt eſſe vel non eſſe. Deindè non erunt poſſibilia, nam non erunt poſſibilia, quæ exiſtentiam ſortiri nunquam poterunt; atqui quæ ſupponuntur non eſſe, numquam poterunt exiſtentiam ſortiri, nec à ſeipſis, nec ab alio; non quidem à ſe, quia nihil eſt quod ſibi poſſit exiſtentiam conferre, alioqui foret ſeipſo prius & poſterius ſimul: non etiam ab alio, quia nihil aliud eſſe ſupponitur, cùm ſuppoſuerimus omnia non eſſe. Ergo implicat omnia eſſe contingentia, proindéque exiſtat oportet Ens aliquod neceſſarium, Ens autem illud, Deus eſt.

OBIECTIO I.

DEmonſtrari à poſteriori eſt demonſtrari per effectus. Atqui exiſtentia Dei non poteſt demonſtrari per effectus Dei, per creaturas.

Prob. Min. Ens neceſſarium non poteſt demonſtrari per ens contingens: atqui Deus eſt Ens ſummè neceſſarium, creaturæ ſunt entia valdè contingentia.

Resp. Nego Maj. Immò verò ſi datur ens contingens, datur ens neceſſarium, ſiquidem impoſſibile eſt omnia entia eſſe contingentia; alioquin jam eſſent poſſibilia ſimul & non eſſent.

Resp. *Secundò.* dist. Maj. Ens neceſſarium non poteſt demonſtrari per ens contingens, quoad connexionem, *C.* Quoad entitatem, *N.* Porrò creaturæ ſunt entia quidem contingentia quoad entitatem, quia poſſunt exiſtere, vel non exiſtere. At non ſunt entia contingentia quoad connexionem, quia neceſſariam habent cum ente ſummè neceſſario connexionem, ut apertè evincit demonſtratio S. Thomæ petita ex creaturarum contingentiâ.

Instabis. Medium demonſtrationis debet eſſe neceſſarium. Atqui entia contingentia non poſſunt eſſe medium neceſſarium.

Resp. Dist. Maj. Debet eſſe neceſſarium, vel abſolutè, vel hypotheticè, *C.* Neceſſarium abſolutè, *N.* Porrò entia quidem contingentia non poſſunt eſſe medium neceſſarium abſolutè, quia poſſunt abſolutè non eſſe; ſed ſunt medium neceſſarium hypotheticè, quia ex hypotheſi quod ſemel exiſtant, habent neceſſariam connexionem cum ente neceſſario, ſiquidem non ſunt à ſeipſis.

Inst. *Secundò.* Entia abſolutè contingentia non poſſunt eſſe medium demonſtrationis entis abſolutè neceſſarii: atqui Deus eſt Ens abſolutè neceſſarium. Ergo creaturæ quæ ſunt entia abſolutè contingentia non ſunt medium demonſtrationis exiſtentiæ Dei.

Prob. maj. Ea demonſtratio foret vitioſa, cujus concluſio eſſet fortior præmiſſis, ſeu non ſequeretur deteriorem partem. Atqui in eâ demonſtratione in quâ

quâ entia abſolutè contingentia eſſent medium demonſtrationis entis abſolutè neceſſarii, concluſio foret præmiſſis fortior.

Prob. Min. In eâ demonſtratione, concluſio foret præmiſſis fortior, in quâ inferretur ens abſolutè neceſſarium ex ente non abſolutè neceſſario: atqui in eâ demonſtratione in quâ entia abſolutè contingentia eſſent medium demonſtrationis entis abſolutè neceſſarii, res ità ſe haberet. Ergo hujus demonſtrationis concluſio foret præmiſſis fortior.

Resp. Dist. Maj. In quâ inferretur abſolutè ens abſolutè neceſſarium ex ente non abſolutè neceſſario, C. In quâ inferretur hypotheticè tantùm, N. At in demonſtratione exiſtentiæ Dei per creaturas infertur non abſolutè ſed hypotheticè tantùm ens abſolutè neceſſarium; id eſt, ex hypotheſi quod exiſtant creaturæ, certi ſumus exiſtere ens abſolutè neceſſarium.

Inst. *Tertiò*. Atqui nequidem hypotheticè inferri poteſt ens abſolutè neceſſarium, ex creaturis.

Prob. Subs. Ut legitimè inferatur ens neceſſarium ex creaturis, debet manifeſtum eſſe, creaturas eſſe ab ente abſolutè neceſſario: atqui non liquet eſſe ab ente abſolutè neceſſario.

Prob. Min. Quæ ſupponi poſſunt eſſe ab aliis & aliis creaturis, non liquet ea eſſe ab ente abſolutè neceſſario: atqui creaturæ poſſunt ſupponi eſſe ab aliis & aliis creaturis, ſiquidem nihil habent quod excedat vim agendi creaturarum.

Resp. dist. Maj. Quæ ſupponi poſſunt eſſe ab aliis & aliis creaturis ſine ſubordinatione ad cauſam ſimpliciter primam, C. Cum ſubordinatione ad cauſam ſimpliciter primam, N. At detegitur eſſentialis ſubordinatio creaturarum ad cauſam ſimpliciter primam, quia cùm aliæ, & aliæ creaturæ ſint contingentes, poſſunt ſupponi eſſe, vel non eſſe omnes, atque ità eſſent poſſibiles, & impoſſibiles, niſi ſit cauſa ſimpliciter prima, vi cujus poſſint tranſire à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum exiſtentiæ.

Inst. *Quartò*. Liquere non poteſt creaturas eſſe ſubordinatas cauſæ ſimpliciter primæ, niſi demonſtretur impoſſibilem eſſe progreſſum in cauſis prioribus & prioribus; atqui progreſſus ille infinitus non po-

teſt demonſtrari impoſſibilis. Imò jam daretur, poſitâ Ariſtotelis ſententiâ de Mundi æternitate.

Resp. Dist. Maj. Niſi demonſtretur impoſſibilem eſſe progreſſum in cauſis æquivocis, *C.* In cauſis univocis, *N.* Porrò eſto quod non valeat demonſtrari impoſſibilis progreſſus in cauſis univocis, at certè demonſtratur impoſſibilis progreſſus in infinitum in cauſis æquivocis; quia præter collectionem omnium cauſarum ſecundarum univocarum, neceſſe eſt exiſtere primam aliquam cauſam æquivocam: nam tota collectio cauſarum ſecundarum eſt contingens, igitur poteſt ſupponi non eſſe: at ſi non eſſet, jam eſſet poſſibilis, & impoſſibilis, niſi daretur prima cauſa æquivoca extrà illam collectionem, & conſequenter neceſſaria.

Inst *Quintò*. Si collectio tota cauſarum ſecundarum poſſit ſupponi neceſſaria abſolutè, certè demonſtrari non poteſt prima aliqua ſimpliciter cauſa æquivoca extrà illam collectionem. Atqui tota collectio creaturarum poteſt ſupponi neceſſaria.

Resp. Nego Min. Cùm enim ſingulæ collectionis hujus partes ſint contingentes, quâ ratione fieri poterit collectionem eſſe abſolutè neceſſariam? atque hoc ſupponere tam abſurdum eſt, quàm ex pluribus cæcis oriri poſſe collectionem videntium.

Inst. *Sextò*. Quod eſt æternum, id eſt abſolutè neceſſarium: atqui in hypotheſi æternitatis mundi, collectio creaturarum eſt æterna. Ergo poteſt ſupponi abſolutè neceſſaria.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt æternum, id eſt abſolutè neceſſarium; in eâ hypotheſi in quâ ſolus Deus ſupponitur æternus, ut de facto ſe res habet, *C.* In hypotheſi Ariſtotelis & S. Thomæ de Mundi æternitate, N. Nam in illâ poſteriori hypotheſi Mundus eſſet æternus per participationem à Deo, tanquam primâ ſimpliciter causâ.

Inst. *Septimò* Quod poteſt ſupponi æternum & improductum, poteſt ſupponi abſolutè neceſſarium: atqui collectio creaturarum contingentium poteſt ſupponi æterna & improducta.

Prob. Min. Tam ſupponi poteſt entia abſolutè contingentia, eſſe tamen improducta, quàm ſupponi poſſit ens abſolutè neceſſarium eſſe productum: atqui hoc ſupponitur in Myſterio SS. Trinitatis,

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſp. eſt, quia non omnis productio arguit imperfectionem, ſi nimirùm fiat per communicationem infinitæ naturæ, qualis eſt productio Verbi divini à Patre æterno. At omnis negatio productionis in ente exiſtente, ſonat maximam omnium perfectionum, quia dicit independentiam, infinitudinem, proindéque competere non poteſt entibus contingentibus.

OBIECTIO II.

Eatenùs concludit hæc vulgaris demonſtratio, quatenùs ſupponit entia omnia fore contingentia, niſi Deus dicatur exiſtere. Atqui non ſequitur omnia fore idcircò contingentia.

Prob. Min. Tota collectio entium contingentium poteſt dici neceſſaria: Ergo non ſequitur omnia entia fore contingentia.

Resp. Nego Ant. Nam implicat ex entibus contingentibus oriri collectionem neceſſariam; undè enim illa exiſtendi neceſſitas emanaret?

Et Certè. Ubi eſt exiſtendi neceſſitas, ibi eſt ſumma independentia, proindéque infinitudo in perfectionibus. Sed quis dixerit, collectionem entium contingentium eſſe ſummè independentem, atque infinitam in perfectionibus; quaſi verò ex imperfectis & dependentibus concipi poſſit oriri collectio infinita & independens.

Instabis. Tota collectio entium contingentium poteſt dici neceſſaria; ſi ex contingentiâ creaturarum diſtributivè ſumptarum non liceat inferre contingentiam collectionis: atqui hoc non licet inferre

Prob. Min. Ex contingentiâ creaturarum diſtributivè ſumptarum inferre contingentiam collectionis, eſt concludere à ſenſu diſtributivo ad collectivum. Atqui non licet concludere ſic; quaſi verò poſſet concludi ſic; Quilibet Apoſtolus eſt unus: Ergo omnes Apoſtoli ſunt unus.

Resp. Dist. Maj. Eſt concludere à ſenſu diſtributivo ad collectivum in attributo communi tam collectioni, quàm diſtributioni, C. In attributo

proprio vel collectionis, vel diſtributionis, N. At licet concludere à diſtributione ad collectionem, in attributis communibus tam collectioni, quàm diſtributioni: v. g. ex eo quod ſinguli homines ſint rationales, rectè concluditur, omnem hominum collectionem eſſe rationalem: jam verò contingentia eſt attributum commune tam collectioni, quàm diſtributioni entium contingentium, ut mox demonſtratum eſt.

INST. *Secundò*. Non magis ex eo quòd ſingulæ creaturæ ſint contingentes, licet inferre totam earum collectionem eſſe contingentem, quàm ex eo quòd ſinguli milites exercitûs, vel ſinguli lapides acervi, ſint entia per ſe, liceat inferre collectionem militum, vel lapidum eſſe ens per ſe. Atqui hoc poſterius non licet.

RESP. NEGO MAJ. & parit. Ratio diſp. eſt, quia *ens per ſe* eſt attributum diſtributionis, vel militum, vel lapidum proprium: & *ens per accidens* eſt attributum ſolius collectionis; ſiquidem nomine entis per accidens nihil aliud intelligitur quàm multitudo entium completorum. At verò contingentia eſt attributum commune collectioni, ſi ſit commune diſtributioni, quia nomine entis neceſſarii non intelligitur collectio entium contingentium.

INST. *Tertiò*. Sed pariter neceſſitas poteſt dici attributum collectionis creaturarum proprium.

PROB. SUBS. Ea collectio dici poteſt neceſſaria, quæ non poteſt ſupponi tota non eſſe. Atqui collectio creaturarum non poteſt ſupponi tota non eſſe.

PROB. MIN. Non magis omnia entia contingentia collectivè ſumpta poſſunt ſupponi non eſſe, quàm omnia entia contingentia collectivè ſumpta poſſint ſupponi ſimul eſſe: atqui ſupponi nequeunt ſimul, quia infinitum creatum eſt impoſſibile.

RESPONDENT vulgò NEGANDO MAJ. & parit. Diſparem eſſe rationem dicunt, quia ſequitur aliqua contradictio ex eo quòd ſupponantur omnia poſſibilia exiſtere, quia ſunt infinita.

RESPONDEO ego, DISTINGUENDO MIN. Atqui ſupponi nequeunt omnia contingentia collectivè ſumpta ſimul exiſtere, omnia generatìm, C.

omnia jam exiſtentia, per quæ demonſtratur exiſtentia entis neceſſarii, *N*. Cùm enim jam exiſtant, ergo ſupponi poſſunt exiſtere: ſed exiſtunt contingenter, ergo poſſunt ſupponi non eſſe; ſi non eſſent, jam eſſent poſſibilia ſimul & non eſſent, quod implicat.

INST. *Quarò* Entia quæ ſunt infinita non poſſunt ſimul ſumi, vel tolli, atqui entia contingentia exiſtentia poſſunt ab Athæis ſupponi infinita numero. Ergo non poſſunt ſimul accipi ut ſupponantur non eſſe omnia.

RESP. DIST. MAJ. Entia infinita non poſſunt ſimul ſumi; abſolutè & nullâ factâ hypotheſi, *eſto*, non poſſunt ſimul ſumi in hypotheſi Athæorum, *N*. Nam ſi ſimul exiſtunt infinita in hypotheſi Athæorum; ergo ſimul accipi poſſunt in eâdem hypotheſi.

QUÆSTIO NONA.

De immortalitate Animæ rationalis.

PROPOSITIO.

Anima rationalis demonſtratur efficaciter immortalis.

PROBATUR. Ut Anima rationalis demonſtretur immortalis, ſatis eſt quod demonſtretur ſubſtantiam ſpiritalem eſſe immortalem, & animam rationalem eſſe ſubſtantiam ſpiritalem; ſed utrumque demonſtratur efficaciter.

Et primò quidem demonſtratur ſubſtantiam ſpiritalem eſſe immortalem. Ea ſubſtantia eſt immortalis, quæ nullâ ratione poteſt interire; atqui ſubſtantia ſpiritalis nullâ ratione poteſt interire: nam quod interit, vel interit per diſſolutionem partium ſuarum, ut ſi domus ſolo æquetur: vel interit per corruptionem ſubjecti, ut anima belluarum quæ eſſentialiter materialis eſt; vel interit per contrarium,

ut frigus per calorem, virtus per vitium; vel tandem interit defectu cauſæ conſervantis, ut lux aëris occidente ſole. Atqui ſubſtantia ſpiritalis, nullo ex his modo poteſt interire: non quidem per diſſolutionem partium, quia nullas habet, ad diſcrimen rerum corporearum; non etiam per corruptionem ſubjecti, quia non pendet eſſentialiter à ſubjecto, ad diſcrimen formarum ſubſtantialium corporearum; neque per aliquid contrarium, quia *ſubſtantiæ nihil eſt contrarium*, præſertim ſi fuerit ſpiritalis; non tandem defectu cauſæ conſervantis, quia cauſam habet conſervativam indefectibilem, putà Deum. Ergo ſubſtantia ſpiritalis nullâ ratione poteſt interire, proindéque eſt immortalis.

Deindè verò Anima rationalis demonſtratur ſubſtantia ſpiritalis. Nam ea ſubſtantia eſt ſpiritalis, cujus operationes ſunt ſpiritales; atqui operationes animæ rationalis ut rationalis ſunt ſpiritales, nimirùm intellectiones & volitiones: etenim operationes illæ ſunt ſpiritales quæ attingunt objecta immaterialia, immateriali modo; ſed intellectiones & volitiones attingunt objecta prorsùs immaterialia, immateriali modo; attingunt enim rationes Entium genericas & univerſaliſſimas, reflectendo, judicando, inferendo, recurrendo ſuprà ſeipſas. Ergo operationes animæ rationalis ſunt ſpiritales, proindéque anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritalis.

OBJECTIO I.

Ut demonſtretur Anima rationalis immortalis debet primò demonſtrari ſpiritalis; ſecundò ex illâ ſpiritalitate inferri immortalitas. Atqui neutrum præſtari poteſt efficaciter.

Prob. Min. Quoad primam partem. Non poteſt demonſtrari animam rationalem eſſe ſpiritalem niſi per operationes ejus ſpiritales: atqui operationes animæ rationalis non ſunt ſpiritales, & tametſi forent, non poſſet inferri animam eſſe ſpiritalem quoad ſubſtantiam.

Resp. Nego Min. Nam primò intellectio & volitio ſunt operationes materialitatis expertes, ſi-

quidem aſſurgunt ſuprà materialia; ſecundò, ſi ſunt ſpiritales, oriuntur à principio ſpiritali.

INSTABIS. Non magis ex operationibus animæ rationalis ſpiritalibus (ſi fortè dentur) poteſt inferri animam eſſe ſpiritalem quoad ſubſtantiam, quàm ex operationibus materialibus quas exercet, v. g. ſenſationibus, liceat inferre ipſam eſſe materialem quoad ſubſtantiam.

RESP. NEGO Parit. Ratio diſparit. eſt quia operationes minus nobiles poſſunt oriri à principio nobiliori, proindeque materiales à principio ſpiritali; at operationes nobiliores oriri non poſſunt à principio ignobiliori, proindeque ſpiritales à materiali; uno verbo, qui poteſt plus, poteſt & minus, at non viciſſim.

INSTABIS *Secundò*. Non minùs facultas ſpecificatur ab operatione materiali, quam ab operatione ſpiritali; ergo ſi non conſtituitur materialis ab operatione materiali, nec conſtituetur ſpiritalis ab operatione ſpiritali.

RESP. DIST. ANT. Facultas ſpecificatur ab operatione materiali, ſi ſit totalis & adæquata ejus operatio, C. Si ſit inadæquata ſolùm & minùs præcipua operatio, N. Nam ſpecificatur ab operatione nobiliori, quæ ſi fuerit ſpiritalis, ipſa facultas futura eſt ſpiritalis.

INST. *Tertiò*. Atqui operationes animæ rationalis, quarum conſcii ſumus, ſunt materiales, aut ſaltem non poſſunt demonſtrari ſpiritales.

PROB SUBS. Operationes illæ non ſunt ſpiritales quarum pars maxima nobis eſt cum belluis communis, & pendent omnes ab organis corporeis: atqui operationes animæ rationalis, quarum conſcii ſumus, ſunt hujuſmodi.

RESP. DIST. MIN. Operationes animæ rationalis ut ſentientis, C. Ut rationalis, SUBDISTINGUO, pendent ab organis corporeis, pendent per accidens & tanquam ab occaſionibus, C. Pendent per ſe & neceſſariò, N. Cùm enim aſſurgant ſupra omnem corporeitatem, exerceri poſſunt abſolute independenter ab organis corporis.

INST. *Quartò*. Illæ operationes ſunt per ſe materiales quæ poſſunt ſupponi oriri à principio nobiliſſimo quidem, ſed materiali quoad ſubſtantiam: atqui operationes animæ rationalis ut rationalis ſunt hujuſmodi.

Prob. Min. Tam operationes hominum quæ aſſurgunt ſupra materialitatem communem poſſunt refundi in principium materiale nobilius, quàm operationes quæ aſſurgunt ſuprà conditionem materiæ, poſſint refundi in principium materiale nobilius ipsâ materiâ: atqui id fit in belluis, quibus conceditur anima materialis nobilior materiâ.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſp. eſt, quia operationes belluarum aſſurgunt quidem ſuprà conditionem materiæ, at non ſuprà conditionem materialitatis cujuſcunque; contrà verò operationes noſtræ rationales, v. g. Intellectio, aſſurgunt ſuprà quamcunque materialitatem, attingunt objecta ſpiritalia & univerſaliſſima.

Inst. *Quintò.* Illæ operationes non aſſurgunt ſuprà quamcunque materialitatem, quæ nihil percipiunt niſi per imagines corporeas & phantaſmata materialia: atqui operationes animæ rationalis ut rationalis ſunt hujuſmodi, ideóque ligatis ſenſibus ceſſat operatio animæ rationalis.

Resp. Dist. Maj. Quæ nihil percipiunt niſi per imagines corporeas in quibus hæreant, *C.* Ex quibus anſam accipiant ſublimiora detegendi, *N.* At intellectio non hæret in imaginibus corporeis, ſed ſolùm excitatur ab illis, & inde procedit ad notitiam objectorum ſublimiorum, atque ab omni materiei concretione abſtractorum, ut liquet de mathematicis demonſtrationibus.

Inst. *Sextò.* Illæ operationes hærent in imaginibus corporeis, quæ nihil percipere poſſunt niſi corporeo modo: atqui operationes animæ rationalis nihil percipere valent niſi corporeo modo.

Prob. Min. Operationes animæ nihil percipere poſſunt aliter quàm intellectui repræſentetur: atqui nihil repræſentatur intellectui alio modò quàm corporeo per imagines corporeas.

Resp. Dist. Min. Atqui nihil repræſentatur intellectui ab imaginatione aliiſque ſenſibus, niſi corporeo modo, *C.* Nihil intellectui repræſentatur à ſeipſo, niſi corporeo modo, *N.* Nam intellectus vel habet à naturâ ſpecies ſpiritales & univerſales, vel eas cudit à ſe ipſo, ubi excitatus eſt ab imaginibus corporeis.

Inst. *Septimò.* Non poſſumus eſſe certi de ſpi-

ritalitate operationum animæ rationalis, niſi certi fuerimus de ſpeciebus intellectûs ſpiritalibus : atqui non ſumus certi de ſpeciebus illis , quas qui negaret, non facile refelli poſſet.

Resp. Dist. Min. Atqui non ſumus certi de ſpeciebus ſpiritalibus quantùm ad modum quo habeantur , C. Quantùm ad eſſentiam earum & naturam , N. Cùm enim exhibeant nobis objecta ſpiritalia, & univerſalia abſtracta ab omni concretione materiæ, certi ſumus eas eſſe ſpiritales, univerſales & abſtractas à concretione materiæ , quomodocunque tandem obtineantur.

OBIECTIO II.

UT rectè inferatur animæ rationalis immortalitas ex ſpiritalitate , debet eſſe neceſſaria connexio inter ſpiritalitatem & immortalitatem : atqui non eſt eà neceſſaria connexio.

Prob. Min. Si foret neceſſaria connexio inter ſpiritalitatem , & immortalitatem, quidquid eſſet ſpiritale eſſet immortale ſeu incorruptibile : atqui res non ità ſe habet, ut conſtat de habitibus mentis & voluntatis.

Resp. Dist. Maj. Quidquid eſſet ſpiritale eſſet immortale , ſi illud fuerit ſubſtantia , C. Si fuerit accidens , N. Ratio diſp. eſt quia accidentibus poteſt eſſe aliquid contrarium, non tamen ſubſtantiis. Porrò anima rationalis probatur immortalis, non ex eo quòd ſit ſpiritalis præcisè, ſed ex eo quòd ſit ſubſtantia ſpiritalis.

Instabis. Atqui non rectè infertur animam eſſe immortalem, ex eo quod ſit ſubſtantia ſpiritalis.

Prob. Subs. Non magis inferri poteſt animam eſſe incorruptibilem, ex eo quòd ſit ſubſtantia ſpiritalis , quàm inferri poſſit materiam primam eſſe corruptibilem, ex eo quòd ſit ſubſtantia materialis : atqui hoc poſterius non licet inferre.

Resp. nego Maj. & parit. Ratio diſp. eſt quia ſpiritalitas in ſubſtantiâ excludit omne genus corruptionis ; primò, à contrario , quia *ſubſtantiæ nihil contrarium eſt* ; ſecundò, defectu ſubjecti , quia ſubſtantia non indiget ſubjecto : tertiò, defectu

organi corporei ejuſque diſpoſitionis, quia ſubſtantia ſpiritalis organo corporeo non indiget: at vero materialitas in materiâ primâ non eſt ſufficiens fundamentum corruptionis, quia corruptio fit remanente ſubjecto, cùm autem materia prima ſit primum & ultimum ſubjectum, ipſa perire non poteſt remanente ſubjecto.

I n s t. *Secundò.* Si anima ſit incorruptibilis ex eo quòd ſit ſubſtantia ſpiritalis, ſola ſubſtantia ſpiritalis erit incorruptibilis, *Ibi ſolùm eſt proprietas ubi ſolùm eſt eſſentia unde fluit:* atqui non ſola ſubſtantia ſpiritalis eſt incorruptibilis, ſi quidem materia prima eſt quoque incorruptibilis.

R e s p. D i s t. M a j. Sola ſubſtantia ſpiritalis erit incorruptibilis incorruptibilitate quæ fundatur & fluit à ſubſtantiâ ſpiritali, *C.* Sola ſubſtantia ſpiritalis erit incorruptibilis abſolutè quâcunque incorruptibilitate, *N.* At alia eſt ſubſtantiæ ſpiritalis incorruptibilitas, alia materiæ primæ. Subſtantia ſpiritalis dicitur incorruptibilis, quia nihil habet contrarium nec corrumpi poteſt ad corruptionem ſubjecti,eo quòd nec ſit ipſum ſubjectum nec ſit in ſubjecto; at verò materia prima dicitur incorruptibilis, ex eo quòd cùm ſit ipſum ſubjectum primum & ultimum, perire non poſſit aliquo remanente ſubjecto.

I n s t. *Tertiò.* Subſtantia, quæ dicit eſſentialem ordinem ad materiam ſeu ſubjectum corruptibile, non eſt incorruptibilis: atqui quædam ſubſtantia ſpiritalis incompleta, ut anima, dicit eſſentialem ordinem ad ſubjectum corruptibile, nempe ad materiam organis inſtructam.

R e s p. D i s t. M a j. Quæ dicit eſſentialem ordinem ad ſubjectum inhæſionis more accidentium, vel eductionis more formarum materialium, *C.* Ordinem ad ſubjectum informationis, *N* At anima rationalis informat quidem materiam, ſed ex eâ non educitur, more aliarum formarum.

I n s t. *Quartò.* Forma quæ non poteſt demonſtrari poſſe exercere operationes ſuas extrà corpus eſt corruptibilis cum corpore: atqui anima rationalis non poteſt demonſtrari poſſe operationes exercere extrà corpus.

R e s p. n e g o M i n. Cùm enim illius operationes aſſurgant ſuprà materialitatem ſunt ſpiritales,

ſi ſunt ſpiritales, ergo poſſunt exerceri extra molem corporis.

INTABIS. *Quintò.* Anima rationalis non poteſt demonſtrari poſſe exercere operationes ſuas extra corpus per eas operationes quas ſemper exercet in corpore dependenter à corpore ; atqui operationes animæ, quarum conſcii ſumus, exercentur in corpore dependenter à corpore ; ergo per eas operationes non poſſumus probare animam poſſe operari extrà corpus independenter à corpore.

RESP. DIST. MAj. Per eas operationes quas exercet in corpore, quatenus exercentur in corpore & quatenùs dependent à corpore, *C.* Quatenùs aſſurgunt ſupra corporeitatem omnem, *N.* Scilicet operationes quas anima rationalis exercet in corpore habent primò quod aſſurgant ſupra corporeitatem : ſecundò quòd eliciantur dependenter à ſenſibus tanquam occaſionibus ; per eas autem operationes quatenùs aſſurgunt ſupra corporeitatem, demonſtramus ipſas poſſe exerceri extra corpus.

INSTABIS. *Sextò.* Forma quæ non poteſt operari niſi per converſionem ad phantaſmata, non poteſt operari extra corpus : arqui anima rationalis non poteſt operari niſi per converſionem ad phantaſmata ; Ergo, &c.

PROB. MIN. Anima rationalis non poteſt operari niſi excitetur & moveatur ab objectis : atqui non poteſt excitari & moveri niſi à phantaſmatis ; Ergo, &c.

RESP. DIST. MIN. Non poteſt excitari & moveri niſi à phantaſmatis, quandiu eſt in ſtatu unionis cum corpore, *C.* Abſolutè, *N.* Nam per ſpecies & imagines à Deo Conditore ſuo acceptas, poteſt abſolutè intelligere extra corpus.

INSTABIS. *Septimò.* Species illæ ſeu imagines à Deo Conditore infuſæ, quarum interventu anima poteſt intelligere extra corpus, eſſent ſupernaturales ; atqui demonſtrari non poteſt animam extra corpus habere poſſe aliquid ſupernaturale.

RESP. DIST. MAj. Eſſent ſupernaturales, ſi forent infuſæ ſupra exigentiam animæ, *C.* Ad exigentiam ipſius, *N.* Nam anima naturaliter exigit id ſine quo naturales non poſſet exercere operationes.

INST. *Octavò.* Quod non ineſt animæ à naturâ certè ſupernaturale eſt ; atqui ſpecies illæ à Deo

conditore infuſæ non eſſent animæ à naturâ, ſed deſuper infunderentur.

Resp. dist. min. Species illæ non ineſſent animæ à naturâ naturatâ, *C.* Naturante, *N.* Nam auctor naturæ non deeſt in neceſſariis; eſt autem neceſſe ſpecies illas animæ ſeparatæ infundi ad connaturales ſibi operationes exercendas.

Inst. *Nonò.* Si exigerentur naturaliter illæ ſpecies ab animâ, eſſent quoque infuſæ animæ dum verſatur in corpore.

Resp. Nego Propos. Nam anima quandiu eſt in corpore excitatur à ſenſibus, ideòque non indiget ſpeciebus infuſis.

Instabis. Senſus utpotè corporei non poſſunt agere in animam ſpiritalem; ergo non excitatur à ſenſibus.

Resp. Dist. Non poſſunt agere phyſicè, *C.* Moraliter, *N.* Nam tanta eſt radicalis unio inter facultates hominis, ut una valeat alteram excitare ſaltem moraliter, ſic intellectus excitat moraliter voluntatem, ſic pedes diriguntur ab oculis.

PARS PHILOSOPHIÆ QUARTA,

DE

REBUS PHYSICIS.

PROPOSITIO PRÆAMBULA.

Phyſica eſt ſcientia.

Probatur. Omnis habitus demonſtrativus rei neceſſariæ per cauſas, eſt ſcientia propriè dicta: atqui Phyſica eſt habitus demonſtrativus rei neceſſariæ per cauſas; ſi quidem multas facit demonſtrationes de objecto ſuo, quales ſunt iſtæ, Omne mixtum eſt corruptibile, quia conſtat quatuor elementis: Omne corpus naturale eſt mobile, quia conſtat materiâ & formâ phyſicis, quæ ſunt principia motûs; ergo Phyſica eſt ſcientia propriè dicta.

OBJECTIO.

Ea diſciplina non eſt ſcientia, quæ non habet objectum ſufficienter neceſſarium ad ſcientiam: atqui Phyſica non habet objectum ſufficienter neceſſarium ad ſcientiam.

Prob. Min. Quod eſt eſſentialiter mobile, non eſt ſufficienter neceſſarium ad ſcientiam: atqui objectum Phyſicæ eſt eſſentialiter mobile; ergo non eſt ſufficiens ad ſcientiam.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt eſſentialiter mobile, id eſt, mutabile quoad eſſentiam, C. Id eſt,

principium motûs naturalis, *N.* Porro corpus naturale dicitur mobile, non quòd ſit mutabile quoad eſſentiam, ſed quòd ſit principium radicale motûs naturalis.

INST. *Primò.* Quod eſt eſſentialiter corruptibile & diſſolubile, eſt eſſentialiter mutabile : atqui corpus naturale eſt eſſentialiter corruptibile & diſſolubile, ſiquidem conſtat ex corruptibilibus principiis, materiâ & formâ, quatuor elementis.

RESP. DIST. MIN. Atqui corpus naturale eſt eſſentialiter corruptibile quoad exiſtentiam, *C.* Quoad eſſentiam, *N.*

INST. *Secundò.* Id cujus eſſentia conflatur ex corruptibilibus principiis eſt corruptibile quoad eſſentiam : atqui eſſentia corporis naturalis conflatur ex corruptibilibus principiis ; ergo corpus eſt corruptibile quoad eſſentiam.

RESP. DIST. MAJ. Eſt corruptibile quoad eſſentiam particularem & phyſicam, *C.* Quoad eſſentiam generalem, *N.* Nam immutabiliter verum eſt, *omne corpus mixtum componi debere ex quatuor elementis.*

INST. *Tertiò.* Quod conſideratur à Phyſicâ quatenùs ſingulare, non conſideratur quoad eſſentiam generalem & metaphyſicam : atqui corpus conſideratur à Phyſicâ quatenùs ſingulare.

PROB. MIN. Quod conſideratur quatenùs ſenſibile, conſideratur quatenùs ſingulare, ſiquidem ſenſibile definitur, ens ſingulare : atqui corpus naturale conſideratur à Phyſicâ quatenùs ſenſibile, quia Phyſica non abſtrahit à materiâ ſenſibili.

RESP. DIST. MAJ. Quod conſideratur quatenùs ſenſibile in particulari, *C.* Quatenùs ſenſibile in communi, *N.* Porro corpus conſideratur à Phyſicâ quatenùs ſenſibile in communi, abſtrahendo ab hoc & illo ſenſibili in particulari.

INST. *Quartò.* Diſciplina quæ verſatur circa ſenſibilia corpora particularia conſiderat corpus ſenſibile in particulari : atqui Phyſica verſatur circa corpora ſenſibilia particularia, v. g. Cælum, Solem, &c.

RESP. DIST. MIN. Atqui Phyſica verſatur circa corpora ſenſibilia particularia, ſpecificè vel genericè ſumpta, *C.* Numericè ſumpta, SUBDISTINGUO, Verſatur ſecundariò, *C.* Primariò, *N.*

Nam primariò Phyſica ſpectat corpus generatim, & deinde ad particularia deſcendit.

Inst. *Quintò.* Phyſica primariò verſatur circa eclypſes Solis & Lunæ, & circa Solis motum diurnum & annuum: atqui hæc omnia ſunt ſenſibilia particularia.

Resp. dist. Maj. Phyſica hæc conſiderat quatenùs fiunt certas juxtà conſtanteſque regulas, *C.* Secùs, *N.*

Inst. *Sextò.* Ea non fiunt juxtà certas conſtanteſque regulas, quæ neceſſe non eſt taliter fieri: atqui neceſſe non eſt eclypſes Solis & Lunæ, v. g. motum ſolis annuum & diurnum taliter fieri: imò contigit aliquando ut aliter factum fuerit, v. g. tempore Joſuë.

Resp. Dist. Min. Atqui neceſſe non eſt taliter hæc fieri neceſſitate abſolutâ, & metaphyſicâ, *C.* Neceſſitate phyſicâ, quæ fundatur in naturali rerum ordine, *N.*

Inst. *Septimò.* Ergo Phyſica non eſt abſolutè certa.

Resp. Dist. Non eſt abſolutè certa, quatenùs verſatur circa exiſtentias corporum, *C.* Quatenùs verſatur circa eſſentias, *N.*

Inst. *Octavò.* Ea diſciplina nullatenùs eſt certa, cujus principia non ſunt certa: atqui principia Phyſicæ non ſunt certa.

Prob. Min. Principia, de quibus controvertitur inter Philoſophos, certa non ſunt: atqui de principiis phyſicis controvertitur, v. g. inter Ariſtotelem, Carteſium, Epicurum & alios.

Resp. *Primò.* Dist. Min. Atqui de principiis phyſicis controvertitur in Phyſicâ imperfectâ & qualis eſt hodie, *C.* In Phyſicâ perfectâ qualis eſſe debet, *N.*

Resp. *Secundò.* Dist. Min. Atqui de principiis phyſicis controvertitur, principiis complexis ſeu axiomatibus, *N.* Principiis ſimplicibus, Subdistinguo. Controvertitur quoad modum explicandi, *C.* Quoad ſubſtantiam rei, *N.* Nam ſaltem omnes conſentiunt corpus naturale ex duplici parte conſtare debere, alterâ quidem communiori, quæ dicitur materia, alterâ verò ſpecialiori, quæ dicitur forma phyſica.

QUÆSTIO PRIMA.

De principiis corporum naturalium.

PROPOSITIO.

Tria ſunt principia generationis corporum naturalium, materia, forma & privatio.

Probatur. Tot ſunt principia generationis corporum, quot ſunt ſine quibus nec eſſe nec concipi poteſt generatio corporum; atqui tria ſunt ſine quibus generatio corporum nec eſſe nec concipi poteſt: namque generatio intelligitur ut tranſitus à non eſſe ad eſſe, à non formâ ad formam phyſicam; atqui non poteſt concipi tranſitus à non eſſe ad eſſe, à non formâ ad formam ſine tribus hiſce, materiâ, formâ & privatione; etenim concipi nequit fieri tranſitus à non formâ ad formam niſi concipiatur, primò, ſubjectum tranſiens, & eſt materia; ſecundò, terminus ad quem tranſit & eſt forma; tertiò, terminus à quo tranſit, & eſt privatio formæ, à quâ materia tranſit ad formam in generatione: ergo tria ſunt ſine quibus generatio corporum nec eſſe nec concipi poteſt, proindeque tria ſunt principia generationis corporum naturalium, materia, forma, & privatio.

OBJECTIO PRIMA.

Formam non eſſe principium generationis.

Terminus ad quem generationis non eſt principium generationis: atqui forma phyſica eſt terminus ad quem generationis.

Resp. Dist. Maj. Terminus ad quem remotus, ultimus, *& qui*, C. Proximus, medius *& quo*, N. Porro forma non eſt terminus, *qui*, ſeu ultimus,

ſed proximus, quo mediante reſultat compoſitum.

INST. *Primò* Principium generationis debet præcedere generationem: ſed forma non præcedit generationem.

PROB. MIN. Quod producitur per generationem, non præcedit generationem: atqui forma producitur per ipſam generationem, v. g. Forma ignis producitur per ipſam generationem ignis.

RESP. DIST. SECUNDAM MIN. Atqui forma producitur per generationem ſumptam pro eductione formæ ex præjacente materiâ, *C*. Per generationem ſumptam pro actione productivâ totius compoſiti, *N*. Sic dum generatur ignis, primò, educitur forma è ligno; ſecundò, generatur compoſitum ex illâ formâ cum materiâ.

INST. *Secundò*. Quod non præcedit eductionem formæ, non præcedit actionem productivam compoſiti, ſi eductio formæ & productio totius ſint ſimul: atqui ſunt ſimul; ergo forma quæ non præcedit eductionem, non præcedit generationem compoſiti.

RESP. DIST. MIN. Eductio & productio compoſiti ſunt ſimul tempore, *C*. Naturâ, *N* Nam prius eſt formam educi, quàm reſultare compoſitum ex unione formæ cum materiâ.

INST. *Tertiò*. Si forma concurreret ad generationem compoſiti, ipſum compoſitum dici poſſet genitum: atqui compoſitum dici non poteſt genitum; ergo forma non concurrit ad illius generationem.

PROB. MIN. Homo eſt quoddam compoſitum naturale: ſed homo dici nequit genitus.

PROB. MIN. Id cujus nulla pars eſt genita vel generabilis, dici non poteſt genitum: ſed nulla pars hominis eſt genita, vel generabilis, neque materia, neque anima rationalis.

RESP. DIST. MAJ. Dici non poteſt genitum ſecundùm partes ſeorſim ſumptas, *C*. Secundùm ſe totum, *N*. Nam ipſum totum generatur, quia reſultat ex unione animæ cum materiâ, nec fit ex puro nihilo, ſed ex præjacente materiâ.

INST. *Quartò*. Totum compoſitum non diſtinguitur à partibus ſuis: atqui partes non ſunt genitæ; ergo nec totum compoſitum.

RESP. DIST. MAJ. Totum non diſtinguitur à partibus collectivè ſumptis & unitis, *C*. Diſtributivè

ſumptis & ſeorſim, N. At partes uniuntur phyſicè per generationem, per quam materia tranſit à privatione animæ ad animam.

Inst. *Quintò.* Partes totius collectivè ſumptæ & unitæ non diſtinguuntur à partibus diſtributivè ſumptis & ſeorſim; ergo ſi diſtributivè non ſunt genitæ, nec erunt collectivè.

Resp. Dist. Maj. Partes collectivè non diſtinguuntur à partibus diſtributivè, non diſtinguuntur quoad entitatem, *C.* Quoad novum ſtatum, *N.* At hoc ſufficit ut totum dicatur genitum: ſicut enim licèt partes domûs, v. g. lapides, ſint à Deo creati ſeorſim, ipſa tamen domus quæ non diſtinguitur ab illis collectivè ſumptis & artificialiter unitis, non dicitur creata ab Architecto, ſed extructa; ita licèt duæ partes hominis ſint à Deo creatæ, nihilominus totus non dicitur ab alio homine creatus, ſed genitus.

Inst. *Sextò.* Quod generatur tranſit per ipſam generationem a non eſſe ad eſſe; atqui compoſitum cujus partes non generantur ſeorſim, verè non tranſit à non eſſe ad eſſe, quia non acquirit novam exiſtentiam vi generationis.

Resp Dist. Min. Sed compoſitum cujus partes non generantur ſeorſim verè non tranſit à non eſſe partium ſuarum, ad eſſe partium, *C.* Non tranſit à non eſſe totius compoſiti, ad eſſe totius compoſiti, *N.* Nam incipit exiſtere totum, quod antea non erat totum.

Inst. *Septimò.* Nova generatio debet dare novam exiſtentiam.

Resp. Dist. Debet dare novam exiſtentiam vel toti vel partibus, *C.* Partibus, Subdistinguo, Si generatio ipſas producat partes, *C.* Secùs, *N.*

OBJECTIO SECUNDA,

Materiam non eſſe principium corporum;

PRimum principium corporis naturalis debet eſſe ſimplex: atqui materia non eſt ſimplex, ſed compoſita ex parte magis & minùs communi.

Resp. Dist. Maj. Primum principium corporis debet eſſe ſimplex in ordine phyſico, *C.* In ordine metaphyſico, *N.* Porrò materia non eſt ſimplex in ordine metaphyſico, quia conſtat ex ſuo genere ſuâque differentiâ: ſed eſt ſimplex phyſicè, quia non componitur inſtar corporis naturalis.

Inst. *Primò.* Quod componitur ex partibus phyſicis non eſt ſimplex in ordine phyſico: atqui materia componitur ex partibus phyſicis, nempè ſuis entitativis.

Resp. Dist. Min. Sed materia componitur ex partibus phyſicis homogeneis, *C.* Heterogeneis & eſſentialibus, *N.* Quia materia non componitur niſi ex partibus quæ ſunt totidem materiæ partiales, ideóque non componitur ex aliis propriè loquendo.

Inst. *Secundò.* Quod componitur ex partibus phyſicis certam habentibus formam phyſicam, conſtat ex partibus phyſicis heterogeneis; atqui materia componitur ex partibus certam habentibus formam & diſpoſitionem.

Resp. dist. Min. Materia componitur ex partibus certam habentibus formam, materia ſecunda, *C.* Materia prima, *N.* Hæc enim concipitur ut ſubjectum omnium formarum, capax omnium, indifferens ad omnes.

Inst. *Tertiò.* Atqui materia prima non eſt principium generationis corporum.

Prob. Subs. Si materia prima eſſet principium generationis corporum, eſſet ſubjectum generationis: atqui non eſt ſubjectum generationis.

Prob. Min. Subjectum generationis debet eſſe generabile, ſicut ſubjectum creationis debet eſſe creabile: ſed materia prima eſt ingenerabilis.

Resp. Dist. Maj. Subjectum generationis ſui ipſius, debet eſſe generabile, *C.* Subjectum generationis alterius à ſe, *N.* Porrò materia prima eſt ſubjectum generationis non ſui ipſius, ſed formæ & corporis naturalis, eo ferè modo, quo vas dicitur ſubjectum generationis plantarum, vel corruptionis liquorum.

Inst. *Quartò.* Subjectum generationis corporum debet vi generationis tranſire à non eſſe ad eſſe; ſiquidem generatio corporis definitur, *Tranſitus ſub-*

jecti à non eſſe ad eſſe, à privatione ad formam: atqui materia prima vi generationis non tranſit à non eſſe ad eſſe, ſiquidem erat anteà.

Resp. Dist. Maj. Subjectum generationis corporum debet tranſire à non eſſe formæ phyſicæ, ad eſſe formæ phyſicæ, *C*. Debet tranſire à non eſſe ſui, ad eſſe ſui, *N*. Porrò in generatione corporis materia prima tranſit à non eſſe formæ phyſicæ ad formam phyſicam.

Inst. *Quintò*. Quod vi generationis tranſit ab unâ ſpecie ad alteram, tranſit à non eſſe ſui ad eſſe ſui: atqui ſubjectum generationis tranſit per ipſam ab unâ ſpecie ad alteram, quia tranſit ab uno ſpecificativo ad alterum, ab unâ formâ ad alteram; ergo materia quæ non tranſit ſic, non eſt ſubjectum generationis.

Resp. Dist. Maj. Quod tranſit ab unâ ſpecie ſui ad alteram ſpeciem ſui, *C*. Ab unâ ſpecie corporis ad alteram ſpeciem corporis, *N*. Sic materia prima tranſit à ſpecie hominis ad ſpeciem cadaveris, ſed non tranſit ab unâ ſpecie materiæ ad alteram ſpeciem materiæ.

Inst. *Sextò*. Subjectum generationis ante generationem nullius erat ſpeciei, & ſtatim poſt incipit eſſe alicujus ſpeciei; ergo tranſit ad ſpeciem ſui.

Resp. Dist. Ant. Ante generationem nullius erat ſpeciei completæ & in ratione totius, *C*. Incompletæ & in ratione materiæ, *N*. Nam erat de ſpecie materiæ.

Inst. *Septimò*. Subjectum per generationem tranſit à non actu ad actum, à non perfectivo ad perfectivum; ergo tranſit ad novam ſui ſpeciem.

Resp. Dist. Ant. Tranſit à non actu phyſico ad actum phyſicum, *C*. A non actu metaphyſico, ſeu exiſtendi, *N*. Nam ante generationem verè exiſtit.

OBJECTIO TERTIA,

Privationem non eſſe principium generationis.

PRincipium generationis corporis dat eſſe corpori: atqui privatio non dat eſſe corpori, ſiquidem ipſa nihil eſt.

Resp. dist. Min. Privatio non dat eſſe corpori, non dat poſitivè & influendo, *C.* Non dat negativè & recedendo, *N.* Ideoque privatio non eſt principium corporis poſitivum & influens: ſed eſt negativum & recedens.

Inst. *Primò.* Si privatio eſſet principium corporis in fieri, corpus naturale fieret ex nihilo: atqui *ex nihilo nihil fit.*

Resp. Dist. Maj. Corpus fieret ex nihilo, tanquam à termino à quo fit tranſitus, *C.* Ex nihilo tanquam à parte componente, *N.* Porrò ex nihilo nihil fit per compoſitionem, ſed fit aliquid ex nihilo tanquam à termino à quo fit tranſitus, à non igne, v. g. ad ignem.

Inst. *Secundò.* Si corpus naturale fieret ex privatione, privatio principiaret vel quando eſt, vel quando non eſt: atqui neutrum dici poteſt.

Resp. Nego Min. Et dico principiare quando eſt, non quidem permanendo, ſed deſinendo.

Inst. *Tertiò.* Quandiu eſt privatio formæ nondum eſt generatio, quia nondum eſt forma; ergo privatio non principiat, quando eſt.

Resp. Dist. Ant. Quandiu eſt privatio formæ remanens, *C.* Deſinens, Subdistinguo; nondum eſt generatio in facto eſſe, *C.* In fieri, *N.* Quia dum recedit privatio, accedit forma, & fit generatio: ſed nondum facta eſt.

Inst. *Quartò* Sequeretur privationem formæ & formam ſimul eſſe in generatione.

Resp. Dist. Simul eſſe, unam, recedendo, alteram, accedendo, *C.* Simul permanendo, *N.*

Inst. *Quintò.* Si privatio formæ principiaret recedendo in generatione deberet fieri tranſitus à privatione ad formam: atqui in generatione corporis non

fit tranſitus à privatione ad formam.

Prob. Min. Ibi non fit tranſitus à privatione formæ ad formam, ubi materia non eſt ſine formâ: atqui materia nunquam eſt aut fuit ſine formâ; ergo non fit tranſitus à privatione ad formam.

Resp. Dist. Min. Materia nunquam eſt ſine formâ aliquâ, C. Sine formâ illâ quæ per generationem accedit, N. Sic ante generationem ignis, materia non erat ſine formâ ligni, ſed erat ſine formâ ignis, ideoque fit tranſitus ad formam ignis.

Inst. *Sextò.* Atqui in generatione inutilis eſt privatio formæ accedentis, ſi præceſſit forma vetus.

Prob. Subs. Ibi ad generationem corporis intelligendam inutilis eſt privatio formæ, ubi ſine privatione adſunt terminus à quo, terminus ad quem, & ſubjectum: ſed ſine privatione adſunt primò terminus *à quo*, nempe forma vetus recedens; ſecundò, terminus *ad quem*, nempe forma nova accedens; tertiò, ſubjectum, nempe materia.

Resp. Dist. Maj. Ubi adeſt terminus à quo eſſentialis, C. Accidentalis, N. Porro forma vetus recedens eſt terminus *à quo* ſolùm accidentalis, quia non neceſſariò intelligitur in conceptu generationis, ut videre eſt in generatione primò primâ.

Inst. *Septimò.* Ille terminus *à quo* eſt eſſentialis generationi, ſine quo concipi nequit fieri generatio: atqui ſine formâ veteri recedente concipi nequit generatio.

Prob. Min. Sine formâ veteri recedente concipi nequit generatio, ſi generatio unius ſit corruptio alterius: atqui *generatio unius eſt corruptio alterius*, ex axiomate.

Resp. Dist. Maj. Si generatio unius ſit formaliter & per ſe corruptio alterius, C. Per accidens tantùm, N. Porro generatio unius eſt ſemper corruptio alterius, ſed per accidens, & non per ſe, quia abſolutè intelligi poteſt nova generatio ſine ullâ præcedente corruptione.

Inst. *Octavò.* Forma vetus per ſe & neceſſariò expellitur vi generationis, v. g. forma ligni, vi generationis ignis, forma vivens, vi generationis formæ cadavericæ.

Resp. Dist. Forma vetus per ſe & neceſſariò expellitur vi generationis, ſi generatio ſumatur prout eſt converſio totius in totum, *C.* Si generatio ſumatur prout eſt tranſitus à non eſſe formæ ad eſſe formæ, *N.*

Inst. *Nonò.* Materia per ſe & neceſſariò exigit formam in ipsâ generatione.

Resp. Dist. Materia exigit per ſe formam ad ſui perfectionem, *C.* Ad generationem corporis, Subdistinguo, exigit formam accedentem, *C.* Recedentem, *N.*

QUÆSTIO SECUNDA.

De exiſtentiâ materiæ primæ.

I. PROPOSITIO.

Materia prima habet propriam exiſtentiam.

Probatur. Quod habet propriam productionem diſtinctam à productione formæ, & compoſiti, habet & propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentiâ formæ & compoſiti, ſiquidem *productio terminatur ad exiſtentiam;* atqui materia prima habet propriam productionem diſtinctam à productione formæ & compoſiti: ſiquidem forma producitur per eductionem, compoſitum per generationem, materia per creationem; cùm ſit ingenerabilis & incorruptibilis. Ergo materia prima habet propriam exiſtentiam.

OBIECTIO.

Pura potentia non habet propriam exiſtentiam: atqui materia prima eſt pura potentia, non habens aliam quàm ſubjecti rationem.

Resp. Dist. Maj. Pura potentia tùm phyſica; tùm metaphyſica, *C.* Pura potentia phyſica tantùm, *N.* Porrò materia non eſt pura potentia metaphyſica, quia includit plures actus metaphyſicos, ut differen-

tiam eſſentialem ſpecificam & numericam, atque exiſtentiam.

Inst. *Primò.* Ens imperfectiſſimum eſt pura potentia tùm phyſica, tùm metaphyſica: atqui materia prima eſt ens imperfectiſſimum.

Resp. Dist. Maj. Ens imperfectiſſimum tùm phyſicè, tùm metaphyſicè, C. Phyſicè tantùm, N. Porro materia eſt quidem imperfectiſſima phyſicè, quia de ſe nullum includit actum phyſicum, ſed non eſt imperfectiſſima metaphyſicè, quia includit actus metaphyſicos.

Inst. *Secundò.* Ens, quod nullum includit actum metaphyſicum, eſt imperfectiſſimum metaphyſicè: atqui materia prima nullum in ſe includit actum metaphyſicum.

Prob. Min. Ens, quod ità eſt imperfectum ut nullum includat actum phyſicum, multò minùs includit actum metaphyſicum qui præſtantior eſt phyſico: atqui materia ità eſt imperfecta ut nullum includat actum phyſicum; ergo à fortiori non includit metaphyſicum, qui phyſico præſtat.

Resp. Dist. Maj. Actus metaphyſicus præſtantior eſt phyſico, ſi dicatur metaphyſicus eò quòd ſit abſtractus ab omni materiâ, C. Si dicatur metaphyſicus eò quòd non diſtinguatur à ſubjecto plus quàm virtualiter, N. Porro exiſtentia materiæ dicitur actus metaphyſicus, non quòd ſit abſtractus ab omni materiâ, ſed quòd non diſtinguatur ab ipsâ plus quàm virtualiter.

Inst. *Tertiò.* Atqui materia prima nullum includit prorſus actum metaphyſicum.

Prob. Subs. Si materia includeret de ſe actum aliquem metaphyſicum, forma phyſica non eſſet actus primus materiæ: atqui tamen eſt actus primus.

Resp. Dist. Maj. Forma phyſica non eſſet actus primus materiæ metaphyſicus, C. Phyſicus, N.

Inst. *Quartò.* Forma phyſica debet cum materiâ facere ens per ſe: atqui non faceret ens per ſe cum materiâ, ſi ſupponeret in materiâ actum metaphyſicum.

Prob. Min. Ex actu & actu non fit ens per ſe, ſed per accidens: atqui materia & forma eſſent in illâ hypotheſi duo entia in actu, ſiquidem duplici conſtarent exiſtentiâ.

Resp.

Resp. Dist. Maj. Ex actu & actu completis, *C* Ex actu & actu incompletis, *N*. Porro exiſtentia materiæ & exiſtentia formæ ſunt actus duo incompleti & partiales ex quibus reſultat unica totalis exiſtentia corporis.

Inst. *Quintò*. Duæ animæ rationales ſunt duo actus incompleti, neque tamen poſſunt facere ens per ſe; ergo ex actu & actu incompletis non poteſt fieri ens unum per ſe.

Resp. Dist. Ant. Duæ animæ rationales ſunt duo actus incompleti diſparati, *C*. Subordinati, *N*. At exiſtentia materiæ & exiſtentia formæ ſunt ſubordinatæ ad unam totalem exiſtentiam componendam, ſicut eſſentia materiæ & eſſentia formæ ſunt ſubordinatæ ad unam totalem eſſentiam conſtituendam.

Inst. *Sextò* Quæ ſubordinantur ad faciendum ens per ſe, debent ſe habere ad invicem ut actus & potentia: atqui exiſtentia materiæ non ſe haberet ad exiſtentiam formæ ut potentia ad actum; ergo non eſſent actus ſubordinati.

Prob. Min. Ipſa formalis rei alicujus actualitas non poteſt ſe habere ad aliud ut potentia ad actum: atqui exiſtentia eſt ipſa formalis actualitas rei.

Resp. Dist. Maj. Non poteſt ſe habere ut potentia ad actum, ſub eo reſpectu ſub quo eſt actualitas, *C*. Sub alio reſpectu, *N* Porro exiſtentia materiæ eſt ipſa materiæ actualitas reſpectu eſſentiæ materiæ, & eſt potentia perfectibilis reſpectu formæ phyſicæ.

Inst. *Septimò*. Si materia habeat aliquam de ſe actualitatem, jam dum forma recipitur in materiâ, actus recipitur in actu: ſed hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Actus phyſicus recipitur in actu metaphyſico, *C*. Actus phyſicus in actu phyſico, *N*.

Inst. *Octavò*. Actus metaphyſicus ſupponit phyſicum, quia gradus metaphyſici reſultant ex phyſicis; ergo actus primus phyſicus non poteſt recipi in actu metaphyſico.

Resp. Dist. Ant. Actus metaphyſicus totius ſupponit actum phyſicum, *C*. Actus metaphyſicus partis ſupponit actum phyſicum, *N*. Quia pars eſt in ſuo ordine perfecta ante reſultantiam totius.

II. PROPOSITIO.

Materia prima non habet propriam exiſtentiam.

PROBATUR. Quod nullam de ſe habet actualitatem, propriam de ſe non habet exiſtentiam; ſiquidem exiſtentia eſt actus: atqui materia prima nullam de ſe habet actualitatem; nam pura potentia nullam includit actualitatem; alioqui non eſſet pura. Atqui materia prima eſt pura potentia; Ergo materia de ſe nullam habet actualitatem, proindéque propriam non habet exiſtentiam.

OBJECTIO.

QUod habet propriam productionem diſtinctam à productione formæ, habet & propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentiâ formæ: atqui materia habet propriam productionem.

PROB. MIN. Materia producta fuit per creationem, forma verò per eductionem: atqui creatio eſt productio diſtincta ab eductione.

RESP. DIST. MAJ. Materia producta fuit per creationem terminatam ad compoſitum in quo creata eſt, *C.* Per creationem ad ſe ſpecialiter terminatam, *N.* Nam materia non tam creata fuit quàm concreata, ſolius enim eſt entis completi per ſe creari; materia autem non eſt ens, ſed inchoatio entis.

INSTABIS. Quod eſt prius & formâ & compoſito non producitur per creationem compoſiti, nec exiſtit per exiſtentiam illius: atqui materia prior eſt compoſito, utpotè cauſa compoſiti.

RESP. *Primò.* DIST. MAJ. Quod eſt prius compoſito prioritate temporis, *C.* Prioritate naturæ, *N.* Nam prioritas naturæ, non eſt prioritas exiſtendi, ſed cauſandi, ideoque non impedit realem exiſtendi ſimultatem.

RESP. *Secundò.* DIST. MAJ. Quod eſt prius compoſito ſecundùm actualitatem exiſtentiæ, *C.* Secundùm realitatem potentiæ, *N.* Porrò materia, ſi-

cut non eſt niſi potentia æſſendi-, ita non præcedit compoſitum niſi ſecundùm realitatem potentiæ, nec exiſtit niſi in toto compoſito, & per compoſitum.

INST. *Secundò*. Materia in illo priori naturæ quo præcedit & formam & compoſitum, jam intelligitur exiſtens: ſed nondum exiſtit per exiſtentiam compoſiti; ergo per ſe exiſtit.

PROB. MAJ. Quod intelligitur cauſans, intelligitur exiſtens: atqui in illo priori naturæ, materia jam intelligitur cauſans compoſitum; ergo jam intelligitur exiſtens.

RESP. DIST. MAJ. Quod intelligitur cauſans per modum cauſæ efficientis, *C.* Per modum cauſæ materialis, *N.* Ratio diſp. eſt, quia cauſa efficiens cauſat per modum dantis exiſtentiam effectui, ideoque oportet quod intelligatur exiſtens, antequàm cauſet. At verò cauſa materialis cauſat per modum potentiæ recipientis exiſtentiam, ideoque non oportet quod illam præhabeat.

INST. *Tertiò*. Quod intelligitur extra nihil, jam intelligitur exiſtens: atqui quod cauſat per modum cauſæ materialis, jam intelligitur extra nihil in illo priori, quo concipitur cauſare; ergo in illo priori jam intelligitur exiſtens.

RESP. DIST. MAJ. Quod intelligitur extra nihil completè, & per modum entis, *C.* Incompletè & per modum inchoationis entis, *N.* At in illo priori materia non eſt ens, ſed ſolùm inchoatio entis: ſiquidem per ſe non ſiſtitur in lineâ entis, ſed ulteriùs tendit ad hoc ut ſit ens; exiſtentia autem dicitur quaſi rei alicujus ſiſtentia, ideoque quod per ſe exiſtit, ulteriùs non refertur.

INST. *Quartò*. Quod eſt extrà nihil incompletè habet exiſtentiam ſaltem incompletam: atqui materia in illo priori eſt extra nihil incompletè per modum inchoationis entis & potentiæ; ergo in illo priori habet exiſtentiam ſaltem incompletam.

RESP. NEGO MAJ. Nam ad exiſtendum non ſatis eſt rem eſſe quomodocumque extra nihil, ſed debet eſſe per modum rei completæ & terminatæ in lineâ entis, quia exiſtentia eſt terminus entis, ejuſque ſiſtentia.

INST. *Quintò*. Non datur medium inter ens & nihil; ergo quod eſt extra nihil eſt ens, proindéque exiſtit.

Resp. *Primò.* Dist. Ant. Non datur medium inter ens & nihil, ſecundùm rem & durationem, *C.* Secundùm præciſionem, *N.* Quia inter ens & nihilum mediat potentia realis eſſendi, quæ quamvis ſemper ſit vel intrà vel extrà nihilum pro omni duratione, attamen præſcindi poteſt à formâ per conſiderationem, & ſic non intelligitur ut ens, ſed ut tendentia à nihilo ad ens.

Resp. *Secundò.* Dist. Cons. Ergo quod eſt extra nihil eſt ens vel per ſe, vel per exiſtentiam compoſiti, *C.* Eſt ens per ſe & independenter à compoſito, *N.*

Inst. *Sextò.* Niſi materia exiſteret per ſe & independenter à compoſito, pereunte exiſtentiâ compoſiti, periret quoque exiſtentia materiæ: atqui hoc apertè falſum eſt.

Prob. min. Quod amittit exiſtentiam, corrumpitur: atqui pereunte compoſito non corrumpitur materia; ergo non amittit exiſtentiam.

Resp. Dist. Maj. Quod amittit exiſtentiam, ità ut nulla ſubrogetur alia, *C.* Si ſubrogetur alia exiſtentia, *N.* Porrò cùm corruptio unius ſit generatio alterius, ubi materia unam perdit exiſtentiam, alia ſtatim ei ſubrogatur: ſicut ergo ſervus non dicitur liberari ex eo quòd ab unâ ſervitute tranſeat ad aliam; ità nec materia dicitur corrumpi, ex eo quòd unam deponens exiſtentiam ſtatim recipiat alteram.

Inst. *Septimò.* Pereunte compoſito, ceſſat conſervatio compoſiti, manet autem conſervatio materiæ; ergo alia eſt exiſtentia compoſiti, & alia materia.

Resp. Dist. Ant. Manet conſervatio materiæ diverſa ab eâ quæ fuerat priùs, *C.* Manet eadem quæ priùs, *N.* Nam ceſſante compoſito ceſſat & conſervatio materiæ quæ ei inerat ab eo compoſito, ſed nova ſtatim ei ſubrogatur conſervatio à novo compoſito.

Inst. *Octavò.* Actio conſervativa materiæ debet eſſe tantæ virtutis, ut poſſit eam producere, ſi opus eſſet: atqui actio generativa novi compoſiti geniti non eſt tantæ virtutis ut poſſit producere materiam, ſiquidem ipſa eſt ingenerabilis; ergo materia non conſervatur per eam actionem, quâ gene-

ratur aut conſervatur novum compoſitum.

Resp. Dist. Min. Atqui actio generativa non eſt tantæ virtutis ut poſſit producere materiam ſi opus eſſet, actio generativa quatenùs eſt à principio creato, C. Quatenùs eſt ab ipſo Deo, N. Cùm enim eadem generatio procedat, & à Deo & à creaturâ, Dei autem virtus ſit infinita, ea generatio poſſet producere materiam, ſi opus eſſet, quatenùs eſt actio ſe tenens ex parte Dei.

QUÆSTIO TERTIA.

De exiſtentiâ formæ ſubſtantialis.

PROPOSITIO.

Datur forma ſubſtantialis in corpore naturali.

Probatur. Ut detur forma ſubſtantialis, ſatis eſt quod in corpore naturali detur primum radicale & internum operandi principium, & quod illud ſit forma ſubſtantialis diſtincta realiter à materiâ; atqui utrumque perindè verum eſt.

Primò quidem datur in corpore naturali primum & internum operandi principium. Nam datur in corpore principium illud quod eſt connaturalius, & aliundè non eſt impoſſibile; atqui primum & internum operandi principium eſt connaturalius corpori, & aliundè non eſt impoſſibile: eſt quidem connaturalius, quia naturalius eſt agere ab intrinſeco quam ab extrinſeco, movere ſeipſum quam moveri ab alio. Neque verò eſt impoſſibile primum illud & internum operandi principium; ſi enim foret impoſſibile, maximè quia eſſet illud materiale, nec tamen eſſet materia; atqui non implicat aliquid eſſe materiale, quod non ſit materia, quia non implicat aliquid dependere à materiâ, nec tamen eſſe materiam. Ergo datur in corpore naturali primum & internum operandi principium.

Deindè verò primum illud & internum operandi

principium in corpore, eſt ipſa forma ſubſtantialis diſtincta realiter à materiâ: nam vel eſt forma ſubſtantialis, vel materia, vel forma accidentalis; atqui neque eſt materia, nec forma accidentalis: non eſt quidem materia, quæ de ſe iners eſt & otioſa; neque eſt forma accidentalis, quæ pariter eſt iners & inactuoſa, cujuſmodi ſunt omnes modi, & diſpoſitiones mecanicæ corporis. Ergo reſtat quod primum illud & internum operandi principium in corpore ſit forma ſubſtantialis, proindéque datur forma ſubſtantialis diſtincta realiter à materiâ.

OBJECTIO PRIMA

Formam ſubſtantialem eſſe impoſſibilem.

EA forma eſt impoſſibilis quæ foret ſubſtantia & non foret ſimul: atqui forma ſubſtantialis (ſi daretur) foret ſubſtantia ſimul & non foret.

Prob. Min. Forma quæ poſſet adeſſe aut abeſſe à ſubjecto ſine ſubjecti interitu non foret ſubſtantia, ſed accidens: atqui forma ſubſtantialis (ſi daretur) poſſet adeſſe & abeſſe à materiâ ſine illius interitu; ergo foret accidens & non ſubſtantia.

Resp. dist. maj. Forma quæ, &c. non foret ſubſtantia ſed accidens logicum, *C.* Phyſicum & propriè dictum, *N.* Porrò forma ſubſtantialis poteſt dici accidens logicum materiæ, ſicut veſtis dicitur accidens corporis.

Inst. *Primò.* Forma quæ eſt in ſubjecto non tanquam pars, & ſine eo eſſe non poteſt eſt accidens phyſicum: atqui forma ſubſtantialis (ſi daretur) eſſet in materiâ non tanquam pars & ſine materiâ eſſe non poſſet naturaliter; ergo eſſet accidens phyſicum.

Resp. dist. maj. Forma quæ eſt in ſubjecto non tanquam pars, nec tanquam compars totius reſultantis, *C.* Sed eſt compars totius reſultantis, *N.* Porro forma ſubſtantialis non eſt quidem pars materiæ cui ineſt, ſed eſt cum materiâ pars totius compoſiti phyſici reſultantis ex unione utriuſque ſimul; ſicut anima rationalis in homine.

INST. *Secundò.* Licet albedo ſit in materiâ tanquam compars totius reſultantis ex unione utriuſque, nihilominus albedo eſt verum accidens phyſicum; ergo pariter & forma quæ dicitur ſubſtantialis.

RESP. NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ex albedine & materiâ non reſultat niſi totum per accidens; at ex formâ ſubſtantiali & materiâ reſultat totum per ſe, & novæ proprietates quæ ex ſingulis non reſultarent.

INST. *Tertiò.* Forma quæ eſſentialiter pendet à materiâ in ſuo eſſe, conſervari, & operari, eſt verum accidens phyſicum: atqui forma ſubſtantialis, ſi daretur, penderet eſſentialiter à materiâ in ſuo eſſe, fieri, conſervari & operari.

RESP. DIST. MAj. Quæ penderet eſſentialiter à materia tanquam à ſubjecto inhæſionis, *C.* Tanquam à ſubjecto eductionis & informationis, *N.*

INST. *Quartò.* Forma quæ non aliâ ratione uniretur materiæ quàm accidens phyſicum uniatur ſubjecto, penderet à ſubjecto inhæſionis: atqui forma ſubſtantialis non aliter uniretur materiæ quàm accidens phyſicum ſubjecto ſuo.

PROB. MIN. Ea forma non aliter unitur materiæ quàm accidens phyſicum uniatur ſubjecto, quæ localiter tantùm ſeu adhæſivè adſtit materiæ ſine ullâ penetratione: atqui forma ſubſtantialis localiter tantùm ſeu adhæſivè aſſiſtit materiæ ſine ulla ſui cum matéria penetratione.

PROB. MIN. Forma ſubſtantialis materialis non poteſt participare proprietates ſubſtantiæ ſpiritalis: atqui penetrare ſeu pervadere obvia corpora eſt proprietas ſubſtantiæ ſpiritalis.

RESP. DIST. MAj. Forma ſubſtantialis non poteſt participare proprietates ſubſtantiæ ſpiritalis ſpecificas & reciprocas, *C.* Genericas, *N.* Porro penetrare & pervadere non eſt proprietas ſubſtantiæ ſpiritalis ſpecifica, ſed potiùs generica & communis.

INST. *Quintò* Forma quæ foret extenſa & diviſibilis, non poſſet habere penetrationem genericam & communem: atqui forma ſubſtantialis materialis (ſi daretur) eſſet extenſa & diviſibilis, quia corporea eſſet & extracta ex partibus materiæ diviſibilibus.

RESP. DIST. MAj. Forma quæ foret extenſa

extenſione quantitativâ & ſolidâ, & diviſibilis diviſibilitate quantitativâ, C. Quæ foret extenſa extenſione entitativâ & minimè ſolidâ, N.

Inst. *Sextò.* Forma cujus partes non ſe ſe penetrant, debet eſſe extenſa extenſione quantitativâ & ſolidâ: atqui partes formæ ſubſtantialis materialis (ſi daretur) non ſe ſe penetrarent, quia non eſſet tota in ſingulis materiæ partibus.

Resp. dist. Debet eſſe extenſa extenſione quantitativâ per materiam extenſam, C. Per ſe, N.

Inst. *Septimò.* Forma quæ ſeorſim à materiâ remaneret extenſa extenſione quantitativâ eſt per ſe extenſa extenſione quantitativâ: atqui forma ſubſtantialis materialis (ſi daretur) remaneret extenſa ſeorſim à materiâ.

Prob. Min. Forma quæ eſſet in loco circunſcriptivè eſſet extenſa extenſione quantitativâ: atqui forma quæ dicitur ſubſtantialis, ſeorſim à materiâ eſſet in loco circunſcriptivè.

Prob. min. Vel eſſet in loco circunſcriptivè vel definitivè: atqui non eſſet definitivè.

Prob. Min. Eſſe in loco definitivè, proprium eſt ſpirituum & ſpiritalium: atqui forma illa non eſſet de genere rerum ſpiritalium; ergo non eſſet in loco definitivè.

Resp. dist. Maj. Eſſe in loco definitivè abſque multitudine partium entitativarum eſt proprium ſpirituum, C. Eſſe in loco definitivè per multitudinem partium entitativarum, N. In hoc ergo differret illa forma ſubſtantialis materialis à ſpiritu, quòd ſpiritus careat partibus entitativis: illa verò forma de ſe habeat plures entitatis partes penetrabiles tamen & minimè ſolidas.

OBJECTIO SECUNDA,

Formam ſubſtantialem eſſe impoſſibilem.

Illa forma eſt impoſſibilis quæ foret materia ſimul & non foret: atqui forma ſubſtantialis foret materia ſimul & non foret.

Prob. Min. Omnis ſubſtantia materialis eſt materia; atqui forma, quæ dicitur ſubſtantialis, eſſet

ſubſtantia materialis; ergo eſſet materia.

Resp. Nego maj. Vel Dist. maj. Omnis ſubſtantia materialis paſſiva, eſt materia, C. Omnis ſubſtantia materialis activa, N. Nam forma ſubſtantialis eſt ſubſtantia materialis, neque tamen eſt materia, quia non eſt purè paſſiva.

Instabis. Omnis ſubſtantia ſpiritalis eſt ſpiritus; ergo omnis ſubſtantia materialis generatim eſt materia.

Resp. Nego Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia omnis ſubſtantia ſpiritalis habet proprietates ſpiritûs: at non omnis ſubſtantia materialis habet proprietates materiæ, quia non omnis eſt iners & otioſa per ſe.

Inst. *Secundò.* Subſtantia quæ habet plures entitatis partes, extenſionem & diviſibilitatem, habet proprietates materiæ: atqui omnis ſubſtantia materialis eſt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Habet proprietates materiæ aliquas, genericas & communes, C. Habet proprietates materiæ omnes, ſpecificas & reciprocas, N. Nam forma ſubſtantialis non eſt iners & otioſa ſicut materia.

Inst. *Tertiò.* Atqui omnis forma ſubſtantialis eſt iners & otioſa ſicut materia.

Prob. Subs. Niſi omnis ſubſtantia materialis ſit iners & otioſa, vel activitas ei conveniret, quia eſt ſubſtantia, vel quia eſt materialis, vel tandem quia eſt ſubſtantia materialis ſimul: atqui nullum ex his dici poteſt.

Resp. Nego Min. Et dico activitatem convenire formæ ſubſtantiali, eò quòd ſit ſubſtantia materialis per modum actûs primi & radicalis principii operandi.

Inst. *Quartò.* Si activitas conveniret formæ ſubſtantiali, eò quòd ſit ſubſtantia materialis, omnis ſubſtantia materialis foret activa: atqui hoc falſum eſt, ut conſtat de materiâ.

Resp. dist. maj. Si activitas conveniret formæ ſubſtantiali, eò quòd ſit ſubſtantia materialis præcisè, C. Eò quòd ſit ſubſtantia materialis per modum actûs primi in corpore, N.

Inst. *Quintò.* Activitas non competit ei ſubſtantiæ, quæ ſequitur conditionem materiæ: atqui omnis ſubſtantia materialis ſequitur conditionem materiæ,

Prob. Min. Effectus ſequitur conditionem ignobilitatis cauſæ ſuæ: atqui omnis ſubſtantia materialis eſt effectus materiæ, quia pendet eſſentialiter à materiâ.

Resp. Dist. Secundam Maj. Omnis effectus ſequitur conditionem cauſæ ſuæ efficientis, C. Cauſæ ſuæ materialis, N. Alioqui homo eſſet ejuſdem cum materiâ conditionis, quod nemo dixerit.

Inst. *Sextò.* Illud ſequitur conditionem materiæ circa inertiam, quod non movet niſi priùs aliundè motum acceperit: atqui omnis ſubſtantia materialis non movet niſi priùs aliundè motum acceperit, nempe à Deo.

Resp. Nego Min. Vel Dist. Min. Atqui omnis ſubſtantia materialis motum accipit ab alio, motum in actu primo, id eſt, movendi principium, C. Motum in actu ſecundo, id eſt, ipſiſſimam motionem, N.

Inst. *Septimò. Quidquid movetur ab alio movetur* (ex axiomate;) ergo omnis ſubſtantia materialis accipit motum aliundè etiam in actu ſecundo.

Resp. Dist. Ant. Quidquid movetur ab alio movetur, ſi non habeat in ſe principium motûs ſui, ut lapis dum ſurſum projicitur, C. Si habeat in ſe principium ſui motûs, ut homo, N.

Inst. *Octavò.* Quod eſt in quiete poſitum, indiget moveri ab alio: atqui omnis ſubſtantia materialis eſt vel poteſt eſſe in quiete poſita; ergo indiget ab alio moveri.

Resp. Dist. Maj. Quod eſt in quiete poſitum indiget moveri ab alio, ſi ſit potentia paſſiva, non valens de ſe tranſire de potentiâ ad actum, C. Secùs, N. At forma ſubſtantialis eſt activa, & valet de ſe tranſire à potentiâ ad actum poſitis omnibus ad agendum requiſitis.

Inst. *Nonò.* Niſi omnis ſubſtantia materialis moveretur ab alio, certè moveretur à ſeipſâ: atqui hoc implicat: alioquin eſſet ſimul in actu & in potentiâ reſpectu ſui ipſius.

Resp. Dist. Min. Implicat idem ſimul eſſe in actu & in potentiâ activâ, N. Paſſivâ, Subdistinguo: Implicat idem eſſe in actu per ſe primò, ſimul & in potentiâ per ſe primò, C. Eſſe in actu per ſe & in potentiâ per accidens & ſecundariò, N. Por-

ro forma ſubſtantialis per ſe primò mover, & per accidens movetur ad motum totius corporis, ſicut contingit etiam in animâ rationali.

OBJECTIO TERTIA,

Formam ſubſtantialem eſſe inutilem.

ILla forma eſt inutilis, ſine quâ poſſunt explicari omnes corporum naturalium functiones & operationes: atqui ſine formâ ſubſtantiali explicari poſſunt.

Prob. Min. Quæ operationes poſſunt explicari per ſolam materiam ejuſque diſpoſitiones mecanicas, poſſunt explicari ſine formâ ſubſtantiali: atqui corporum naturalium operationes poſſunt explicari per ſolam materiam ejuſque diſpoſitiones.

Resp. Nego Min. Vel Dist. Min. Atqui corporum naturalium operationes poſſunt explicari per ſolam materiam, tanquam per cauſam inſtrumentalem, ſecundariam & paſſivam, *C.* Tanquam per cauſam principalem & primariam, *N.* Nam materia eſt iners & otioſa.

Inst. *Primò.* Operationes purè materiales poſſunt explicari per ſolam materiam ejuſque diſpoſitiones mecanicas: atqui corporum naturalium operationes ſunt purè materiales; ergo poſſunt explicari per ſolam materiam ejuſque affectiones.

Resp. Nego Maj. Vel Dist. Poſſunt explicari per materiam inſtrumentaliter, *C.* Principaliter, *N.* Nam materia eſt de ſe iners, nullius operationis opifex.

Inst. *Secundò.* Tam operationes materiales poſſunt principaliter explicari per materiam, quàm operationes ſpiritales poſſunt explicari per ſpiritum.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ſpiritus eſt de ſe activus & operativus: at verò materia eſt de ſe iners & otioſa.

Inst. *Tertiò.* Idem ſit judicium de cæteris operationibus corporum naturalium ac de inceſſu & cognitione belluarum: atqui inceſſus & quæ dicitur cognitio belluarum, poſſunt explicari principaliter per materiam.

Prob. Min. *de inceſſu*. Quod poteſt explicari per ſolam contractionem & retractionem muſculorum, poteſt explicari per ſolam materiam ejuſque affectiones : atqui inceſſus belluarum ſic facilè explicatur.

Resp. Dist. Min. Atqui inceſſus belluarum facilè explicatur per contractionem & retractionem muſculorum dependenter à principio interno movente, C. Independenter à principio illo interno, N. At principium illud internum eſt ipſa forma ſubſtantialis belluarum.

Inst. *Quartò*. Fruſtraneum eſt principium illud internum ad explicandum inceſſum belluarum, ſi belluæ determinentur ſufficienter ad inceſſus ſuos extrinſecùs ab objectis ſeu corpuſculis, & intrinſecùs à ſuis ſpiritibus animalibus contractiones vel retractiones muſculorum procurantibus : atqui ita eſt.

Resp. Nego Min. Vel Dist. Atqui belluæ ſufficienter determinantur ab objectis, corpuſculis & ſpiritibus animalibus cum ſubordinatione ad formam principalem, C. Sine tali ſubordinatione, N.

Inst. *Quintò*. Non debet inceſſus belluarum explicari per plura principia, quando poteſt per pauciora juxta Mecanicæ leges : atqui explicare per corpuſcula & ſpiritus animales eſt explicare per pauciora magiſque mecanica principia.

Resp. dist. Maj. Quando poteſt explicari per pauciora & æquè naturaliter, C. Minùs naturaliter, N. At naturaliùs eſt motus belluarum explicate per internum & principale movendi principium, quia naturaliùs eſt moveri ab intrinſeco & à ſe, quàm moveri ab extrinſeco tantùm.

Inst. *Sextò*. Tam motus & inceſſus belluarum poſſunt & debent explicari per ſolas affectiones mecanicas abſque interno principali principio operandi, quàm motus horologii portatilis per ſolam adaptationem partium cum vi elaſticâ tympani.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia horologium eſt opus artefactum ex induſtria hominum, qui ſuis operibus non valent conferre internum ſe ſe movendi principium : at belluæ ſunt opera Dei, qui potuit internum conferre principium, quod cùm ſit naturalius verſimile eſt contuliſſe.

Inst. *Septimò*. Potuit Deus belluas eâ ratione diſponere,

diſponere, ut tametſi eſſent machinæ, pura automata, nihilominus eaſdem exhiberent functiones, quas in ipſis jam deprehendimus: atqui ſi ita eſt, veriſimile eſt feciſſe.

Resp. Nego Min. Quia hoc minùs eſt naturale, alioqui pari argumento concludi poſſet Deum fortaſſis nunc elaboraſſe homines eâ ratione, ut per ſolas mecanicas diſpoſitiones exhiberent ſuas functiones, quæ concluſio eſſet valdè periculoſa.

Inst. *Octavò.* Veriſimile non eſt belluas moveri atque operari per principium, quod vix ac ne vix quidem intelligitur, nec niſi obſcurè admodùm explicatur: atqui hujuſmodi eſt forma quæ dicitur ſubſtantialis.

Resp. Dist. Min. Atqui forma ſubſtantialis vix ac ne vix quidem intelligitur quoad quæſtionem *quid ſit, Tranſeat.* Quoad quæſtionem, *an ſit*, *N.* Nam ex operationibus belluarum noſtris non abſimilibus conjicitur eſſe in belluis principium internum reſpondens animæ rationali in nobis quoad ſenſationes.

OBJECTIO QUARTA.

Non dari formas ſubſtantiales in plantis.

Ea forma eſt inutilis in plantis, ſine quâ facilè phyſicè & mecanicè poſſunt explicari quæcunque ſunt plantarum operationes: atqui ſine formâ ſubſtantiali poſſunt ſic explicari plantarum operationes, nempe nutritio, accretio & generatio.

Prob. Min. Quod explicatur per materiam certâ ratione diſpoſitam, per tubulos & canales ſuccis alimentitiis excipiendis à naturâ deſtinatos, certè explicatur abſque formâ ſubſtantiali: atqui nutritio & accretio plantarum rectè explicantur per materiam certâ ratione diſpoſitam.

Resp. dist. min. Atqui nutritio & accretio plantarum explicantur per materiam diſpoſitam per tubulos & canales tanquam per cauſam inſtrumentalem mirùſque præcipuam, *C.* Tanquam per cauſam principalem, N. Nam inſuper eſt quoddam primarium, quod iis functionibus præſit, principium, &

dicitur anima vegetans, ſicut in homine eſt anima rationalis.

Inst. *Primò.* Ea non datur in plantis forma, cujus nec origo nec interitus explicari poſſunt, cujus natura vix ac ne vix quidem intelligi poteſt: atqui formæ ſubſtantialis plantarum origo atque interitus explicari non poſſunt.

Prob. Min. Illius formæ ſubſtantialis origo foret vel eductio vel creatio, illius interitus foret vel corruptio vel annihilatio: atqui neutrum dici poteſt.

Resp. nego Min. & dico formas ſubſtantiales plantarum produci per eductionem è ſinu materiæ, interire verò per corruptionem aliquo remanente ſubjecto.

Inst. *Secundò.* Illa forma non producitur per eductionem, nec interit per corruptionem, quæ ſecundùm ſe totam producitur ex nihilo, ſecundùm ſe totam abit in nihilum: atqui forma ſubſtantialis plantarum (ſi datur) fit ex nihilo, & abit in nihilum.

Resp. Dist. Min. Forma ſubſtantialis plantarum fit ex nihilo ſui & abit in nihilum ſui, C. Fit ex nihilo ſubjecti, & abit in nihilum ſubjecti, N.

Inst. *Tertiò.* Illa forma producitur ex nihilo tum ſui tum ſubjecti, ad cujus productionem materia non magis concurrit quàm ad productionem animæ rationalis: atqui ad productionem formæ ſubſtantialis plantarum (ſi datur) materia non magis concurrit, quàm ad productionem animæ rationalis.

Prob. Min. Materia quæ ſe habet ſubjectivè ad productionem animæ rationalis, & vegetativæ plantarum, non magis concurrit ad productionem unius quàm alterius: atqui materia ſe habet ſubjectivè ad productionem animæ vegetantis, pariter & rationalis.

Resp. Dist. Min. Materia ſe habet ſubjectivè ad productionem utriuſque animæ, ſubjectivè ſed diverſimodè, C. Eodem modo, N. Nam ſe habet ſubjectivè ut id *ex quo* reſpectu vegetantis, & ſubjectivè ut id *in quo*, reſpectu rationalis.

Inst. *Quartò.* Materia non ſe habet ſubjectivè ut id, *ex quo*, ad productionem illius formæ, quæ ni-

hil quidquam eſt materiæ: atqui anima vegetans plantarum (ſi datur) nil quidquam eſt materiæ.

Resp. Nego Maj. Vel Dist. Ad productionem illius formæ quæ nil quidquam eſt materiæ, nec materiale quid, C. Secùs, N. Porro anima vegetans plantarum eſt eſſentialiter materialis, quia pendet à materiâ.

Inst. *Quintò.* Implicat aliquid educi è materiâ quod nihil ſit materiæ: atqui anima vegetans plantarum (ſi datur) nihil eſt materiæ.

Resp. Dist. Maj. Implicat aliquid educi è materiâ, eductione ſterili & merè locali, quod nihil ſit materiæ, C. Educi eductione fœcundâ & productivâ, N. At anima vegetans educitur eductione fœcundâ, ſicut effectus educitur è ſuâ causâ.

Inst. *Sextò.* Nihil poteſt educi abſolutè è materiâ, quod in ipsâ non præcontineatur: atqui quod nihil eſt materiæ, non præcontinetur in materiâ.

Resp. Dist. Min. Quod nihil eſt materiæ non præcontinetur in ipsâ, actu & formaliter, C. Poteſtate & virtualiter, N.

Inst. *Septimò.* Quod non influit in formam, non concurrit ad ejus productionem: atqui materia, ut pote iners, non influit in formam.

Resp. Dist. Min. Materia non influit activè in formam, C. Paſſivè, N. Quia ſuſtentat actionem agentis formam educentis.

Inst. *Octavò.* Suſtentare eſt agere: atqui materia ſuſtentaret; ergo ageret.

Resp. Dist. Maj. Suſtentare, vim poſitivè faciendo, ſicut ſuſtentat bajulus, C. Suſtentare, paſſivè tantùm ſe habendo, N. At ſic materia ſuſtentat.

OBJECTIO QUINTA.

Non dari formas ſubſtantiales in belluis.

Forma ſubſtantialis belluarum vulgò agnoſcitur tanquam principium internum cognoſcitivum; atqui non datur in belluis hujuſmodi principium.

Prob. Min. Ibi neceſſe non eſt agnoſcere principium internum cognoſcitivum, ubi nulla agno-

ſcenda eſt cognitio : atqui in belluis nulla agnoſcenda eſt cognitio.

Prob. Min. Si daretur cognitio in belluis, ea deberet eſſe vel ſpiritalis vel materialis : atqui neutrum dici poteſt.

Resp. Nego Min. Et dico eſſe materialem, quia derivatur à principio materiali belluarum.

Inst. *Primò*. Quidquid materiale eſt, extenſum eſt & diviſibile : atqui nulla cognitio poteſt eſſe extenſa & diviſibilis ; ergo nulla cognitio poteſt eſſe materialis.

Resp. Dist. Maj. Quidquid materiale eſt, extenſum eſt extenſione entitativâ, C. Quantitativâ, N. Porrò cognitio belluarum dici poteſt extenſa extenſione entitativâ.

Inst. *Secundò*. Prius eſt habere plures extra ſe invicem partes, quàm eſſe diviſibile : atqui formæ belluarum non habent plures extra ſe invicem partes.

Resp. Dist. Maj. Prius eſt habere plures extra ſe invicem partes quàm eſſe diviſibile quantitativè, C. Entitativè, N. Nam plures entitatis partes poſſunt ſe penetrare, proindeque non eſſe extra ſe invicem.

Inst. *Tertiò*. Quæ ſeorſim à materiâ forent aliquod punctum & in puncto, certè non habent plures entitatis partes de ſe ; atqui belluarum cognitiones (ſi darentur) forent ſeorſim à materiâ punctum aliquod, quia in cognitione non eſt diſtinguenda pars à parte.

Resp. dist. min. Cognitiones belluarum forent aliquod punctum & in puncto loci, C. Entitatis, N.

Inst. *Quartò*. Nihil materiale poteſt eſſe in loco definitivè, hæc enim eſt prærogativa rerum ſpiritalium : atqui cognitiones belluarum (ſi darentur) eſſent in loco definitivè ; ergo non forent materiales, ſed ſpiritales contra hypotheſim.

Resp. Nego Maj. Vel Dist. Nihil materiale poteſt eſſe in loco definitivè per ſimplicitatem entitatis, ut ſpiritus, C. Per compoſitionem entitatis, N.

Inst. *Quintò*. Tam implicat aliquid materiale eſſe in loco definitivè, quàm implicet aliquid ſpiri-

tale eſſe in loco circumſcriptivè: atqui hoc poſterius implicat.

Resp. nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ſpiritale, cùm non habeat plures partes, nequit habere partes extra partes in ordine ad locum: at materiale poteſt habere plures partes ſe ſe actu penetrantes, & hoc eſt, eſſe in loco definitivè.

Inst. Sextò. Implicat plures partes materiales ſe ſe mutuò penetrare; ergo implicat eas eſſe in loco definitivè.

Resp. Dist. Ant. Implicat plures partes materiales ſolidas ſe ſe penetrare, eſto. Minimè ſolidas, N.

Inst. *Septimò.* Partes ſubſtantiales ſunt ſolidæ: atqui partes formarum in quæſtione eſſent ſubſtantiales.

Resp. Dist. Maj. Partes ſubſtantiales & quantæ, C. Nec quantæ, N. Quia ex ſolâ quantitate oritur reſiſtentia & impenetrabilitas.

QUÆSTIO QUARTA.

De diſtinctione magnitudinis à materiâ.

I. PROPOSITIO.

Magnitudo diſtinguitur realiter actualiter à materiâ.

Probatur. Ea diſtinguuntur realiter ab invicem quæ ſeparantur ab invicem, & ſeparatim exiſtunt: atqui magnitudo & materia ſeparatim exiſtunt in ſacro ſancto altaris myſterio, ubi reperitur materia corporis Chriſti abſque extenſione ſuâ, & iterum, reperitur extenſio panis & vini, abſque materiâ panis & vini, quæ tota jam eſt converſa in corpus & ſanguinem Domini, virtute conſecrationis; ergo materia & magnitudo ſeparantur ab invicem & ſeperatim exiſtunt, proindeque magnitudo diſtinguitur realiter à materiâ.

OBJECTIO I.

Nomine magnitudinis intelligitur actualis extenſio in longum, latum & profundum: atqui hujuſmodi extenſio actualis non diſtinguitur realiter à materiâ.

Prob. Min. Quod formaliter includitur in ideâ materiæ, non diſtinguitur realiter à materiâ: atqui actualis extenſio in longum, latum & profundum includitur formaliter in ideâ materiæ.

Prob. Min. Corpus & materia ſunt quid idem: atqui actualis extenſio includitur formaliter in ideâ corporis, quod definitur longum, latum & profundum.

Resp. Dist. Maj. Corpus phyſicum & materia ſunt quid idem, *C.* Corpus mathematicè ſumptum & materia, *N.* At corpus phyſicè ſumptum eſt ſubjectum longitudinis, latitudinis & profunditatis, non eſt verò ipſa longitudo.

Inst. *Primò.* Atqui corpus phyſicè ſumptum & magnitudo ſunt unum & idem; ergo nulla ſolutio.

Prob. Subs. Si corpus phyſicè ſumptum & magnitudo non eſſent quid idem, maximè quia poſſent à ſe mutuò ſeparari: atqui non poſſunt ſeparari.

Prob. Min. Suppono materiam ſeparari à magnitudine, hac factâ hypotheſi ſic argumentor. Implicat materiam ſeorſim à magnitudine eſſe magnam: atqui in illâ hypotheſi materia ſeorſim à magnitudine eſſet magna.

Prob. Min. Vel materia ſeorſim à magnitudine foret magna, vel partes materiæ omnes confluerent ad punctum loci: atqui in illâ hypotheſi partes materiæ non confluerent ad punctum loci.

Prob. Min. Si partes materiæ confluerent ad punctum loci, vel confluerent in inſtanti vel ſucceſſivè, vel per motum localem vel ſine motu locali: atqui neutrum horum dici poteſt.

Resp. Nego Min. Et dico in prædictâ hypotheſi partes materiæ confluxuras ad punctum loci ſucceſſivè & per motum localem, quia ad ſe mutuò accederent & penetrarent,

INST. *Secundò.* Partes materiæ non poſſent confluere ad punctum loci ſucceſſivè & per motum localem niſi forent magnæ ſeu extenſæ: atqui in eâ hypotheſi non eſſent magnæ.

PROB. MAj. Tunc materia intelligitur magna formaliter & extenſa, quando partes materiæ diverſum occupant realiter actualiter locum: atqui, quo tempore confluerent ad punctum, diverſum occuparent realiter actualiter locum partes materiæ, nam pro eo tempore nondum confluxiſſent.

RESP. DIST. MAj. Quando partes materiæ diverſum occupant locum circunſcriptivè, *C.* Definitivè, *N.* Porrò in illâ hypotheſi partes materiæ occuparent diverſa loca non circunſcriptivè ut anteà, ſed definitivè, ſiquidem ſuâ denudarentur extenſione (ex hypotheſi.)

INST. *Tertiò.* Eſſe in loco circunſcriptivè eſt eſſe totum in toto loco, & ſecundùm diverſas ſui partes eſſe in diverſis loci partibus: atqui partes materiæ, quo tempore confluerent ad punctum loci, eſſent hujuſmodi.

RESP. DIST. MAj. Eſſe in loco circunſcriptivè eſt eſſe ſecundùm diverſas ſui partes ſolidas & impenetrabiles in diverſis loci partibus, *C.* Secundùm diverſas ſui partes penetrabiles nec ſolidas, *N.* At partes materiæ in illâ hypotheſi eſſent penetrabiles, ſiquidem ab eis ſublata fuiſſet origo impenetrabilitatis magnitudo.

INST. *Quartò.* Illæ partes ſunt ſolidæ & impenetrabiles, quæ ſe ſe tangunt nec tangunt ſecundùm ſe totas: atqui in prædictâ hypotheſi partes materiæ ſe ſe tangerent, nec ſe tangerent ſecundùm ſe totas, quia nondum eſſent in uno puncto loci; ergo eſſent ſolidæ & impenetrabiles.

RESP. DIST. MAj. Illæ partes ſunt ſolidæ & impenetrabiles, quæ ſe tangunt nec ſecundùm ſe totas, ob aliquam reſiſtentiam mutuam partium ad invicem, *C.* Ob confluxum & motum localem, qui non poteſt in inſtanti perfici, *N.* Porrò partes materiæ non ſe ſe tangerent ſecundùm ſe totas, eò quòd nondum confluxiſſent, non autem ob reſiſtentiam ad invicèm mutuam.

OBJECTIO SECUNDA.

NUlla alia ratio adigit Philoſophos ad diſtinguendam magnitudinem à materiâ, quàm quia aſſerunt Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtiâ abſque ſuâ magnitudine, & magnitudinem panis abſque ſuâ materiâ; atqui utrumque falſum eſt.

Prob. Min. *Quoad primam partem.* Corpus illud non eſt ſine ſuâ magnitudine, quod habet partes poſitas extrà partes in ordine ad locum: atqui Corpus Chriſti in Euchariſtiâ habet partes poſitas extrà partes in ordine ad locum.

Resp. Nego Min. Quia totum eſt in totâ Hoſtiâ, & totum in ſingulis Hoſtiæ partibus, ut definitum eſt in Concilio Tridentino.

Inst. *Primò.* Corpus organicum habet partes extrà partes in ordine ad locum: atqui Corpus Chriſti in Euchariſtiâ eſt Corpus organicum. Ergo habet partes extrà partes in ordine ad locum.

Resp. dist. Maj. Corpus organicum exiſtens modo naturali, *C.* Corpus organicum exiſtens modo ſupernaturali, N. Porrò Chriſti Corpus eſt in Euchariſtiâ modo ſupernaturali, & ineffabili.

Inst. *Secundò.* Niſi corpus Chriſti haberet partes extrà partes in ordine ad locum, partes Corporis Chriſti in Euchariſtiâ eſſent confuſæ; atqui non ſunt confuſæ: alioqui jam eſſet materia informis.

Resp. Dist. Maj. Partes Corporis Chriſti in Euchariſtiâ eſſent confuſæ confuſione loci; quia ſunt in eodem indiviſibiliter puncto loci, *C.* Eſſent confuſæ confuſione entitatis, N. Nam ſemper ſervant ordinem debitum & naturalem ad invicem.

Inst. *Tertiò.* Ut partes Corporis Chriſti non ſint confuſæ confuſione entitatis, debent talem ſervare ordinem ad invicem, ut aliæ ſint ſuperiores, aliæ inferiores: atqui non poſſunt aliæ eſſe ſuperiores, aliæ inferiores, niſi ſint poſitæ extrà ſe invicem in ordine ad locum. Ergo partes Corporis Chriſti in Euchariſtiâ ſunt poſitæ extrà ſe invicem in ordine ad locum.

Resp. Dist. Maj. Partes Corporis Chriſti debent talem ſervare ordinem, ut aliæ ſint ſuperiores,

aliæ inferiores, in ordine ad ſe & in actu primo, *C.* In ordine ad locum & in actu ſecundo, *N.*

Inst. *Quartò.* Quod correſpondet partibus formaliter extenſis eſt formaliter extenſum in ordine ad locum: atqui Corpus Chriſti in Euchariſtiâ reſpondet partibus Hoſtiæ formaliter extenſis; ergo eſt formaliter extenſum in ordine ad locum.

Resp. Dist. Maj. Quod correſpondet circumſcriptivè, *C.* Definitivè, *N.* Alioqui Deus, Angelus, & anima formalem haberent extenſionem, ſiquidem correſpondent partibus materiæ formaliter extenſis, v. g. anima noſtra corpori noſtro.

Inst. *Quintò.* Corpus illud correſpondet circumſcriptivè partibus formaliter extenſis, cujus partes habent ſitum, figuram & ſtaturam: atqui Corporis Chriſti partes habent in Euchariſtiâ ſitum, figuram & ſtaturam.

Prob. Min. Canit Eccleſia de Corpore Chriſti *nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur*; ergo habet ſitum, ſtatum & figuram.

Resp. Dist. Id canit Eccleſia ut oſtendat nullam fieri diviſionem ipſius Corporis Chriſti, dum dividitur Hoſtia, *C.* Id canit ut doceat eſſe in Corpore Chriſti veram & actualem figuram & ſtaturam, *N.* Hinc immediatè ante verba citata canit; *nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantùm fit fractura*: & ſtatim ſubdit; *ne vacilles ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.*

Inst. *Sextò.* Idem eſt Corpus Chriſti in Euchariſtiâ, quod in cruce pendebat, quod jam in Cælo exiſtit: atqui idem non eſſet, niſi in Euchariſtiâ ſitum, figuram, ſtatum, & ſtaturam habeat, ſicuti aliàs.

Resp. Dist. Maj. Idem eſt Corpus Chriſti in Euchariſtiâ, & in Cælo, idem quoad ſubſtantiam, atque entitatem, *C.* Idem quoad modum exiſtendi, *N.* Alioqui ſicut in cruce & cælo eſt ſextupedale, eſſet pariter in Euchariſtiâ ſextupedale.

OBJECTIO TERTIA.

Modus & modificatio materiæ non diſtinguitur à materiâ diſtinctione reali majori: atqui ma-

gnitudo eſt modus & modificatio materiæ, quia facit ut materiæ partes ſint certo quodammodo diſpoſitæ.

Resp. Dist. Maj. Modus inſeparabilis & metaphyſicus, ut inflexio digiti, *C.* Modus ſeparabilis & phyſicus, ut quantitas, quæ ſeparatim exiſtit in Altaris myſterio, *N.*

Inst. *Primò* Implicat magnitudinem ſeparari à materiâ, & ſeparatim exiſtere; ergo eſt modus materiæ inſeparabilis à materiâ.

Prob. Ant. Implicat magnitudinem ſeorſim à materiâ eſſe ſubſtantiam ſimul & non eſſe: atqui magnitudo ſeparata à materiâ foret ſubſtantia ſimul & non eſſet.

Prob. Min. Ens per ſe exiſtens, independens à ſubjecto inhæſionis, eſt ſubſtantia propriè dicta: atqui magnitudo ſeparata à materiâ eſſet ens per ſe exiſtens, independens à ſubjecto inhæſionis; quia exiſteret abſque ſubjecto.

Resp. Dist. Min. ult. ſyllog. Atqui magnitudo eſſet independens à ſubjecto inhæſionis in actu ſecundo, *C.* In actu primo, *N.* Nam eſſentialiter exigeret ſubjectum, nec niſi per miraculum ſine ſubjecto exiſteret.

Inst. *Secundò.* Quod eſſentialiter exigit eſſe in ſubjecto inhæſionis, non poteſt abſolutè exiſtere ſine ſubjecto: atqui magnitudo exigit eſſentialiter eſſe in ſubjecto inhæſionis, ſiquidem in hoc differt à materiâ & formâ ſubſtantiali.

Resp. Dist. Min. Atqui magnitudo eſſentialiter exigit eſſe in ſubjecto inhæſionis, eſſe in actu primo, id eſt, poſſe eſſe, *C.* Eſſe in actu ſecundo, Subdistinguo; naturaliter & juxtà naturalem ordinem, *C.* Abſolutè, etiam miraculo interveniente, *N.*

Inst. *Tertiò.* Non magis accidens poteſt eſſe ſine actuali inhæſione, quàm ſubſtantia ſine actuali ſubſiſtentiâ, vel propriâ, vel alienâ ſaltem.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſp. eſt, quia ſubſiſtentia convenit ſubſtantiæ abſolutè, & in ordine ad ſe. At verò inhæſio actualis convenit accidenti relativè & in ordine ad ſubjectum; cùm ergo ſubjectum poſſit abſolutè non exiſtere, ut in Altaris myſterio, fit ut accidens non ſemper inhæreat in actu ſecundo.

Inst. *Quartò.* Nullum aliud argumentum probat magnitudinem exiſtere ſeparatim à materiâ, quàm, quod petitur ab altaris myſterio, in quo dicitur magnitudo panis ſupereſſe factâ conſecratione: atqui nihil neceſſe eſt agnoſcere veram & realem panis magnitudinem factâ conſecratione.

Prob. Min. Ut explicetur appoſitè myſterium Altaris, ſufficit ſi dicatur factâ conſecratione Corpus Chriſti adeſſe ſub ſpeciebus remanentibus: atqui hoc dici poteſt abſque eo quod remaneat vera & realis magnitudo, dummodò remaneant ſpecies & apparentiæ magnitudinis panis.

Resp. Dist. Maj. Sufficit ſi dicatur remanere ſpecies panis & vini, *C.* Species accidentium panis & vini, *N.* Porrò ſublatâ magnitudine verâ & reali panis, jàm non remanerent ſpecies panis, ſed duntaxat ſpecies & apparentiæ accidentium: Concilium autem Tridentinum definiit remanere ſpecies panis & vini.

Inst. *Quintò.* Ad explicandum Altaris Myſterium ſatis eſt ſi dicatur eſſe ſignum ſenſibile continens realitatem Corporis Chriſti: atqui ſine ullâ magnitudine verâ & reali panis poteſt eſſe in Euchariſtiâ ſignum ſenſibile, nimirùm apparentiæ eædem in ſenſibus, quæ fuerant anteà.

Resp. Dist. Maj. Satis eſt ſi dicatur eſſe ſignum ſenſibile permanens, & remanens, aſſervatum, & aſſervandum in Sacrario, & ſub quo Chriſtus exiſtat realiter in Altari, *C.* Satis eſt ſi dicatur eſſe ſignum tranſiens, nec in Altari remanens, ſed duntaxat in ſenſibus, *N.* Nam Concilium Tridentinum dicit, Corpus Chriſti eſſe ſub ſpecie panis, manentibus ſpeciebus panis.... Sacramentum Euchariſtiæ in Sacrario reſervari.... ſeparationem fieri ſpecierum in Euchariſtiâ. Quæ certè nequeunt intelligi de ſolis apparentiis, quæ ſenſibus noſtris inexiſtant.

Inst. *Sextò.* Dici poteſt Deum ſic afficere ſenſus noſtros, ut eadem quæ priùs objecta percipiamus, tametſi non ſint reipsâ: atqui tunc apparebit magnitudo panis, nec tamen erit.

Resp. Dist. Maj. Id dici poteſt abſolutè, & abſtrahendo à circumſtantiis, in quibus inſtitutum eſt à Chriſto Euchariſtiæ Sacramentum, *C.* Id dici poteſt poſitis rebus & circumſtantiis, ut ſunt, *N.* Nam

modus ille explicandi non poteſt conciliari cum iis, quæ ex Tridentino mox retulimus.

INST. *Septimò.* Quando legimus Chriſtum apparuiſſe Mariæ Magdalenæ ſub ſpecie Hortulani, vel Spiritum ſanctum deſcendiſſe in Chriſtum ſub ſpecie Columbæ, hæc non intelliguntur de realitate Hortulani, vel Columbæ, ſed de apparentiis; ergo etiam dum dicitur Chriſtum eſſe ſub ſpecie panis, id intelligi poteſt de apparentiis & non de realitatibus.

RESP. *Primò.* NEGO ANT. Quia nihil vetat hoc intelligi de verâ Hortulani ſpecie & figurâ, quam Chriſtus induiſſet.

RESP. *Secundò.* NEGO Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia apparitiones illæ Hortulani & Columbæ fuerunt ſolùm tranſitoriæ & ad breve tempus. At verò apparentiæ in Euchariſtiâ ſunt permanentes & diuturnæ, hinc ſignum eſt eſſe reales & veras.

INST. *Octavò.* Si ſpecies illæ panis & vini eſſent realia accidentia, non rectè caneret Eccleſia (*viſus, guſtus in te fallitur.*)

RESP. DIST. In Euchariſtiâ viſus & guſtus fallitur ratione conſequentium, *C.* Ratione ſui, *N.* Scilicet ſubſtantia panis ſolet eſſe conjuncta illis accidentibus viſis & guſtatis, nec tamen eſt, factâ conſecratione.

II. PROPOSITIO.

Magnitudo non diſtinguitur realiter à materiâ.

PROBATUR. Modus & modificatio materiæ eſt realiter inſeparabilis à materiâ; atqui magnitudo eſt modus & modificatio materiæ; ſicut autem figura eſt modus rei figuratæ inſeparabilis à re figuratâ; ità extenſio eſt modus rei extenſæ inſeparabilis à re extensâ ſeu materiâ. Ergo magnitudo non diſtinguitur realiter à materiâ.

OBJECTIO.

OBIECTIO.

Accidens phyſicum diſtinguitur realiter à ſuo ſubjecto: atqui magnitudo eſt accidens phyſicum materiæ.

Resp. Dist. Maj. Accidens phyſicum & abſolutum, *C.* Et modale, N. Porrò magnitudo ſeu extenſio materiæ eſt accidens modale conſiſtens in ſitu & ordine partium materiæ in ordine ad locum.

Inst. *Primò.* Accidens modale non poteſt exiſtere ſeorſim à ſubjecto: atqui magnitudo panis, v. g. exiſtit ſeorſim à materiâ in auguſtiſſimo Altaris Sacramento; ergo magnitudo materiæ non eſt accidens modale.

Resp. Dist. Maj. Atqui magnitudo panis exiſtit ſeorſim à materiâ, magnitudo accidentium panis, *C.* Magnitudo materiæ panis, N. Scilicet in Altaris myſterio ſuperſunt accidentia panis, & ſimul accidentium magnitudo, quia ſuperſunt accidentium partes extrà partes in ordine ad locum.

Inst. *Secundò.* In Altaris myſterio ſupereſt ea magnitudo panis, quæ erat in pane ante conſecrationem: atqui magnitudo quæ erat in pane ante conſecrationem, eſt ipſa magnitudo materiæ panis; ergo poſt conſecrationem ſupereſt magnitudo non ſolùm accidentium, ſed & ipſius materiæ, quæ tranſſubſtantiata eſt.

Resp. Dist. Maj. Supereſt ea magnitudo quæ erat in pane ante conſecrationem, quæ erat propria accidentium panis, *C.* Quæ erat propria materiæ panis, *N.*

Inst. *Tertiò.* Ubi panis eſt, non eſt alia magnitudo accidentium panis, & alia materiæ panis: atqui ſupereſt in Altaris myſterio magnitudo accidentium; ergo & ipſius materiæ.

Resp. Nego Maj. Quia totuplex eſſe debet magnitudo, quotuplex eſt res magna; magnitudo multiplicatur pro multiplicatione ſubjectorum; igitur alia, & alia eſt magnitudo materiæ, atque accidentium.

Inst. *Quartò.* Non eſt alia & alia magnitudo

plurium quæ ſe ſe penetrant : atqui materia panis & accidentia ſe ſe penetrant, ubicumque panis eſt; ergo non eſt alia & alia magnitudo materiæ panis atque accidentium.

Resp. Nego Maj. Nam plura quæ ſe ſe penetrant talis eſſe poſſunt conditionis, ut ſingula partes ſuas habeant extrà partes, proindéque ſingula magnitudine ſuâ donentur.

Inst. *Quintò.* Si alia & alia eſſet magnitudo plurium quæ ſe ſe penetrant plures magnitudines ſe ſe penetrarent: atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Plures magnitudines diverſi generis ſe ſe penetrarent, *C.* Plures magnitudines ejuſdem generis, *N.* Porrò non implicat magnitudinem accidentium penetrare magnitudinem materiæ in eodem corpore, quia cùm accidentia non extendantur niſi propter materiam, debent partes accidentium eſſe penetrativè intrà partes mteriæ, ut ſic finem aſſequantur ſuum.

Inst. *Sextò.* Omnis magnitudo dicit impenetrabilitatem ; ergo implicat plures magnitudines etiam diverſi generis ſe ſe penetrare.

Resp. Dist. Ant. Omnis magnitudo dicit impenetrabilitatem partium rei cujus eſt magnitudo propria, *C.* Dicit impenetrabilitatem cum aliâ magnitudine heterogeneâ, *N.* Sic magnitudo materiæ dicit mutuam partium materiæ impenetrabilitatem : at non dicit impenetrabilitatem cum magnitudine accidentium, quia partes accidentium exigunt eſſe intrà partes materiæ, proindéque eas penetrare.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUÆSTIO QUINTA.

De compoſitione Continui.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I. PROPOSITIO.

Continuum non componitur ex punctis Zenonicis.

Probatur. Continuum non componitur ex iis quæ non poſſunt facere extenſionem continuam; atqui puncta Zenonica facere non poſſunt extenſionem continuam: nam quæ neceſſariò ſe ſe penetrant dum ſe tangunt, facere non poſſunt extenſionem continuam; atqui puncta Zenonica neceſſariò ſe ſe penetrant, dum ſe tangunt. Etenim ea ſe ſe penetrant, quæ ſe tangunt ſecundùm ſe tota & totaliter; atqui puncta Zenonica, dum ſe tangunt, ſe tangunt ſecundùm ſe tota & totaliter, ſiquidem nullas ſupponuntur habere partes, nullam dimenſionem: ergo puncta Zenonica non poſſunt facere extenſionem continuam, proindéque continuum non componitur ex punctis Zenonicis.

OBIECTIO I.

Quod conſtat ex partibus inextenſis & indiviſibilibus, conſtat ex punctis Zenonicis: atqui continuum conſtat ex partibus inextenſis & indiviſibilibus.

Prob. Min. Tam continuum poteſt conſtare ex partibus inextenſis & indiviſibilibus, quàm numerus exurgere ex unitatibus, non numeris: atqui numerus exurgit ex unitatibus, quæ ſeorſim non ſunt numerus.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia plures unitates ſimul unitæ faciunt multitudinem, proindéque numerum: at verò plura

inextenſa ſimul juncta nunquam facerent extenſionem, proindéque nec continuum, ſiquidem ſe ſe penetrarent.

Inst. *Primò.* Se habent puncta ad continuum, ſicut unitates ad numerum, inquiunt Mathematici; ergo tam continuum poteſt conſtare ex punctis, quàm numerus ex unitatibus, non numeris.

Resp. Dist. Ant. Se habent puncta virtualia ad continuum, ſicut unitates ad numerum, *C.* Puncta actualia, *N.* Scilicet partes reipsâ extenſæ, ſed tamen ſpectatæ abſque extenſione, & quaſi forent vera puncta, ingrediuntur compoſitionem continui, ſicut unitates compoſitionem numeri.

Inst. *Secundò.* Ideò numerus exurgit ex non numeris, quia plures unitates ſimul junctæ faciunt multitudinem: atqui pariter plura inextenſa puncta ſimul juncta poſſunt facere extenſionem.

Prob. Min. Tam plura inextenſa puncta poſſunt facere extenſionem ſimul juncta, quàm plura entia incompleta, ut materia & forma, ſimul juncta facere ens completum, plura indiviſibilia, ut Angeli, facere unum diviſibile.

Resp. Nego parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ens completum nihil habet incompoſſibile cum incompletis duobus: at verò extenſum habet incompoſſibilitatem cum inextenſis, quia inextenſa cùm ſeſe mutuò penetrent, non poſſunt aliquid extenſum procurare.

Inst. *Tertiò* Ideò extenſum haberet incompoſſibilitatem cum partibus inextenſis, quia partes illæ inextenſæ ſe ſe penetrarent: atqui non neceſſariò ſe ſe penetrarent partes inextenſæ.

Prob. Min. Illa non neceſſariò ſe ſe penetrarent, quæ poſſunt exiſtere extrà ſe invicem in diverſis locis: atqui puncta inextenſa poſſunt exiſtere extrà ſe invicem in diverſis locis, ſiquidem mutuam non dicunt à ſe invicem dependentiam.

Resp. dist. Min. Atqui puncta inextenſa poſſunt exiſtere extrà ſe invicem, ex hypotheſi quòd ſe ſe non tangant immediatè, *C.* Ex hypotheſi quòd ſe ſe tangant, *N.* Nam ſi ſe ſe tangunt, ſe ſe tangunt ſecundùm ſe tota & totaliter, proindéque ſe ſe penetrant.

Inst. *Quartò.* Illa poſſunt ſe ſe tangere ſine pe-

netratione, quæ poſſunt ſe ſe tangere ſecundùm unam ſui faciem, & non tangere ſecundùm aliam faciem: atqui puncta inextenſa poſſunt ſe ſe tangere ſecundùm unam ſui faciem, & non ſecundùm aliam.

Resp. Nego Min. *Primò*, Quia implicat dari plures facies in puncto inextenſo, nam facies ſonat quandam amplitudinem. *Secundò*, Quia quamvis punctum inextenſum haberet diverſas facies, ſi ſemel tangat ſecundùm unam, neceſſe eſt quòd tangat ſecundùm omnes: nam facies una non eſt extrà alteram faciem; ergo ſi tangat ſecundùm hanc, tangit & ſecundùm illam.

Inst. *Quintò*. Tam poteſt punctum inextenſum tangere ſecundùm unam ſui faciem, & non ſecundùm aliam, quàm poſſit extenſum in longum, latum & profundum tangere ſecundùm unam ſui dimenſionem, v. g. latitudinem, & non tangere ſecundùm aliam, v. g. profunditatem.

Resp. Nego parit. Ratio diſparitatis eſt, quia quod extenſum eſt, habet partes ſolidas & impenetrabiles, proindéque poteſt tangere ſecundùm unam ſui dimenſionem, & non ſecundùm alteram: at verò punctum inextenſum nihil ſolidi, nihil impenetrabilis in ſe continet; ſed ſimplicitatem omnimodam abſque reſiſtentiâ, quia reſiſtentia non venit niſi ab extenſione, quæ nulla eſt in puncto inextenſo.

Inst. *Sextò*. Atqui pariter punctum inextenſum eſt maximè ſolidum & impenetrabile.

Prob. Subs. Eò ſolidius eſt aliquid, quò minùs eſt in eo locus diviſioni: atqui in puncto inextenſo nullus eſt diviſioni locus; ergo punctum inextenſum debet cenſeri maximè ſolidum.

Resp. Dist. Maj. Eò ſolidius eſt aliquid, quò minùs eſt in eo diviſioni locus, ob partium intimam compactionem ut contingit in ferro, *C.* Defectu partium dividendarum, ut fit in rebus quæ carent partibus, *N.* Porro punctum nullas habet partes.

Inst. *Septimò*. Tam ſolidum eſſe poteſt id quod caret partibus, quàm poſſit eſſe minimè ſolidum, id quod plures habet partes: atqui non ſemper eſt ſolidum & impenetrabile quod habet partes, v. g. ma-

teria & forma ſubſtantialis; ergo à pari ſolidum eſſe poteſt quod caret partibus.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia quod caret partibus, non habet quod opponat obviis corporibus: at verò quod plures habet partes, poteſt carere principio reſiſtendi, nimirùm extenſione actuali, ex quâ oritur ſoliditas atque impenetrabilitas.

OBJECTIO II.

Continuum conſtat ex iis partibus, ſine quibus non poteſt explicari contactus globi perfecti cum plano perfecto: atqui ſine punctis Zenonicis non poteſt explicari abſolutè contactus globi perfecti cum plano perfecto.

Prob. Min. Globus perfectus non poteſt tangere planum perfectum niſi in puncto; ergo ſine punctis Zenonicis explicari non poteſt hujuſmodi contactus.

Resp. Dist. Ant. Non poteſt tangere planum niſi in puncto virtuali, C. Actuali, N. Id eſt, in parte reipsâ diviſibili tangit, ſed quæ conſideratur indiviſibiliter.

Inst. *Primò.* Vel globus perfectus tangit planum perfectum in puncto actuali, vel tangit in aliquâ parte diviſibili & extensâ: atqui non tangit in parte extensâ & diviſibili.

Prob. Min. Globus perfectus non poteſt tangere planum perfectum in unâ parte, in quâ non poteſt ei adæquari: atqui globus perfectus non poteſt adæquari plano in parte extensâ & diviſibili.

Prob. Min. Partes figuræ irregularis, non poſſunt ſibi perfectè adæquari: atqui pars extenſa globi, & pars extenſa plani ſunt figuræ irregularis, una eſt globoſa, altera eſt plana; ergo globus & planum non poſſunt ſibi adæquari in parte extensâ & diviſibili.

Resp. Dist. Min. Atqui partes extenſæ globi ſunt figuræ irregularis, ſi ſpectentur materialiter & entitativè, C. Si ſpectentur formaliter, prout ſunt tangentes & tactæ, N. Nam quamvis pars quælibet globi ſit entitativè globoſa, tamen non ſpectatur ut

talis quatenùs tangit planum, quia pars diviſibilis tangit indiviſibiliter, ſeu quaſi foret indiviſibilis.

Inst. *Secundò.* Partes globi debent ſpectari quatenùs ſunt in globo: atqui quatenùs ſunt in globo, ſunt globoſæ; ergo debent ſpectari ut globoſæ.

Resp. Dist. Min. Atqui quatenùs ſunt in globo ſunt globoſæ, ſi ſpectentur materialiter, *C.* Si ſpectentur formaliter & ut ſunt tangentes, *N.* Nam ut ſic ſpectari debent quaſi totidem puncta, ſicut via, quæ longa eſt ſimul & lata, ſæpe ſpectatur ut longa & non ut lata, quamvis ſit materialiter lata.

Inst. *Tertiò.* Si globus tangeret planum in parte materialiter extensâ & diviſibili, tangeret ipſum ſecundùm ſuam ſoliditatem & profunditatem: atqui hoc implicat, alioqui ipſum penetraret.

Resp. Dist. Maj. Tangeret ipſum ſecundùm ſuam ſoliditatem & profunditatem materialiter ſumptam, *C.* Formaliter ſumptam, *N.* Id eſt, ipſum tangeret per partem, quæ reipsâ ſolida eſt & profunda, ſed non conſideratur quatenùs ſolida & profunda: ſicut via, quæ reipsâ lata eſt, conſideratur à viatore non quatenus lata eſt.

Inst. *Quartò.* Ea corpora ſe ſe tangunt ſecundùm profunditatem formaliter ſumptam, quæ ſe ſe tangunt ſecundùm dimenſionem indiſtinctam à profunditate: atqui globus & planum ſe ſe tangerent ſecundùm dimenſionem indiſtinctam à profunditate.

Resp. Dist. Maj. Quæ ſe ſe tangunt ſecundùm dimenſionem indiſtinctam formaliter à profunditate, *C.* Indiſtinctam materialiter atque entitativè, *N.* Nam alia eſt conſideratio formalis partis ut latæ, & alia partis ut profundæ.

Inst. *Quintò.* Ea corpora ſe ſe tangunt ſecundùm profunditatem formaliter ut profunditas eſt, quæ ſe ſe tangunt per mutuum in ſe invicèm ingreſſum: atqui globus & planum in illâ hypotheſi ſe ſe tangunt per mutuum in ſe ſe mutuò ingreſſum.

Prob. Min. Profundum tangens aliud profundum penetrat ipſum: atqui globus & planum ſic ſe ſe tangerent.

Resp. Dist. Maj. Profundum tangens aliud

profundum penetrat ipſum, ſi tangat profundè, C. Si tangat improfundè, N. Porro globus profundus tangeret planum profundum, ſed tangeret improfundè, ſicut via lata & profunda fatigat viatorem, non latè & profundè, ſed longè, id eſt, ut longa formaliter.

Inst. *Sextò.* Tam implicat profunda aliter ſe tangere quàm profundè, quàm implicet quæ ſenſibilia ſunt, vel viſibilia, ſentiri, vel videri aliter quàm ſenſibiliter, vel viſibiliter.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ratio viſibilitatis & ſenſibilitatis ingreditur conceptum viſionis & ſenſationis, res enim non videntur aut ſentiuntur, niſi quatenùs viſibiles vel ſenſibiles: at verò ratio profunditatis non ingreditur conceptum contactûs corporum; non enim corpora ſe ſe tangunt quia ſunt profunda, ſed quia ſunt lata, imò ſi (per impoſſibile) non eſſent profunda, adhuc ſe ſe tangere poſſent.

II. PROPOSITIO.

Continuum non componitur ex punctis phyſicis.

Probatur. Continuum non conſtat ex iis, quæ manifeſtam includunt in ideâ ſuâ contradictionem; atqui puncta phyſica manifeſtam involvunt in ideâ ſuâ contradictionem: nam puncta phyſica ſunt puncta formaliter extenſa, & tamen indiviſibilia: atqui manifeſtè repugnat dari aliquid formaliter extenſum & tamen indiviſibile; quod enim eſt formaliter extenſum, habet extrema duo & medium interjectum: atqui quod habet extrema duo & medium interjectum, eſt diviſibile; ergo puncta phyſica manifeſtam involvunt contradictionem, proindeque continuum non componitur ex punctis phyſicis.

OBJECTIO I.

Puncta phyſica ſunt extenſa formaliter & indiviſibilia: atqui continuum conſtat ex partibus formaliter extenſis & indiviſibilibus.

Prob. Min. Continuum conſtat ex iis partibus quæ ſimul junctæ poſſunt facere extenſionem continuam : atqui partes extenſæ & indiviſibiles poſſunt facere extenſionem continuam.

Resp. Dist. Maj. Quæ ſimul junctæ poſſunt facere extenſionem continuam, nec involvunt in ideâ ſuâ contradictionem, *C.* Secùs, *N.* Porro partes extenſæ indiviſibiles involvunt in ideâ ſuâ apertam contradictionem, quia forent extenſæ ſimul & non forent, ſiquidem eſſent indiviſibiles ex hypotheſi.

Inst. *Primò.* Partes extenſæ & indiviſibiles non involvunt in ideâ ſuâ contradictionem, ſi non repugnat aliquid eſſe formaliter extenſum, & tamen formaliter indiviſibile : atqui hoc non repugnat.

Prob. Min. Non magis repugnat aliquid eſſe formaliter extenſum & indiviſibile, quàm repugnet aliquid eſſe formaliter diviſibile & inextenſum : atqui non repugnat aliquid eſſe formaliter diviſibile & inextenſum ſimul, v. g. materiam expertem magnitudinis ſuæ ; ergo non repugnat aliquid eſſe formaliter ext enſum & indiviſibile.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia quod eſt inextenſum formaliter, poteſt habere plures entitatis partes in quas dividi poſſit ; ut materia : at quod eſt extenſum habet eo ipſo multitudinem extremorum interjecto medio diſtantium, proindeque diviſibile eſt abſolutè.

Inst. *Secundò.* Non repugnat id quod eſt unum, una entitas, eſſe indiviſibile : atqui aliquid extenſum poteſt eſſe unum, una entitas ; ergo poteſt eſſe indiviſibile.

Resp. Dist. Maj. Non repugnat, id quod eſt unum ſimplex, eſſe indiviſibile, *C.* Id quod eſt unum compoſitum, *N.* Porro quidquid extenſum eſt formaliter, compoſitum eſt, quia habet extrema duo diſtantia, & medium interjectum.

Inst. *Tertiò.* Non repugnat id eſſe indiviſibile, quod eſt unum, una entitas excludens à ſe multitudinem partium : atqui extenſum Epicureum eſt unum unitate excludente multitudinem partium ; ergo eſt unum unitate ſimplici.

Resp. Dist. Min. Atqui extenſum Epicu-

reum eſt unum unitate excludente multitudinem partium, atque in hoc involvit apertam contradictionem, *C.* Secùs, *N.*

Inst. *Quartò.* Atqui partes continui debent eſſe formaliter extenſæ, & tamen excludere à ſe multitudinem partium.

Prob. Subs. Partes continui debent habere duas conditiones; primò, ut poſſint facere magnitudinem; ſecundò, ut poſſint eſſe terminus creationis: atqui non haberent primam, niſi eſſent extenſæ, nec ſecundam, ſi non excluderent à ſe multitudinem partium.

Prob. min. *Quoad ſecundam partem.* Illud non eſt terminus creationis, quod fit ex aliquo præſuppoſito: atqui partes continui fierent ex aliquo præſuppoſito, niſi excluderent à ſe multitudinem partium.

Resp. Dist. maj. Quod fit ex aliquo præſuppoſito per eductionem, *C.* Per compoſitionem, *N.* Porro partes extenſæ fiunt ex præſuppoſitis aliis partibus ſuis minoribus per compoſitionem, non autem per eductionem, quia non educuntur ex ſuis partibus, ſicut educitur forma ſubſtantialis ex materiâ.

Inst. *Quintò.* Non magis dici poteſt continuum à Deo creari, ſi fiat ex partibus præſuppoſitis per compoſitionem, quàm domus dici poſſit creari ab Architecto, cùm fit ex præjacentibus partibus ſuis per compoſitionem.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia Architectus ipſas non producit partes domûs, ſed aliunde productas colligit: at verò Deus non ſolùm colligit continui partes, ſed etiam omnes ſimul & ſemel ex nihilo extrahit.

Inst. *Sextò.* Fieri poteſt ut Deus partes continui anteà diſſeminatas colligeret; ergo continuum non poſſet dici creatum.

Resp. Dist. Conſeq. Non poſſet dici creatum præcisè ratione modi colligendi partes, *C.* Ratione totius entitatis, *N.* Nam tota ſubſtantia eſſet creata à Deo.

OBIECTIO II.

Continuum componitur ex iis partibus, quæ requiruntur neceſſariò ad faciendam extenſionem continuam: atqui puncta phyſica neceſſariò requiruntur ad faciendam extenſionem continuam.

Prob. Min. Ad faciendam extenſionem continuam requiruntur neceſſariò primæ partes extenſæ, prima componentia extenſa: atqui primæ partes extenſæ ſunt puncta phyſica, quia debent eſſe indiviſibiles.

Resp. Dist. Maj. Requiruntur primæ partes extenſæ, primæ ſecundùm quid & comparatè ad totum continuum, C. Primæ ſimpliciter & abſolutè, N. Quia in diviſione continui nunquam deveniri poteſt ad primam ſimpliciter partem, quæ non valeat ulteriùs dividi in duas minores partes & ſimpliciores.

Inst. *Primò.* Ad faciendam extenſionem continuam requiruntur primæ ſimpliciter & abſolutè partes, vel datur progreſſus in infinitum in partibus continui: atqui implicat progreſſus in infinitum in compoſito.

Resp. dist. Min. Atqui implicat progreſſus in infinitum in compoſito eſſentiali atque heterogeneo, C. In compoſito integrali & homogeneo, N. Ratio diſparitatis eſt, quia compoſitum eſſentiale non debet conſtare ex partibus ejuſdem ſecum rationis & naturæ: at verò compoſitum homogeneum conſtat ex partibus ejuſdem ſecum naturæ & rationis: ſicut ergo continuum eſt diviſibile, ita pars quælibet continui eſt extenſa & diviſibilis.

Inst. *Secundò.* Implicat quodlibet continuum eſſe infinitum actu: atqui eſſet infinitum actu, niſi primæ darentur in eo partes ſimpliciter & abſolutè.

Prob. Min. Illud eſt infinitum actu, ex quo educi poſſunt infinitæ partes: atqui ex quolibet continuo educi poſſunt partes infinitæ, ſi non dentur primæ in eo ſimpliciter partes.

Resp. Dist. Maj. Ex quo educi poſſunt infinitæ partes, poſſunt potentiâ conſummabili & categorematicâ, C. Poſſunt potentiâ inconſummabili & ſyncategorematicâ, N. Porro potentia continui in

perpetuum dividendi eſt inconſummabilis, ita ut implicet eam eſſe totaliter redactam ad actum, alioqui ventum eſſet ad punctum aliquod vel Zenonicum, vel phyſicum, utrumque autem implicat.

Inst. *Tertiò*. Illud eſt infinitum actu & categorematicè, in quo tot actu reperiuntur partes, ut nulla ſit actu prima, nulla ultima: atqui in quolibet continuo tot erunt actu partes, ut nulla fuerit actu prima & ultima; ergo continuum eſt infinitum actu.

Resp. *In opinione exiſtimantium partes continui non eſſe diſtinctas ante diviſionem.*

Dist. maj. In quo tot actu reperiuntur partes, ut nulla ſit actu ultima, ſi partes illæ ſint actu diſtinctæ ante diviſionem, *C.* Secùs, *N.* Porro continui partes non ſunt actu diſtinctæ ante diviſionem, proindeque non faciunt numerum actu infinitum.

Inst. *Quartò*. Illæ partes ſunt actu diſtinctæ, quarum una eſt realiter extra alteram: atqui una pars continui eſt realiter extra alteram ante diviſionem, v. g. pars Orientalis eſt realiter extra Occidentalem.

Resp. Dist. Maj. Quarum una eſt realiter extra alteram, per actualem unius ab alterâ ſeparationem vel diſtinctionem, *C.* Per actualem continuitatem, N. Porrò pars Orientalis eſt quidem extra Occidentalem per continuitatem totius, non verò per actualem ſeparationem vel diſtinctionem.

Inst. *Quintò*. Illæ partes ſunt extra ſe ſe invicem per actualem unius ab alterâ diſtinctionem, quæ ſingulæ habent ſuas differentias numericas diſtinctas: atqui ſingulæ partes continui habent ſuas differentias numericas diſtinctas ante diviſionem.

Resp. Dist. min. Singulæ partes continui habent differentias numericas poteſtate diſtinctas, *C.* Actu diſtinctas, N. Sicut enim ante diviſionem ſunt ſeparabiles, ita ſunt diſtinguibiles, & factâ ſeparatione, actu ſunt diſtinctæ.

Inst. *Sextò*. Vel ſingulæ partes continui habent differentias numericas actu diſtinctas ante diviſionem, vel dicendum eſt quòd eas acquirant vi diviſionis: atqui eas non acquirunt vi diviſionis, quia poſt diſionem nihil habent, quod prius non habeant.

Resp. dist. min. Atqui ſingulæ partes non acquirunt

acquirunt ſuas differentias numericas vi diviſionis, eas non acquirunt quoad entitatem & rem, *C.* Quoad diſtinctionem & numerum, *N.* Nam ſicut per diviſionem fiunt actu ſeparatæ, cùm anteà eſſent diviſibiles; ita vi diviſionis fiunt partes actu diſtinctæ, cùm anteà eſſent ſolummodò diſtinguibiles.

INST. *Septimò.* Partes quæ ſunt ante ſeparationem diviſibiles, ſunt ante ſeparationem diſtinctæ quoad entitatem: atqui partes continui eſſent ante ſeparationem diviſibiles.

RESP. DIST. MAJ. Quæ ſunt diviſibiles ſunt diſtinctæ poteſtate, *C.* Actu, *N.*

INST. *Octavò.* Separabilitas realis eſt argumentum diſtinctionis realis.

RESP. DIST. Eſt argumentum diſtinctionis realis potentialis, *C.* Actualis, SUBDISTINGUO, In rebus heterogeneis, *C.* Homogeneis, *N.* Ratio diſparitatis eſt, quia partes totius homogenei ſunt ejuſdem naturæ cum toto; proindeque neceſſe non eſt, quod diſtinguantur actualiter à ſe invicem: èontra verò partes totius heterogenei ſunt diverſæ naturæ à toto, ut corpus & anima ab homine.

RESP. *Secundò. In opinione exiſtimantium partes continui eſſe diſtinctas ante diviſionem.*

DIST. SUPERIOREM MAJ. Illud eſt infinitum actu, in quo reperiuntur tot actu partes, ut nulla ſit prima & ultima in eâdem diviſione, *C.* In diverſis diviſionibus, *N.* Sic in diviſione quantitatis ſextupedalis in pedes datur primus & ultimus pes; in ſemipedes, datur primus & ultimus ſemipes; & ſic deinceps.

INSTABIS. Si datur in diviſione continui prima & ultima pars, vel illa ultima pars eſſet diviſibilis vel indiviſibilis. Si diviſibilis eſt; ergo non eſt ultima. Si indiviſibilis; ergo eſt punctum Zenonicum, vel phyſicum.

RESP. Partem illam eſſe diviſibilem aliâ diviſione, ſed non eâdem diviſione; ſic, v. g. ſi diviſio totius facta eſt in pedes, quilibet pes eſt iterum diviſibilis non in pedes, ſed in ſemipedes.

RESP. *Tertiò. In opinione exiſtimantium numerum infinitum actu eſſe poſſibilem.*

DIST. SUPERIOR. MAJ. SECUNDÆ INST. Implicat quodlibet continuum eſſe infinitum actu in magnitudine, *C.* In multitudine partium propor-

tionalium ſemperque minorum, N

Inst. Si quodlibet continuum eſſet infinitum actu in multitudine, eſſent in continuo quolibet perfectiones actu infinitæ, falſum conſeq.

Resp. dist. Maj. Eſſent infinitæ homogeneæ, C. Heterogeneæ, N. Neque tamen continuum idcirco eſſet infinitè perfectum, quia ſicut infinitus muſcarum numerus nihil perfectius diceret quàm una, vel altera muſca: ita dicendum de infinitis continui partibus.

Inst. Sequeretur inde omnia continua eſſe perfectè æqualia: ſiquidem unum infinitum non eſt altero infinito majus aut minus.

Resp. dist. Sequeretur inde omnia continua eſſe æqualia in multitudine partium proportionalium, C. In magnitudine ſingularum partium aliquotarum, N. Nam partes unius continui majoris ſunt majores partibus alterius continui minoris.

III. PROPOSITIO.

Continuum componitur ex partibus in infinitum diviſibilibus.

Probatur. Quod conſtat ex partibus ſemper extenſis ſemper continuis, conſtat ex partibus ſemper diviſibilibus: atqui continuum conſtat partibus ſemper extenſis ſemper continuis; vel enim conſtat partibus ſemper extenſis, vel conſtat partibus tandem inextenſis; atqui continuum non conſtat partibus tandem inextenſis, quia non conſtat pûnctis Zenonicis; ergo componitur ex partibus ſemper extenſis, proindeque in infinitum diviſibilibus.

OBJECTIO.

Quod eſt in infinitum diviſibile, infinitis conſtat partibus: atqui continuum infinitis non conſtat partibus, alioqui eſſet infinitum.

Resp. Dist. Maj. Infinitis conſtat partibus proportionalibus & indeterminatæ magnitudinis, C. Aliquotis certis & determinatis, N. Porro in conti-

nuo ſunt partes infinitæ proportionales ſemperque decreſcentes : ſic linea bipedalis conſtat ex pede, ſemipede, quadrante, ſemiquadrante, quadrante quadrantis & ſic deinceps : ita tamen ut infinitæ partes illæ non ſuperent quantitatem bipedalem.

Inst. *Primò*. Si continuum conſtaret ex partibus infinitis proportionalibus, conſtaret ex minoribus & minoribus in infinitum : atqui non conſtat ex minoribus & minoribus in infinitum.

Prob. Min. Si continuum conſtaret ex minoribus & minoribus in infinitum, conſtaret etiam ex majoribus & majoribus in infinitum : nam quæ ſunt minora & minora deſcendendo, ſunt majora & majora aſcendendo.

Resp. Nego maj. Vel Dist. maj. Conſtaret etiam ex majoribus & majoribus in infinitum, ſi poſſet aſſignari prima pars proportionalis inter aſcendendum, *C.* Si non poſſit aſſignari prima pars proportionalis, *N.* Porro nulla eſt pars prima proportionalis in continuo à qua duci poſſit initium, ut aſcenſus fiat ad majores in infinitum.

Inst. *Secundò*. In compoſito finito poteſt aſſignari prima pars & ultima ſimpliciter pars : atqui continuum eſt compoſitum finitum ; ergo poteſt in continuo aſſignari prima & ultima pars.

Resp. dist. maj. In compoſito finito tam ſecundùm partes proportionales, quàm ſecundùm aliquotas, *C.* Secundùm aliquotas tantùm, *N.* Porro continuum eſt quidem finitum ſecundùm partes aliquotas, & determinatæ magnitudinis : at non ſecundùm partes proportionales : quia quamvis in quantitate bipedali certus ſit numerus pedum vel ſemipedum ; non eſt tamen certus pedis, ſemipedis, quadrantis, ſemiquadrantis, & ſic deinceps, numerus.

Inst. *Tertiò*. Partes proportionales & aliquotæ identificantur : atqui continuum non eſt infinitum ſecundùm partes aliquotas ; ergo nec ſecundùm proportionales.

Resp. Dist. Maj. Identificantur realiter, actualiter, *C.* Formaliter & quoad modum conſiderationis, *N.* Nam una pars aliquota eſt diviſibilis in infinitas proportionales ſemper minores & minores.

INST. *Quartò.* Illud non eſt diviſibile in infinitum in partes proportionales, cujus omnes diviſiones poſſunt abſolvi : atqui omnes continui diviſiones poſſunt abſolvi.

PROB. MIN. Tunc omnes diviſiones continui poſſunt abſolvi, quando continuum poteſt dividi in tot partes, in quot diviſibile eſt : atqui continuum dividi poteſt in tot partes, in quot diviſibile eſt.

RESP. DIST. MIN. Atqui continuum dividi poteſt in tot partes in quot diviſibile eſt : ita ut ſemper & ſemper reſtet aliquid dividendum, *C.* Ita ut nihil amplius reſtet dividendum, *N.*

INST. *Quintò.* Ut continui pars nulla dividenda reſtet, ſatis eſt, ſi omnes continui tollantur uniones : atqui poſſunt abſolutè tolli omnes continui uniones ; ſiquidem ſunt omnes corruptibiles ; ergo continuum poteſt dividi, ita ut nulla reſtet pars dividenda.

RESP. DIST. MAJ. Satis eſt ſi omnes continui tollantur uniones collectivè ſumptæ, *C.* Diſtributivè ſumptæ, *N.* Porro implicat tolli omnes continui uniones collectivè ſumptas, quia iis ſublatis ventum eſſet ad puncta, quod abſurdum eſt.

INST. *Sextò.* Quæ uniones poſſunt ſimul & ſemel à Deo annihilari, poſſunt collectivè tolli : atqui omnes uniones continui poſſunt ſimul & ſemel à Deo annihilari per ſubſtractionem conſervationis.

RESP. DIST. MIN. Atqui omnes continui uniones collectivè poſſunt ſimul & ſemel annihilari, ita ut nihil de continuo remaneat poſt annihilationem, *C.* Ita ut aliquid de continuo remaneat, *N.* Nam ſublatis illis unionibus collectivè ſumptis, quod remaneret vel eſſet extenſum, vel non ; ſi ſit extenſum ; ergo eſt diviſibile iterùm ; ſi non ſit extenſum ; ergo erit punctum, quod impoſſibile eſt.

INST. *Septimò.* Sublatis unionibus continui omnibus, adhuc remanerent quæ uniebantur per illas uniones ; ergo remaneret aliquid de continuo.

RESP. NEGO ANT. Quia, cùm, quæ uniebantur, eſſent extenſa, indigebant unione ut in eſſe ſuo perſeverarent : ſi ergo omnis tollatur unio ; ergo non remanebunt, quæ anteà uniebantur.

INST. *Octavò.* Uniones illæ omnes tollerentur per diviſionem : atqui diviſio relinquit res diviſas,

ergo ſublatis unionibus continui omnibus, adhuc remanerent quæ uniebantur anteà.

Resp. Dist. Min. Atqui diviſio relinquit res diviſas, ſi non tollat quod neceſſarium eſt ad conſervationem earum, *C.* Secùs, *N.* At unio aliqua neceſſaria eſt ad conſervationem partium continui, quæ concipi nequeunt ſine extenſione, proindeque nec ſine unione.

IV. PROPOSITIO.

Continuum componitur ex punctis phyſicis.

Probatur. Quod conſtat partibus extenſis & tamen indiviſibilibus, conſtat ex punctis phyſicis: atqui continuum conſtat partibus extenſis, & tamen indiviſibilibus; nam continuum conſtat ex partibus quæ tales ſunt, ut ex iis conſtituatur aliquid extenſum & tamen finitum: atqui ad hoc neceſſe eſt ut partes illæ ſint extenſæ & tamen indiviſibiles: nam ſi non eſſent extenſæ, non poſſent aliquid extenſum facere, ſi non eſſent indiviſibiles, eſſent infinitæ partes, & ſic continuum facerent infinitum; ergo continuum conſtat ex punctis phyſicis.

OBJECTIO.

Quod conſtat ex minoribus, & minoribus in infinitum continuis, conſtat ex ſemper diviſibilibus: atqui continuum conſtat ex minoribus & minoribus in infinitum continuis.

Prob. Min. Id cujus nulla pars eſt indiviſibilis, conſtat ex minoribus & minoribus in infinitum continuis: atqui nulla pars continui eſt indiviſibilis.

Prob. Min. Omne extenſum eſt diviſibile: atqui omnis pars continui eſt extenſa formaliter; ergo eſt diviſibilis.

Resp. Dist. Maj. Omne extenſum extenſione compoſitâ eſt diviſibile, *C.* Extenſione ſimplici, *N.* At continui partes ſunt extenſæ extenſione ſimplici, per modum principiorum primò componentium,

Inst. *Primò*. Quidquid eſt extenſum habet duas medietates, & medium interjectum: ſed quidquid habet duas medietates, & medium interjectum eſt diviſibile; ergo quidquid eſt extenſum eſt diviſibile præciſè quatenùs extenſum eſt.

Resp Dist. Min. Atqui quidquid habet duas medietates, eſt diviſibile virtualiter, mathematicè & per mentem, C. Eſt diviſibile actualiter, phyſicè, & realiter, N. Cùm enim ſit actu, & phyſicè ſimplex, eſt actu & phyſicè indiviſibile.

Inst. *Secundò*. Quod realiter & phyſicè habet duas medietates, & medium interjectum, realiter & phyſicè eſt diviſibile: atqui omne extenſum habet realiter & phyſicè duas medietates, cogitemus, vel non.

Resp. dist. Maj. Quod realiter & phyſicè habet duas medietates per modum alicujus compoſiti, C. Per modum principii ſimplicis primò componentis, N.

Inst. *Tertiò*. Illud eſt realiter & phyſicè compoſitum, in quo aſſignari poteſt pars major, pars minor: atqui in eo omni quod eſt extenſum quâcunque extenſione formali, poteſt aſſignari pars major, pars minor: ergo eſt phyſicè compoſitum.

Resp. Dist. Maj. In quo aſſignari poteſt pars major, pars minor phyſica, actualis & realis, C. Pars major & minor logica, virtualis, & mathematica, N. At in partibus continui eſt majus & minus logicè, virtualiter; non phyſicè, & realiter actualiter.

Inst. *Quartò*. Ibi ſunt pars major, pars minor actuales & phyſicæ; ubi eſt pars quæ phyſicè tangitur, alia non tactâ phyſicè: atqui in omni quod eſt extenſum formaliter, eſt pars una quæ phyſicè tangitur, dum alia non tangitur phyſicè & actualiter; nempe una extremitas ſine alterâ.

Resp. nego Min. Quia non ſunt plures actu partes in entitate ſimplici. At punctum phyſicum formaliter extenſum ſupponitur eſſe una ſimplex entitas.

Inst. *Quintò*. Niſi pars extenſi formaliter tangeretur, aliâ phyſicè non tactâ, partes continui ſe ſe tangerent ſecundùm ſe totas, ſicque ſe ſe penetrarent. Falſum conſequens.

Resp. Dist. Maj. Partes continui ſe tangerent ſecundùm ſe totas actualiter & phyſicè, C. Virtualiter & mathematicè, N. Nam alia & alia eſt virtualiter extremitas in puncto phyſico.

Inst. *Sextò.* Atqui in omni extenſo quâtunque extenſione formali, ſunt partes aliæ & aliæ actualiter & phyſicè.

Prob. Subs. Ibi ſunt partes actualiter & phyſicè aliæ & aliæ, ubi ſunt extremitates actualiter extrà ſe invicem actualiter diſtantes actuali interjecto medio: atqui hæc omnia reperire eſt in omni extenſo quâlibet extenſione formali.

Resp. Dist. Maj. Ubi ſunt actualiter extrà ſe invicem, actualiter diſtantes, in entitate compoſitâ & diviſibili, C. In entitate ſimplici & indiviſibili, N.

Inst. *Septimò.* Linea omnis eſt diviſibilis in duas partes æquales, (ex demonſtratione Euclidis:) Atqui quidquid eſt extenſum extenſione formali poteſt habere rationem lineæ; ergo poteſt eſſe diviſibile.

Resp. Dist. Maj. Linea omnis eſt diviſibilis mathematicè, & per mentem, C. Phyſicè & realiter, N. Præſertim ſi ſit entitas ſimplex, ut atomus phyſica.

QUÆSTIO SEXTA.

De Vacuo.

I. PROPOSITIO.

Vacuum etiam ingens eſt abſolutè poſſibile.

PROBATUR. Vacui nomine intelligitur ſpatium omni prorsùs corpore deſtitutum; atqui poſſibile eſt ſpatium etiam ingens omni prorſus corpore deſtitutum. Nam ſi Deus deſtrueret corpora quæcumque modò ſunt Cælum inter & Terram, Cælo interìm Terrâque manentibus, ut nunc ſunt, certè daretur ſpatium ingens omni prorſus corpore deſtitutum: atqui poteſt abſolutè Deus deſtruere corpora quæcumque modò ſunt Cælum inter & Terram, Cælo Terrâque manentibus, ut nunc ſunt; ſiquidem liberè conſervantur à Deo. Ergo poſſibile eſt ſpatium omni prorſus corpore deſtitutum, proindéque vacuum etiam ingens.

OBIECTIO.

VAcuum ingens eſt ingens aliquod ſpatium ſine corpore: atqui abſolutè impoſſibile eſt ſpatium omni generatim corpore deſtitutum.

PROB. MIN. Si ſpatium omne ſit corpus, certè impoſſibile eſt ſpatium ſine corpore: atqui ſpatium omne corpus eſt; ergo impoſſibile eſt ſpatium omni generatim corpore deſtitutum.

PROB. MIN. Omne quod eſt extenſum in longum, latum & profundum, corpus eſt: atqui ſpatium omne eſt extenſum in longum, latum & profundum; ergo ſpatium omne corpus eſt.

RESP. DIST. MAJ. Quod eſt extenſum ſolidè & impenetrabiliter, C. Penetrabiliter, N. Porro ſpatium eſt extenſum, ſed penetrabiliter, & abſque ullâ ſoliditate, cùm ipſa ſit divina immenſitas, in quâ *vivimus, movemur & ſumus.*

Inst. *Primò*. Quidquid habet partes extrà partes, nec ſe ſe penetrantes, certè eſt extenſum impenetrabiliter & ſolidè: atqui ſpatium omne habet partes extrà partes nec ſe ſe penetrantes; ergo ſpatium omne eſt extenſum ſolidè & impenetrabiliter.

Resp. Dist. Maj. Quidquid habet partes actuales & formales extra partes actuales, *C.* Partes virtuales extra partes virtuales, *N.*

Inst. *Secundò*. Partes ſolidæ & reſiſtentes ſunt partes actuales & formales: atqui ſpatium omne habet partes ſolidas & reſiſtentes.

Prob. Min. Partes quarum una tangit alteram abſque mutuâ penetratione, ſunt ſolidæ & reſiſtentes: atqui ſpatium omne habet partes quarum una tangit alteram abſque penetratione; alioqui ceſſaret eſſe ſpatium.

Resp. *Primò*. Dist. Maj. Quarum una tangit alteram contactu mathematico ſeu quantitativo, *C.* Contactu phyſico ſeu virtuali. *N.*

Resp. *Secundò*. Dist. Min. Atqui ſpatium habet partes quarum una tangit alteram abſque penetratione ſui invicem, *C.* Abſque penetratione occurrentium corporum, *N.* Licèt enim partes virtuales divinæ immenſitatis non ſe ſe penetrent, penetrant tamen occurrentia corpora, in quo differunt à partibus actualibus & quantitativis.

Inst. *Tertiò*. Partes quarum una non eſt altera ante omnem mentis operationem, ſuntque extra ſe invicem in ordine ad locum, ſunt partes ſolidæ, quantitativæ, & actuales: atqui partes cujuſlibet ſpatii ſunt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Quarum una non eſt altera in ſenſu reali, actuali, identico, *C.* In ſenſu virtuali, *N.* Porro partes immenſitatis divinæ ſunt eadem & ſimplex actualiter entitas, virtualiter compoſita & multiplex, nec enim concipi poteſt Dei immenſitas abſque eo quod ſit longè latéque diffuſa non per partes actuales, ſed per virtuales & æquivalentes.

Inst. *Quartò*. Partes à ſe mutuò realiter ſeparabiles, ſunt diſtinctæ realiter & actualiter: atqui partes ſpatii cujuſlibet ſunt à ſe mutuò ſeparabiles realiter.

Prob. Min. Quæ exiſtunt in diſtinctis & ſeparatis locis ſunt ſeparabilia realiter: atqui partes cujuſlibet ſpatii exiſtunt ſimul in diſtinctis & ſeparatis locis.

Resp. Dist. Maj. Quæ exiſtunt in diſtinctis & ſeparatis locis, exiſtunt per diverſas realiter entitates, C. Per eandem entitatem, eamque realiter ſimplicem & indiviſibilem, N. Porro ſpatium ſeu immenſitas divina eſt una quædam realiter ſimplex & indiviſibilis entitas, infinitè tamen undequáque protenſa.

Inst. *Quintò.* Niſi partes ſpatii eſſent actuales & à ſe mutuò realiter ſeparabiles, corpora omnia exiſterent in indiviſibili, in puncto: atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Corpora omnia exiſterent in indiviſibili in partes reales actuales ſolidas & impenetrabiles, C. In indiviſibili in partes virtuales, N. Hoc autem poſterius non implicat.

Inst. *Sextò.* Atqui ſpatium omne eſt diviſibile in partes actuales & ſolidas.

Prob. Subs. Spatium omne debet eſſe diviſibile in partes quæ poſſint facere diſtantiam inter corpora extrema: atqui ſolæ partes actuales & ſolidæ poſſunt facere diſtantiam veram inter extrema corpora.

Prob. min. Quod ponit diſtantiam inter extrema corpora, hujuſmodi debet eſſe, ut de illo quæri poſſit quantùm ſit: atqui de ſolis partibus actualibus & ſolidis id quæri poteſt, quia ſolæ ſunt quantitativæ.

Resp. Dist. Maj. Ut de illo quæri poſſit quantùm ſit penetrabiliter, C. Impenetrabiliter, N. Nam corpora locata penetrantur à ſpatio in quo ſunt.

II. PROPOSITIO.

Datur Vacuum diſſeminatum intrà partes univerſi.

Probatur. Inter ea corpora datur vacuum aliquod ſaltem diſſeminatum, quæ non poſſunt ſibi invicem tam aptè applicari, quin vacui quidpiam intercipiatur; atqui partes hujus univerſi non poſſunt tam aptè ſibi invicem applicari, quin vacui quidpiam intercipiatur: nam partes quæ ſunt figuræ irregularis, & in perpetuo motu poſitæ non poſſunt phyſicè loquendo tam aptè applicari ſibi invicem, quin vacui quidpiam intercipiatur; atqui partes hujus univerſi ſunt figuræ irregularis, & in perpetuo motu poſitæ; Ergo prodigii loco foret ſi tam aptè applicarentur ſibi invicem, ut nihil quidquam interciperetur vacui, proindéque datur vacuum ſaltem diſſeminatum intrà partes univerſi.

OBIECTIO.

Non datur vacuum illud quod non ſolùm inutile eſt, ſed etiam foret naturæ valdè noxium; atqui vacuum diſſeminatum eſſet inutile & noxium naturæ.

Prob. Min. Illud eſſet naturæ valdè noxium quod impediret conſtantem partium naturæ unionem inter ſe; atqui vacuum diſſeminatum impediret unionem partium naturæ, ſiquidem eas diſſociaret interſtitiis.

Resp. dist. maj. Quod impediret unionem partium naturæ ultrà modum, ſimpliciter & ex omni parte, *C.* Secundùm quid tantùm, & ex aliquâ parte minùs notabili, *N.* Sic in corpore naturali partes ità ſunt unitæ, ut tamen poris quibuſdam intercidantur.

Inst. *Primò.* Atqui partes univerſi conſtantem habent unionem inter ſe ſimpliciter & ex omni parte.

Prob. Subs. Ea conſtantem habent unionem

ſimpliciter, quorum alia aliis tam immediatè applicantur, ut nulla relinquant interſtitia, aut ſi relinquant, ea repleantur materiâ ſubtili: atqui partes naturæ ſic aliæ aliis applicantur ut vel nulla relinquant interſtitia, vel ſi quâ parte relinquant, ea repleantur materiâ ſubtili.

Resp. Dist. Min. Vel ſi quâ parte relinquant ea repleantur materiâ ſubtili, & ipſa materia ſubtilis ſuos habet poros, C. Nec ipſa habet poros ſuos, N. Si enim materia ſubtilis habeat poros, illi debent eſſe vacui, quia non datur ſubtilior & ſubtilior in infinitum materia.

Inst. *Secundò*. Materia quæ nullius eſt figuræ tenax, & ſe ſe indifferenter accommodat in omnem ſenſum, nullos debet habere poros vacuos; nam pori veniunt ab irregularitate partium figuratarum: atqui materia ſubtiliſſima nullius eſt figuræ tenax; ergo nullos in ſe admittit poros vacuos.

Resp. Dist. Min. Atqui materia ſubtiliſſima nullius eſt figuræ tenax ſecundùm partes ſuas majuſculas, C. Secundùm partes ſuas tenuiores, minuſque notabiles, N. Sicut enim aqua nullius eſt figuræ tenax ſecundùm partes ſenſibiles, eſt verò ſecundùm partes inſenſibiles & exiguas, ideoque non permeat omnia indiſcriminatim corpora: ita & materia ſubtiliſſima.

Inst. *Tertiò*. Corpus fluidiſſimum ſecundùm partes tenuiores & minutiſſimas nullius eſt figuræ tenax ſecundùm partes tenuiores & minutiſſimas: atqui materia ſubtiliſſima eſt fluidiſſima ſecundùm partes ſuas tenuiores & minutiſſimas.

Prob. Min. Corpus homogeneum & fluidiſſimum ſecundùm ſe totum, eſt quoque fluidiſſimum ſecundùm partes minutiſſimas & tenuiores: atqui materia ſubtiliſſima eſt corpus quoddam homogeneum & aliunde fluidum ſecundùm ſe totum.

Resp. Dist. Maj. Corpus homogeneum ſecundùm primas ſui partes, C. Secundùm partes ſolummodò majores, N. Porro materia ſubtiliſſima eſt quidem corpus homogeneum ſecundùm partes majuſculas, at non ſecundùm partes minutiſſimas: ſicut caro eſt homogenea ſecundùm partes ſenſibiles & majores, & non ſecundùm minutiſſimas, quia dividitur in elementa quatuor, ex quibus conſtat.

Inst.

Inst. *Quartò.* Omnes partes tenuiores materiæ ſubtiliſſimæ ſunt ſimiles & homogeneæ; ergo materia ſubtiliſſima eſt corpus homogeneum ſecundùm partes ſuas primas & minutiſſimas.

Resp. Dist. Ant. Omnes partes materiæ ſubtiliſſimæ ſunt ſimiles & homogeneæ, ſecum invicem, *Tranſeat*, Homogeneæ cum toto, *N.* Quia ſingulæ poſſunt eſſe ſeorſim ſolidæ, totum verò fluidum.

Inst. *Quintò* Non magis totum fluidum poteſt fieri ex partibus ſeorſim non fluidis, quàm totum extenſum ex partibus ſeorſim inextenſis.

Resp. Nego paritat. Ratio diſp. eſt, quia non rectè concipitur quomodo inextenſa poſſint facere extenſum, quandoquidem ſe ſe penetrent n ceſſe eſt: at rectè concipitur quomodo plura minutiſſima & ſolida ſimul agitata poſſint exhibere nobis totum fluidum: ſiquidem fluiditas conſiſtit in motu perniciſſimo partium exiguarum.

III. PROPOSITIO.

Non datur vacuum etiam exiguum intrà partes univerſi.

Probatur. Nullum datur vacuum etiam exiguum intrà partes univerſi, ſi quæcumque ſunt intrà partes univerſi interſtitia, repleantur accuratè materiâ ſubtili; atqui quæcumque ſunt intrà partes hujus univerſi interſtitia, replentur accuratè materiâ ſubtili, quæ cùm nullius ſit figuræ tenax poteſt indifferenter ſe ſe acommodare in omnem ſenſum: ergo nihil neceſſe eſt agnoſcere vacuum etiam exiguum intrà partes univerſi.

OBJECTIO.

Datur in rerum naturâ id ſine quo motus localis, condenſatio & rarefactio corporum explicari non poſſunt: atqui ſine vacuo diſſeminato hæc explicari nequeunt.

Prob. Min. *De motu locali.* Corpus moveri non poteſt localiter niſi ſit locus in quem ſe recipiat:

atqui niſi detur vacuum ſaltem diſſeminatum, non poteſt eſſe locus in quem ſe ſe recipiat corpus mobile.

Resp. Nego utramque Min. Alioqui requireretur vacuum ingens, quia debet eſſe locus ingens in quem ſe ſe recipiat corpus mobile : igitur corpus quod incipit moveri, pellit vicinum è ſuo loco, vicinum pulſum pellit aliud, quoadúſque facta fuerit circulatio perfecta corporum.

Inst. *Primò.* Corpus mobile vel ſe ſe recipit in locum plenum vel in vacuum : atqui non ſe ſe recipit in plenum, alioqui daretur penetratio ; ergo ſe ſe recipit in vacuum.

Resp. Dist. Min. Atqui mobile non ſe ſe recipit in plenum quatenus plenum priori corpore, *C.* in plenum qui mox erat plenus priori corpore & incipit repleri novo, recedente veteri, *N.* Sic dum rota movetur circa ſuum axem pars ſuperior ſe ſe recipit in locum inferioris, neque tamen ibi eſt ulla vacui ſuſpicio.

Inst. *Secundò.* Priùs eſt corpus vicinum ſuo cedere loco, quàm mobile ejus ſubire locum relictum ; ergo locus priùs eſt vacuus quàm plenus.

Resp. Dist. Maj. Priùs eſt corpus vicinum ſuo cedere loco, prius prioritate naturæ, *C.* Temporis, *N.* Sicut enim in eodem inſtanti feneſtra aperitur & ingreditur ventus, ita in eodem inſtanti mobile pellit & vicinum corpus cedit, & locus replezur novo corpore.

Inst. *Tertiò.* Mobile non poteſt ſubire locum à vicino corpore relictum niſi per motum localem accedat ad illum locum : atqui ad motum localem requiritur prioritas temporis & poſterioritas, & non ſolùm naturæ.

Resp. dist. min. Atqui ad motum localem requiritur prioritas temporis, id eſt, ſucceſſio quædam actualis & temporanea in motu, *C.* Requiritur prioritas temporis, id eſt, primò vacuitas, deinde plenitudo, *N.* vel Subdistinguo, ſi corpora non ſint contigua, *C.* Si ſint contigua, *N.* Porro omnia corpora ſupponuntur contigua, eo ferè modò quo partes rotæ.

Inst. *Quartò.* Corpora figuræ irregularis non

poſſunt ſic aptari niſi relinquant aliqua inter ſe vacuola: atqui mobile corpus & huic vicinum ſunt figuræ irregularis.

Resp. Dist. Maj. Si præſto non ſit materia ſubtilis replendis omnibus vacuolis, C. Si ſit præſto materia ſubtilis, N. Porro materia ſubtilis replet omnia interſtitia inter duo corpora figuræ irregularis.

Inst *Quintò*. Saltem illa materia ſubtilis ſuos habet poros vacuolis interciſos.

Resp. Nego Maj. Nam materia ſubtilis nullius eſt per ſe figuræ tenax.

Inst. *Sextò*. Corpus quod præbet lumini facilem tranſitum debet habere poros: atqui materia ſubtilis præbet lumini facilem tranſitum: ſi quos autem habet, habet vacuos; ergo datur vacuum.

Resp. Dist. Maj. Debet habere poros vel priùs vacuos vel recèns fabricatos à tranſeunte corpore, *C*. Priùs vacuos ſemper, *N*.

Probatur ſecunda pars de condenſatione & rarefactione.

Tunc ſit condenſatio corporis quando corpus incipit minùs occupare ſpatii quàm priùs occuparet: atqui hoc explicari non poteſt ſine vacuolis intra partes illius corporis; ergo condenſatio explicari non poteſt ſine vacuo diſſeminato.

Prob. Min. Ut corpus incipiat minùs occupare ſpatii, neceſſe eſt ut partes corporis priùs diſſitæ accedant ad ſe ſe propiùs: atqui accedere non poſſunt propiùs ad ſe ſe, niſi dentur vacuola intrinſecùs.

Resp. Nego utramque Min. Nam partes corporis poſſunt eſſe diſſitæ per interjecta corpuſcula heterogenea, v. g. partes aëris per corpuſcula materiæ ſubtilis, partes ſpongiæ per aqueas quibus imprægnatur particulas.

Inst *Primò*. Vel partes corporis priùs diſſitæ accedunt ad ſe ſe expellendo vacuola, vel ſe ſe penetrando: atqui non accedunt penetrando ſe ſe; ergo expellendo vacuola.

Resp. Nego Maj. & dico accedere ad ſe ſe

expellendo corpuſcula heterogenea, ſicut partes ſpongiæ accedunt ad ſe ſe, dum condenſatur expellendo aqueas quibus impregnatur particulas.

INST. *Secundò.* Tunc partes corporis ſe ſe penetrent neceſſe eſt, quando totum corpus non plus occupat ſpatii quàm dimidia pars ejus mox occupabat: atqui in noſtrâ hypotheſi condenſationis, totum corpus non plus occupat ſpatii, quàm media pars mox occupabat.

RESP. DIST. MIN. Atqui totum corpus non plus occupat ſpatii, quàm media pars ejus, totum corpus ſine heterogeneis corpuſculis permixtis, quàm media pars cum heterogeneis corpuſculis, *C.* Totum corpus ſine heterogeneis corpuſculis quàm media pars ſine illis, *N.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Aſcenſu gravium in vulgatis experimentis.

PROPOSITIO.

Gravitas aeris eſt vera cauſa aſcenſûs & ſuſpenſionis gravium in vulgatis experimentis.

PROBATUR. Ea cenſeri debet vera cauſa alicujus effectûs phyſici, quâ poſitâ ponitur talis effectus; quâ ſublatâ, tollitur effectus; quâ tandem variatâ variatur effectus: atqui poſitâ gravitate aëris deſuper incumbentis, aſcendunt & ſuſpenduntur gravia in experimentis quæ tentantur in pleno aëre; ſublatâ gravitate aëris, non ampliùs aſcendunt, nec ſuſpenduntur gravia in experimentis quæ tentantur in machinâ pneumaticâ, poſtquam extractus eſt aër. Denique variatâ gravitate aëris variatur aſcenſus & ſuſpenſio liquorum, eâ ratione ut altiùs aſcendant ubi major eſt gravitas aëris, ut v. g. in pede montis, & è contrà minùs aſcendant ubi minor eſt aëris gravitas, ut in vertice montis. Ergo gravitas aëris eſt

vera cauſa aſcenſûs & ſuſpenſionis gravium in vulgatis experimentis.

OBIECTIO I.

UT aſcenſus gravium prodiret à gravitate aëris; deberet aër eſſe gravis, & gravitate ſuâ attollere liquores : atqui aër gravis non eſt.

PROB. MIN. Corpus quod movetur ſurſum & non deorſum, grave non eſt : atqui aër movetur ſurſum.

RESP. DIST. MAj. Corpus quod movetur ſurſum per ſe & ab intrinſeco, *C.* Per accidens & ab extrinſeco, *N.* Porro aër ſurſum movetur per accidens ob graviora quibus permiſcetur corpora, ſicut & oleum aquæ infuſum movetur ſurſum.

INST. *Primò.* Quod ſurſum movetur ſemper & conſtanter, movetur per ſe & ab intrinſeco : atqui aër ſurſum movetur ſemper & conſtanter ſuprà terram.

RESP. *Primò.* NEGO MAj. Nam oleum ſurſum movetur ſemper & conſtanter ſupra aquam, neque tamen movetur per ſe & ab intrinſeco.

RESP. *Secundò.* DIST. MAj. Quod ſurſum movetur ſemper & conſtanter, quando, ſibi ſuæque naturæ permittitur, *C.* Quando gravioribus miſcetur corporibus, *N.* Porro aër ſemper miſcetur gravioribus; proindeque ſemper moveatur ſurſum neceſſe eſt.

INST. *Secundò.* Aër per ſe, ſuâque naturâ movetur ad locum ſibi naturalem & debitum : atqui locus ſurſum ſupra terram eſt aëri naturalis & debitus.

PROB. MIN. Locus ille eſt aëri naturalis & debitus in quo poſitus eſt aër ab initio ab Authore naturæ : atqui aër ab Authore naturæ poſitus eſt ſurſum ſupra terram; ergo locus ſurſum eſt aëri naturalis & debitus.

RESP. DIST. MAj. Locus ille eſt aëri naturalis habitâ ratione circumſtantium corporum graviorum, *C.* Eſt aëri naturalis abſolutè, *N.* Scilicet Deus ab initio condidit corpora alia aliis graviora, & unumquodque collocavit in loco ſibi debito habitâ ratione

majoris vel minoris ſuæ gravitatis.

Inst. *Tertiò* Niſi locus ſurſum & ſupra terram eſſet aëri naturalis & debitus per ſe & abſolutè, aër eſſet jugiter in ſtatu violento: atqui hoc implicat.

Resp. dist. Maj. Aër eſſet jugiter in ſtatu violento ſecundùm quid & in ordine ad ſe, *C.* Simpliciter & in ordine ad rectam univerſi conſtitutionem, *N.* Nam ordo univerſi poſtulat, ut quæ graviora ſunt infimum teneant locum.

Inst. *Quartò.* Si aër ſurſum conſtitutus ſuprà terram non eſſet in loco ſibi abſolutè naturali & debito, jugiter ponderaret & vim faceret deorſum: atqui nec ponderat nec vim facit deorſum.

Prob. Min. Si aër ponderaret & vim faceret deorſum, animalia quibus incumbit, experiri deberent pondus & vim illius: atqui tamen non experiuntur.

Resp. *Primò.* Nego Maj. Sicut enim piſces vel urinatores non ſentiunt pondus aquæ ſuperincumbentis: ita nec animalia experiri debent aëris incumbentis pondus.

Resp. *Secundò.* Dist. Maj. Animalia deberent experiri pondus & vim aeris, ſi aer premeret inæqualiter, *C.* Si premeret æqualiter, *N.* Porro aer premit undequaque æqualiter ex omni parte, & qui inferior eſt, ſuſtinet pondus ſuperioris.

Inst. *Quintò.* Corpus illud premit & ponderat inæqualiter, quod premit ſecundùm majus & minus volumen: atqui aer premit ſecundùm majus & minus volumen in loco editiori & humiliori.

Resp. Dist. Maj. Quod premit ſecundùm majus & minus volumen cæteris aliunde paribus, *C.* Cæteris imparibus, *N.* Porro cætera non ſunt aliunde paria, quia ſi majus eſt volumen aeris ſuperincumbentis, eſt quoque major virtus elaſtica aeris inferioris & interioris, quæ valeat ſuſtinere majus pondus aeris ſuperioris atque exterioris; eſt enim innatus corpori animalium aer interior vi ſuâ elaſticâ ſuſtinens impetum circumſtantis aeris.

Inst *Sextò* Tam in locis humilioribus deberemus experiri in corpore noſtro majus pondus aeris ſuperincumbentis, quàm gravia debeant altius aſſur-

gere ob majus illud pondus aëris in locis humilioribus : atqui liquores altiùs aſſurgunt in locis humilioribus ob majus pondus aëris ſuperincumbentis (ut dicitur.)

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia dum liquores aſcendunt, id fit quia non premuntur æqualiter ex omni parte, v. g. intra anthliam. At verò partes corporis noſtri premuntur æqualiter : quod ſi non premuntur æqualiter ; tunc etiam intumeſcunt carnes, ut videre eſt in cucurbitis medicis.

OBIECTIO II.

Aſcenſus gravium non oritur ab eo corpore quod debet potiùs gravia deprimere quàm attollere : atqui aër ſi gravis eſt, debet potiùs deprimere quàm gravia attollere.

Resp. Dist. Min. Atqui aër debet potiùs deprimere gravia, quâ parte directè ſuperincumbit, C. Quâ parte non incumbit, N. Sic, v. g. aër directè incumbit ſuperficiei fluminis, & hac parte non attollit aquas : ſed directè non incumbit anthliæ ejuſque cavitati, & eâ parte attollit aquam.

Inst. *Primò.* Ut aër gravitate ſua attolleret gravia qua parte non premit, deberet aër ſua gravitate vincere gravitatem aliorum corporum ; atqui non vincit.

Prob. Min. Corpora quæ attolluntur ſunt aqua, hydrargirus, &c. atqui gravitas aëris non vincit gravitatem aquæ vel hydrargiri.

Resp. Dist. Min. Atqui gravitas aëris non vincit gravitatem aquæ vel hydrargiri, ſi ſpectentur ambo ſecundùm idem volumen, C. Si ſint inæqualis voluminis, N. Nam multùm aëris poteſt vincere parum aquæ, ſicut & multùm lanæ vincit parùm plumbi.

Inst. *Secundò.* Si aër in majori volumine poſſet attollere gravia, quò majus eſſet volumen aëris, eò altiùs deberent aſcendere gravia : atqui quo majus eſt volumen aëris, non altiùs ſemper aſcendunt gravia.

Resp. Nego Min. Et ideo liquores altiùs aſcendunt in locis humilioribus, v. g. propè Sequanam, quàm in editioribus, v. g. in ſummitate turrium Majoris Eccleſiæ.

Inst. *Tertiò:* Majus eſt volumen aëris in aperto campo, quàm in cubiculo accuratè clauſo: atqui tamen non aſcendunt altiùs liquores in aperto campo quàm in cubiculo accuratè clauſo.

Resp. Dist. Maj. Majus eſt volumen aëris formaliter in aperto campo, *C.* Majus eſt virtualiter, *N.* Nam quæ ineſt aëri interiori vis elaſtica, æquivalet majori volumini aëris exterioris.

Inst. *Quartò:* Ibi non eſt æquale volumen aëris etiam virtualiter, ubi non eſt tanta preſſio aëris ſupra liquores: atqui in cubiculo clauſo non debet eſſe tanta preſſio, quanta eſt in aperto campo.

Prob. Min. Preſſio aëris æſtimatur ab altitudine incumbentis columnæ: atqui tanta non eſt altitudo columnæ aëris intra cubiculum, quanta eſt in aperto campo, quæ porrigitur à cælo Lunæ adusque terram; ergo non eſt tanta preſſio aëris in cubiculo, quanta in aperto campo.

Resp. Dist. Min. Atqui tanta non eſt altitudo columnæ aëris intra cubiculum, tanta formaliter, *C.* Æquivalenter, *N.* Nam aër exterior compreſſerat aëra illum interiorem, qui detinetur in eâdem preſſione à quatuor quibus incumbit parietibus: ſicut virga ferrea poteſt detinere corpus in eâ preſſione, in quâ priùs poſitum fuerat.

Inst. *Quintò.* Non poteſt eſſe tanta altitudo columnæ aëris intra cubiculum etiam virtualiter, quin tantùm comprimatur intus quantùm extus: atqui intra cubiculum non tantùm comprimitur, ſiquidem ſejungitur à comprimente per quatuor cubiculi parietes.

Resp. Dist. Maj. Quin tantùm comprimatur intùs, quantùm extùs, vel quin in priori ſuâ preſſione detineatur, *C.* Si detineatur in priori preſſione ſuâ, *N.* At aër intùs incumbens quatuor parietibus, & nitens reſilire, detinetur in ſuâ preſſione à parietibus & tabulato.

Inst. *Sextò.* Quæ vim nullam faciunt in aëra interiorem cubiculi, non poſſunt præſtare ut tantùm

comprimatur, quantùm priùs: atqui quatuor cubiculi parietes & tabulatum vim nullam faciunt in aëra interiorem

Resp. Dist. Maj. Non poſſunt præſtare ut tantùm comprimatur, effectivè & per ſe premendo, C. Paſſivè & conſervando factam ab aëre exteriori preſſionem, N. At quatuor parietes non premunt aëra interiorem; ſed priùs preſſum ab exteriori aëre ſervant in eadem preſſione.

Inst. *Septimò* Non magis parum aëris intra cubiculum ſufficit ad attollendos liquores, quàm parum aëris intra lagenam inverſam, & mediâ parte ſui repletam aquâ ſufficiat ad deturbandam deorſum aquam vi ſuâ elaſticâ; atqui non deturbat, ut videre eſt in eâ lagenâ, in quâ ſolent potum avibus præbere.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia aër in lagenâ inverſâ excidit vi ſuâ elaſticâ, nec detinetur in eadem preſſione, eò quod aliquantulùm aquæ decidat ad inverſionem lagenæ, nec damnum illud reſarciri poſſit aliunde, cùm non pateat aëri intra lagenam inverſam aditus, ut ſubeat.

OBIECTIO III.

Ea non eſt vera cauſa aſcenſûs liquorum, quæ non eſt regula & menſura aſcenſûs liquorum: atqui aëris gravitas vel preſſio non eſt regula & menſura aſcenſûs gravium.

Prob. Min. Si aëris gravitas eſſet regula & menſura aſcenſûs gravium, gravia deberent ad eandem ſemper altitudinem aſcendere, ubi eadem eſt aëris gravitas, & nunquam aſcendere ubi nulla eſt gravitas aëris incumbentis: atqui utrumque experientiæ repugnat.

Resp. Nego utramque Min. Et ideo in locis æqualiter humilibus æqualiter aſcendunt liquores, & in editioribus minùs aſcendunt, v. g. in vertice montis.

Inst. *Primò.* In machinâ pneumaticâ exhauſto aëre per frequentes exanthlationes, nulla eſt aëris gravitas: atqui tamen liquores ibi ſuſpenduntur & marmora de more cohærent; ergo ubi nulla eſt

Prob. Min. Quæ exiſtunt in diſtinctis & ſeparatis locis ſunt ſeparabilia realiter: atqui partes cujuſlibet ſpatii exiſtunt ſimul in diſtinctis & ſeparatis locis.

Resp. Dist. Maj. Quæ exiſtunt in diſtinctis & ſeparatis locis, exiſtunt per diverſas realiter entitates, *C.* Per eandem entitatem, eamque realiter ſimplicem & indiviſibilem, *N.* Porro ſpatium ſeu immenſitas divina eſt una quædam realiter ſimplex & indiviſibilis entitas, infinitè tamen undequáque protenſa.

Inst. *Quintò.* Niſi partes ſpatii eſſent actuales & à ſe mutuò realiter ſeparabiles, corpora omnia exiſterent in indiviſibili, in puncto: atqui hoc implicat.

Resp. Dist. Maj. Corpora omnia exiſterent in indiviſibili in partes reales actuales ſolidas & impenetrabiles, *C.* In indiviſibili in partes virtuales, *N.* Hoc autem poſterius non implicat.

Inst. *Sextò.* Atqui ſpatium omne eſt diviſibile in partes actuales & ſolidas.

Prob. Subs. Spatium omne debet eſſe diviſibile in partes quæ poſſint facere diſtantiam inter corpora extrema: atqui ſolæ partes actuales & ſolidæ poſſunt facere diſtantiam veram inter extrema corpora.

Prob. min. Quod ponit diſtantiam inter extrema corpora, hujuſmodi debet eſſe, ut de illo quæri poſſit quantùm ſit: atqui de ſolis partibus actualibus & ſolidis id quæri poteſt, quia ſolæ ſunt quantitativæ.

Resp. Dist. Maj. Ut de illo quæri poſſit quantùm ſit penetrabiliter, *C.* Impenetrabiliter, *N.* Nam corpora locata penetrantur à ſpatio in quo ſunt.

II. PROPOSITIO.

Datur Vacuum diſſeminatum intrà partes univerſi.

PROBATUR. Inter ea corpora datur vacuum aliquod ſaltem diſſeminatum, quæ non poſſunt ſibi invicem tam aptè applicari, quin vacui quidpiam intercipiatur; atqui partes hujus univerſi non poſſunt tam aptè ſibi invicem applicari, quin vacui quidpiam intercipiatur: nam partes quæ ſunt figuræ irregularis, & in perpetuo motu poſitæ non poſſunt phyſicè loquendo tam aptè applicari ſibi invicem, quin vacui quidpiam intercipiatur; atqui partes hujus univerſi ſunt figuræ irregularis, & in perpetuo motu poſitæ; Ergo prodigii loco foret ſi tam aptè applicarentur ſibi invicem, ut nihil quidquam interciperetur vacui, proindéque datur vacuum ſaltem diſſeminatum intrà partes univerſi.

OBIECTIO.

NOn datur vacuum illud quod non ſolùm inutile eſt, ſed etiam foret naturæ valdè noxium: atqui vacuum diſſeminatum eſſet inutile & noxium naturæ.

PROB. MIN. Illud eſſet naturæ valdè noxium quod impediret conſtantem partium naturæ unionem inter ſe; atqui vacuum diſſeminatum impediret unionem partium naturæ, ſiquidem eas diſſociaret interſtitiis.

RESP. DIST. MAJ. Quod impediret unionem partium naturæ ultrà modum, ſimpliciter & ex omni parte, *C.* Secundùm quid tantùm, & ex aliquâ parte minùs notabili, *N.* Sic in corpore naturali partes ità ſunt unitæ, ut tamen poris quibuſdam intercidantur.

INST. *Primò.* Atqui partes univerſi conſtantem habent unionem inter ſe ſimpliciter & ex omni parte.

PROB. SUBS. Ea conſtantem habent unionem

ſimpliciter, quorum alia aliis tam immediatè applicantur, ut nulla relinquant interſtitia, aut ſi relinquant, ea repleantur materiâ ſubtili: atqui partes naturæ ſic aliæ aliis applicantur ut vel nulla relinquant interſtitia, vel ſi quâ parte relinquant, ea repleantur materiâ ſubtili.

Resp. Dist. Min. Vel ſi quâ parte relinquant ea repleantur materiâ ſubtili, & ipſa materia ſubtilis ſuos habet poros, *C*. Nec ipſa habet poros ſuos, *N*. Si enim materia ſubtilis habeat poros, illi debent eſſe vacui, quia non datur ſubtilior & ſubtilior in infinitum materia.

Inst. *Secundò*. Materia quæ nullius eſt figuræ tenax, & ſe ſe indifferenter accommodat in omnem ſenſum, nullos debet habere poros vacuos; nam pori veniunt ab irregularitate partium figuratarum: atqui materia ſubtiliſſima nullius eſt figuræ tenax; ergo nullos in ſe admittit poros vacuos.

Resp. Dist. Min. Atqui materia ſubtiliſſima nullius eſt figuræ tenax ſecundùm partes ſuas majuſculas, *C*. Secundùm partes ſuas tenuiores, minuſque notabiles, *N*. Sicut enim aqua nullius eſt figuræ tenax ſecundùm partes ſenſibiles, eſt verò ſecundùm partes inſenſibiles & exiguas, ideoque non permeat omnia indiſcriminatim corpora; ita & materia ſubtiliſſima.

Inst. *Tertiò*. Corpus fluidiſſimum ſecundùm partes tenuiores & minutiſſimas nullius eſt figuræ tenax ſecundùm partes tenuiores & minutiſſimas: atqui materia ſubtiliſſima eſt fluidiſſima ſecundùm partes ſuas tenuiores & minutiſſimas.

Prob. Min. Corpus homogeneum & fluidiſſimum ſecundùm ſe totum, eſt quoque fluidiſſimum ſecundùm partes minutiſſimas & tenuiores: atqui materia ſubtiliſſima eſt corpus quoddam homogeneum & aliunde fluidum ſecundùm ſe totum.

Resp. Dist. Maj. Corpus homogeneum ſecundùm primas ſui partes, *C*. Secundùm partes ſolummodò majores, *N*. Porro materia ſubtiliſſima eſt quidem corpus homogeneum ſecundùm partes majuſculas, at non ſecundùm partes minutiſſimas: ſicut caro eſt homogenea ſecundùm partes ſenſibiles & majores, & non ſecundùm minutiſſimas, quia dividitur in elementa quatuor, ex quibus conſtat.

Inst.

Inst. *Quartò.* Omnes partes tenuiores materiæ ſubtiliſſimæ ſunt ſimiles & homogeneæ; ergo materia ſubtiliſſima eſt corpus homogeneum ſecundùm partes ſuas primas & minutiſſimas.

Resp. Dist. Ant. Omnes partes materiæ ſubtiliſſimæ ſunt ſimiles & homogeneæ, ſecum invicem, *Transeat*, Homogeneæ cum toto, N. Quia ſingulæ poſſunt eſſe ſeorſim ſolidæ, totum verò fluidum.

Inst. *Quintò* Non magis totum fluidum po-teſt fieri ex partibus ſeorſim non fluidis, quàm totum extenſum ex partibus ſeorſim inextenſis.

Resp. Nego paritat. Ratio diſp. eſt, quia non rectè concipitur quomodo inextenſa poſſint facere extenſum, quandoquidem ſe ſe penetrent neceſſe eſt: at rectè concipitur quomodo plura minutiſſima & ſolida ſimul agitata poſſint exhibere nobis totum fluidum: ſiquidem fluiditas conſiſtit in motu perniciſſimo partium exiguarum.

III. PROPOSITIO.

Non datur vacuum etiam exiguum intrà partes univerſi.

Probatur. Nullum datur vacuum etiam exiguum intrà partes univerſi, ſi quæcumque ſunt intrà partes univerſi interſtitia, repleantur accuratè materiâ ſubtili; atqui quæcumque ſunt intrà partes hujus univerſi interſtitia, replentur accuratè materiâ ſubtili, quæ cùm nullius ſit figuræ tenax poteſt indifferenter ſe ſe acommodare in omnem ſenſum: ergo nihil neceſſe eſt agnoſcere vacuum etiam exiguum intrà partes univerſi.

OBJECTIO.

Datur in rerum naturâ id ſine quo motus localis, condenſatio & rarefactio corporum explicari non poſſunt: atqui ſine vacuo diſſeminato hæc explicari nequeunt.

Prob. Min. *De motu locali.* Corpus moveri non poteſt localiter niſi ſit locus in quem ſe ſe recipiat:

atqui niſi detur vacuum ſaltem diſſeminatum, non poteſt eſſe locus in quem ſe ſe recipiat corpus mobile.

Resp. Nego utramque Min. Alioqui requireretur vacuum ingens, quia debet eſſe locus ingens in quem ſe ſe recipiat corpus mobile: igitur corpus quod incipit moveri, pellit vicinum à ſuo loco, vicinum pulſum pellit aliud, quoaduſque facta fuerit circulatio perfecta corporum.

Inst. *Primò.* Corpus mobile vel ſe ſe recipit in locum plenum vel in vacuum: atqui non ſe ſe recipit in plenum, alioqui daretur penetratio; ergo ſe ſe recipit in vacuum.

Resp. Dist. Min. Atqui mobile non ſe ſe recipit in plenum quatenus plenum priori corpore, *C.* in plenum qui mox erat plenus priori corpore & incipit repleri novo, recedente veteri, *N.* Sic dum rota movetur circa ſuum axem pars ſuperior ſe ſe recipit in locum inferioris, neque tamen ibi eſt ulla vacui ſuſpicio.

Inst *Secundò.* Priùs eſt corpus vicinum ſuo cedere loco, quàm mobile ejus ſubire locum relictum; ergo locus priùs eſt vacuus quàm plenus.

Resp. Dist. Maj. Priùs eſt corpus vicinum ſuo cedere loco, prius prioritate naturæ, *C.* Temporis, *N.* Sicut enim in eodem inſtanti feneſtra aperitur & ingreditur ventus, ita in eodem inſtanti mobile pellit & vicinum corpus cedit, & locus repletur novo corpore.

Inst. *Tertiò.* Mobile non poteſt ſubire locum à vicino corpore relictum niſi per motum localem accedat ad illum locum: atqui ad motum localem requiritur prioritas temporis & poſterioritas, & non ſolùm naturæ.

Resp. dist. min. Atqui ad motum localem requiritur prioritas temporis, id eſt, ſucceſſio quædam actualis & temporanea in motu, *C.* Requiritur prioritas temporis, id eſt, primò vacuitas, deinde plenitudo, *N.* vel Subdistinguo, ſi corpora non ſint contigua, *C.* Si ſint contigua, *N.* Porro omnia corpora ſupponuntur contigua, eo ferè modò quo partes rotæ.

Inst. *Quartò.* Corpora figuræ irregularis non

poſſunt ſic aptari niſi relinquant aliqua inter ſe vacuola: atqui mobile corpus & huic vicinum ſunt figuræ irregularis.

Resp. Dist. Maj. Si præſto non ſit materia ſubtilis replendis omnibus vacuolis, C. Si ſit præſto materia ſubtilis, N. Porro materia ſubtilis replet omnia interſtitia inter duo corpora figuræ irregularis.

Inst Quintò. Saltem illa materia ſubtilis ſuos habet poros vacuolis interciſos.

Resp. Nego Maj. Nam materia ſubtilis nullius eſt per ſe figuræ tenax.

Inst. Sextò. Corpus quod præbet lumini facilem tranſitum debet habere poros: atqui materia ſubtilis præbet lumini facilem tranſitum: ſi quos autem habet, habet vacuos; ergo datur vacuum.

Resp. Dist. Maj. Debet habere poros vel priùs vacuos vel recèns fabricatos à tranſeunte corpore, C. Priùs vacuos ſemper, N.

Probatur ſecunda pars de condenſatione & rarefactione.

Tunc fit condenſatio corporis quando corpus incipit minùs occupare ſpatii quàm priùs occuparet: atqui hoc explicari non poteſt ſine vacuolis intra partes illius corporis; ergo condenſatio explicari non poteſt ſine vacuo diſſeminato.

Prob. Min. Ut corpus incipiat minùs occupare ſpatii, neceſſe eſt ut partes corporis priùs diſſitæ accedant ad ſe ſe propiùs: atqui accedere non poſſunt propiùs ad ſe ſe, niſi dentur vacuola intrinſecùs.

Resp. Nego utramque Min. Nam partes corporis poſſunt eſſe diſſitæ per interjecta corpuſcula heterogenea, v. g. partes aëris per corpuſcula materiæ ſubtilis, partes ſpongiæ per aqueas quibus imprægnatur particulas.

Inst Primò. Vel partes corporis priùs diſſitæ accedunt ad ſe ſe expellendo vacuola, vel ſe ſe penetrando: atqui non accedunt penetrando ſe ſe; ergo expellendo vacuola.

Resp. Nego Maj. & dico accedere ad ſe ſe

expellendo corpuſcula heterogenea, ſicut partes ſpongiæ accedunt ad ſe ſe, dum condenſatur expellendo aqueas quibus impregnatur particulas.

INST. *Secundò.* Tunc partes corporis ſe ſe penetrent neceſſe eſt, quando totum corpus non plus occupat ſpatii quàm dimidia pars ejus mox occupabat: atqui in noſtrâ hypotheſi condenſationis, totum corpus non plus occupat ſpatii, quàm media pars mox occupabat.

RESP. DIST. MIN. Atqui totum corpus non plus occupat ſpatii, quàm media pars ejus, totum corpus ſine heterogeneis corpuſculis permixtis, quàm media pars cum heterogeneis corpuſculis, *C.* Totum corpus ſine heterogeneis corpuſculis quàm media pars ſine illis, *N.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Aſcenſu gravium in vulgatis experimentis.

PROPOSITIO.

Gravitas aeris eſt vera cauſa aſcenſûs & ſuſpenſionis gravium in vulgatis experimentis.

PROBATUR. Ea cenſeri debet vera cauſa alicujus effectûs phyſici, quâ poſitâ ponitur talis effectus; quâ ſublatâ, tollitur effectus; quâ tandem variatâ variatur effectus: atqui poſitâ gravitate aëris deſuper incumbentis, aſcendunt & ſuſpenduntur gravia in experimentis quæ tentantur in pleno aëre; ſublatâ gravitate aëris, non ampliùs aſcendunt, nec ſuſpenduntur gravia in experimentis quæ tentantur in machinâ pneumaticâ, poſtquam extractus eſt aër. Denique variatâ gravitate aëris variatur aſcenſus & ſuſpenſio liquorum, eâ ratione ut altius aſcendant ubi major eſt gravitas aëris, ut v. g. in pede montis, & è contrà minùs aſcendant ubi minor eſt aëris gravitas, ut in vertice montis. Ergo gravitas aëris eſt

vera cauſa aſcenſûs & ſuſpenſionis gravium in vulgatis experimentis.

OBIECTIO I.

Ut aſcenſus gravium prodiret à gravitate aëris, deberet aër eſſe gravis,&gravitate ſuâ attollere liquores : atqui aër gravis non eſt.

Prob. Min. Corpus quod movetur ſurſum & non deorſum, grave non eſt : atqui aër movetur ſurſum.

Resp. Dist. Maj. Corpus quod movetur ſurſum per ſe & ab intrinſeco, *C*. Per accidens & ab extrinſeco, *N*. Porro aër ſurſum movetur per accidens ob graviora quibus permiſcetur corpora, ſicut & oleum aquæ infuſum movetur ſurſum.

Inst. *Primò.* Quod ſurſum movetur ſemper & conſtanter, movetur per ſe & ab intrinſeco : atqui aër ſurſum movetur ſemper & conſtanter ſuprà terram.

Resp. *Primò.* Nego Maj. Nam oleum ſurſum movetur ſemper & conſtanter ſupra aquam, neque tamen movetur per ſe & ab intrinſeco.

Resp. *Secundò.* Dist. Maj. Quod ſurſum movetur ſemper & conſtanter, quando, ſibi ſuæque naturæ permittitur, *C*. Quando gravioribus miſcetur corporibus, *N*. Porro aër ſemper miſcetur gravioribus; proindeque ſemper moveatur ſurſum neceſſe eſt.

Inst. *Secundò.* Aër per ſe, ſuâque naturâ movetur ad locum ſibi naturalem & debitum : atqui locus ſurſum ſupra terram eſt aëri naturalis & debitus.

Prob. Min. Locus ille eſt aëri naturalis & debitus in quo poſitus eſt aër ab initio ab Authore naturæ : atqui aër ab Authore naturæ poſitus eſt ſurſum ſupra terram; ergo locus ſurſum eſt aëri naturalis & debitus.

Resp. Dist. Maj. Locus ille eſt aëri naturalis habitâ ratione circumſtantium corporum graviorum, *C*. Eſt aëri naturalis abſolutè, *N*. Scilicet Deus ab initio condidit corpora alia aliis graviora, & unumquodque collocavit in loco ſibi debito habitâ ratione

majoris vel minoris ſuæ gravitatis.

Inst. *Tertiò* Niſi locus ſurſum & ſupra terram eſſet aëri naturalis & debitus per ſe & abſolutè, aër eſſet jugiter in ſtatu violento: atqui hoc implicat.

Resp. dist. Maj. Aër eſſet jugiter in ſtatu violento ſecundùm quid & in ordine ad ſe, *C.* Simpliciter & in ordine ad rectam univerſi conſtitutionem, *N.* Nam ordo univerſi poſtulat, ut quæ graviora ſunt infimum teneant locum.

Inst. *Quartò.* Si aër ſurſum conſtitutus ſuprà terram non eſſet in loco ſibi abſolutè naturali & debito, jugiter ponderaret & vim faceret deorſum: atqui nec ponderat nec vim facit deorſum.

Prob. Min. Si aër ponderaret & vim faceret deorſum, animalia quibus incumbit, experiri deberent pondus & vim illius: atqui tamen non experiuntur.

Resp. *Primò:* Nego Maj. Sicut enim piſces vel urinatores non ſentiunt pondus aquæ ſuperincumbentis: ita nec animalia experiri debent aëris incumbentis pondus.

Resp. *Secundò.* Dist. Maj. Animalia deberent experiri pondus & vim aeris, ſi aer premeret inæqualiter, *C.* Si premeret æqualiter, *N.* Porro aer premit undequaque æqualiter ex omni parte, & qui inferior eſt, ſuſtinet pondus ſuperioris.

Inst. *Quintò.* Corpus illud premit & ponderat inæqualiter, quod premit ſecundùm majus & minus volumen: atqui aer premit ſecundùm majus & minus volumen in loco editiori & humiliori.

Resp. Dist. Maj. Quod premit ſecundùm majus & minus volumen cæteris aliunde paribus, *C.* Cæteris imparibus, *N.* Porro cætera non ſunt aliunde paria, quia ſi majus eſt volumen aeris ſuperincumbentis, eſt quoque major virtus elaſtica aeris inferioris & interioris, quæ valeat ſuſtinere majus pondus aeris ſuperioris atque exterioris; eſt enim innatus corpori animalium aer interior vi ſuâ elaſticâ ſuſtinens imperum circumdantis aeris.

Inst *Sextò* Tam in locis humilioribus deberemus experiri in corpore noſtro majus pondus aeris ſuperincumbentis, quàm gravia debeant altius aſſur-

gere ob majus illud pondus aëris in locis humilioribus : atqui liquores altiùs aſſurgunt in locis humilioribus ob majus pondus aëris ſuperincumbentis (ut dicitur.)

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia dum liquores aſcendunt, id fit quia non premuntur æqualiter ex omni parte, v. g. intra anthliam. At verò partes corporis noſtri premuntur æqualiter : quod ſi non premuntur æqualiter ; tunc etiam intumeſcunt carnes, ut videre eſt in cucurbitis medicis.

OBJECTIO II.

Aſcenſus gravium non oritur ab eo corpore quod debet potiùs gravia deprimere quàm attollere : atqui aër ſi gravis eſt, debet potiùs deprimere quàm gravia attollere.

Resp. Dist. Min. Atqui aër debet potiùs deprimere gravia, quâ parte directè ſuperincumbit, C. Quâ parte non incumbit, N. Sic, v. g. aër directè incumbit ſuperficiei fluminis, & hac parte non attollit aquas : ſed directè non incumbit anthliæ ejuſque cavitati, & eâ parte attollit aquam.

Inst. *Primò.* Ut aër gravitate ſua attolleret gravia qua parte non premit, deberet aër ſua gravitate vincere gravitatem aliorum corporum ; atqui non vincit.

Prob. Min. Corpora quæ attolluntur ſunt aqua, hydrargirus, &c. atqui gravitas aëris non vincit gravitatem aquæ vel hydrargiri.

Resp. Dist. Min. Atqui gravitas aëris non vincit gravitatem aquæ vel hydrargiri, ſi ſpectentur ambo ſecundùm idem volumen, C. Si ſint inæqualis voluminis, N. Nam multùm aëris poteſt vincere parum aquæ, ſicut & multùm lanæ vincit parùm plumbi.

Inst. *Secundò.* Si aër in majori volumine poſſet attollere gravia, quò majus eſſet volumen aëris, eò altiùs deberent aſcendere gravia : atqui quo majus eſt volumen aëris, non altiùs ſemper aſcendunt gravia.

Resp. Nego Min. Et ideo liquores altiùs aſcendunt in locis humilioribus, v. g. propè Sequanam, quàm in editioribus, v. g. in ſummitate turrium Majoris Eccleſiæ.

Inst. *Tertiò.* Majus eſt volumen aëris in aperto campo, quàm in cubiculo accuratè clauſo: atqui tamen non aſcendunt altiùs liquores in aperto campo quàm in cubiculo accuratè clauſo.

Resp. Dist. Maj. Majus eſt volumen aëris formaliter in aperto campo, *C.* Majus eſt virtualiter, *N.* Nam quæ ineſt aëri interiori vis elaſtica, æquivalet majori volumini aëris exterioris.

Inst. *Quartò.* Ibi non eſt æquale volumen aëris etiam virtualiter, ubi non eſt tanta preſſio aëris ſupra liquores: atqui in cubiculo clauſo non debet eſſe tanta preſſio, quanta eſt in aperto campo.

Prob. Min. Preſſio aëris æſtimatur ab altitudine incumbentis columnæ: atqui tanta non eſt altitudo columnæ aëris intra cubiculum, quanta eſt in aperto campo, quæ porrigitur à cælo Lunæ ad uſque terram; ergo non eſt tanta preſſio aëris in cubiculo, quanta in aperto campo.

Resp. Dist. Min. Atqui tanta non eſt altitudo columnæ aëris intra cubiculum, tanta formaliter, *C.* Æquivalenter, *N.* Nam aër exterior compreſſerat aëra illum interiorem, qui detinetur in eâdem preſſione à quatuor quibus incumbit parietibus: ſicut virga ferrea poteſt detinere corpus in eâ preſſione, in quâ priùs poſitum fuerat.

Inst. *Quintò.* Non poteſt eſſe tanta altitudo columnæ aëris intra cubiculum etiam virtualiter, quin tantùm comprimatur intus quantùm extus: atqui intra cubiculum non tantùm comprimitur, ſiquidem ſejungitur à comprimente per quatuor cubiculi parietes.

Resp. Dist. Maj. Quin tantùm comprimatur intùs, quantùm extùs, vel quin in priori ſuâ preſſione detineatur, *C.* Si detineatur in priori preſſione ſuâ, *N.* At aër intùs incumbens quatuor parietibus, & nitens reſilire, detinetur in ſuâ preſſione à parietibus & tabulato.

Inst. *Sextò.* Quæ vim nullam faciunt in aëra interiorem cubiculi, non poſſunt præſtare ut tantùm

comprimatur, quantùm priùs : atqui quatuor cubiculi parietes & tabulatum vim nullam faciunt in aëra interiorem.

Resp. Dist. Maj. Non poſſunt præſtare ut tantùm comprimatur, effectivè & per ſe premendo, C. Paſſivè & conſervando factam ab aëre exteriori preſſionem, N. At quatuor parietes nón premunt aëra interiorem ; ſed priùs preſſum ab exteriori aëre ſervant in eadem preſſione.

Inst. *Septimò*. Non magis parum aëris intra cubiculum ſufficit ad attollendos liquores, quàm parum aëris intra lagenam inverſam, & mediâ parte ſui repletam aquâ ſufficiat ad deturbandam deorſum aquam vi ſuâ elaſticâ : atqui non deturbat, ut videre eſt in eâ lagenâ, in quâ ſolent potum avibus præbere.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia aër in lagenâ inverſâ excidit vi ſuâ elaſticâ, nec detinetur in eadem preſſione, eò quod aliquantulùm aquæ decidat ad inverſionem lagenæ, nec damnum illud reſarciri poſſit aliunde, cùm non pateat aëri intra lagenam inverſam aditus, ut ſubeat.

OBIECTIO III.

Ea non eſt vera cauſa aſcenſûs liquorum, quæ non eſt regula & menſura aſcenſûs liquorum : atqui aëris gravitas vel preſſio non eſt regula & menſura aſcenſûs gravium.

Prob. Min. Si aëris gravitas eſſet regula & menſura aſcenſûs gravium, gravia deberent ad eandem ſemper altitudinem aſcendere, ubi eadem eſt aëris gravitas, & nunquam aſcendere ubi nulla eſt gravitas aëris incumbentis : atqui utrumque experientiæ repugnat.

Resp. Nego utramque Min. Et ideo in locis æqualiter humilibus æqualiter aſcendunt liquores, & in editioribus minùs aſcendunt, v. g. in vertice montis.

Inst. *Primò*. In machinâ pneumaticâ exhauſto aëre per frequentes exanthlationes, nulla eſt aëris gravitas : atqui tamen liquores ibi ſuſpenduntur & marmora de more cohærent ; ergo ubi nulla eſt

aëris gravitas, aſcendunt nihilominus gravia.

Resp. Dist. Maj. In machinâ pneumaticâ nulla eſt aëris gravitas craſſioris, C. Subtilioris, N. Nam licèt extrahatur aër craſſus, non extrahitur ſubtilis.

Inst. *Secundò.* Corpus quod ſubjectos liquores æqualiter pervadit ex omni parte non poteſt attollere vel ſuſpendere liquores in machinâ pneumaticâ: atqui aër ſubtilis pervadit ex omni parte liquores ſubjectos; ergo non poteſt aër ſubtilis attollere vel ſuſpendere liquores in machina pneumatica.

Resp. Dist. Min. Atqui aër ſubtilis pervadit ex omni parte liquores non repurgatos & communes, C. Liquores repurgatos, N. Nam hydrargirus repurgatus partes habet ſuas ſolidiores & compactiores, ideoque difficiliùs permeabiles ab aëre ſubtili.

Inst. *Tertiò.* Experientiâ conſtat hydrargirum repurgatum in machinâ pneumaticâ hærere penſilem ad altitudinem ſeptuaginta duorum pollicum: atqui hæc ſuſpenſio non oritur ab aëre ſubtili.

Prob. Min. Aër ſubtilis incurrens in hydrargirum in tubo ſuſpenſum ad altitudinem ſeptuaginta duorum pollicum deberet præcipitare ipſum deorſum, quia pondus ipſius hydrargyri ſuſpenſi & pondus aëris ſubtilis ſimul prævalerent ſoli ponderi aëris ſubtilis ſtagnanti hydrargiro incumbentis.

Resp. dist. Aër ſubtilis deberet hydrargirum præcipitare deorſum, ſi tam liberè incurreret in hydrargirum in tubo ſuſpenſum, quàm in ſtagnantem deorſum, C. Secùs, N. At aër ſubtilis liberè non incurrit in hydrargirum in tubo vitreo ſuſpenſum, eò quòd hydrargiri repurgati partes ſolidiores occludant exactè poros vitrei tubi, atque ita impediant, ne confertim ſatis irruat aër ſubtilis ad deturbandum hydrargirum; hinc ſuccuſsâ paululùm machinâ ſtatim deturbatur hydrargirus, quia tunc ſolvitur firma adhæſio partium hydrargiri cum tubo vitreo, & ſic irruit aër ad præcipitandum hydrargirum.

Inst. *Quartò.* Ut aër ſubtilis in machinâ reſiduus, eſſet cauſa tantæ ſuſpenſionis hydrargiri ad ſeptuaginta duos pollices, qui ſolet vulgò non ſuſpendi ſupra viginti & ſeptem, deberet major eſſe

gravitas aëris ſubtilis quàm craſſi : atqui hoc veriſimile non eſt.

Resp. Nego Min. Et id venire poteſt vel ab ipsâ naturâ aëris ſubtilioris, vel à majori & altiori columnâ ipſius : quippe immenſa propè eſt altitudo aëris ſubtilis ſupra craſſum.

Inst. *Quintò.* Quò ſubtilius & mobilius eſt corpus, eò minus eſt ponderoſum : atqui aër ſubtilis eſt craſſo ſubtilior & mobilior ; ergo minus eſt ponderoſus.

Resp. Nego Maj. Vel Dist. Quò ſubtilius eſt corpus, eò minùs eſt ponderoſum cæteris paribus, *Tranſeat*, Cæteris imparibus, N. At cætera non ſunt paria inter aëra craſſum & ſubtilem, quia minùs altè porrigitur craſſi quàm ſubtilis columna.

Inst *Sextò.* Quò ſubtilius & mobilius eſt corpus, eò minùs eſt ponderoſum, ſi gravitas corporis obſtet facilitati motûs : atqui ita eſt, ut experientiâ conſtat.

Resp. Dist. Min. Atqui gravitas corporis obſtat facilitati motûs in ſolidis corporibus, *Tranſeat*, In fluidis, N. Ratio diſparitatis eſt, quia ſolidum non poteſt moveri, quin totum moveatur, v. g. marmor. At verò fluidum poteſt moveri ſecundùm unam ſui partem, & non moveri ſecundùm alteram, v. g. aqua.

Inst. *Septimò.* E duobus corporibus ſolidis quod eſt gravius movetur difficiliùs ; ergo à pari è duobus fluidis, ut craſſo & ſubtili aëre quod eſt gravius debet difficiliùs moveri : proindeque aër ſubtilis qui mobilior eſt, debet eſſe levior.

Resp. *Primò. Tranſeat*, Ant. Nam lana minùs eſt gravis quàm plumbum, & tamen lana difficiliùs impellitur quàm grana plumbi.

Resp. *Secundò.* Dist. Conſeq. Ergo è duobus fluidis quod eſt gravius debet difficiliùs moveri, ſi cætera ſint aliunde paria, C. Si cætera ſint imparia, N. Porro inter aëra craſſum & ſubtilem cætera non ſunt aliunde paria, quia partes aëris craſſi ſunt ramoſæ & aliæ aliis implicitæ lanarum inſtar, hinc difficiliùs moventur : at verò partes aëris ſubtilis videntur veluti totidem arenulæ ſtampenſes ſe ſe tangentes in punctis, ideoque faciliùs mobiles.

OBJECTIO IV.

UNum ex vulgatis experimentis eſt, quod aqua aſcendat per crus ſyphonis brevius & decidat per longius: atqui hoc non poteſt explicari per gravitatem aëris incumbentis.

Prob. Min. Si gravitas aëris incumbentis aliquid conferret ad aſcenſum gravium per ſyphonem, nunquam aqua efflueret per crus longius: atqui tamen effluit jugiter.

Resp. Nego Maj. Nam aër incumbens aquæ vaſis ſubjecti, cogit aquam aſcendere intra ſyphonem, quâ cum repleatur crus ſyphonis utrumque, & quæ habetur in longiori crure præponderet, neceſſe eſt aquam effluere jugiter per crus illud longius.

Inst. *Primò* Per illud crus ſyphonis non debet aqua jugiter effluere cui major incumbit columna aëris obſiſtens effluxui: atqui cruri longiori ſyphonis incumbit columna aëris major, quia altior; ergo nunquam deberet aqua effluere per crus longius.

Resp. Dist. Maj. Cui major incumbit columna aëris, cæteris aliunde partibus, *C.* Cæteris imparibus, *N.* Si enim major aliquantulum columna aëris incumbat crurilongiori, columna aquæ major continetur in crure longiori, quæ non ſolum compenſat, ſed & ſuperat exceſſum columnæ aëris.

Inst. *Secundò.* Tam columna aëris incumbens cruri longiori ſyphonis deberet obſiſtere effluxui aquæ ex illo crure longiori, quàm columna aëris incumbens foramini facto in parte inferiori dolii obſiſtat effluxui vini: atqui hoc poſterius vulgò dicitur in recentiorum opinione de gravitate aëris.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſp. eſt, quia vinum dolio contentum aliunde non premitur ab aëre incumbente: ſiquidem omnia ſupponuntur accuratè clauſa. At verò aqua crure longiori ſyphonis contenta premitur aliunde à columna aëris ſuperincumbentis vaſi ſubjecto, hinc eſt quod effluat.

Inst.

Inst. *Tertiò.* Sæpe fit ut dum aliquid vini extractum eſt è dolio ſit parum aëris incumbentis vino; & tamen non effluit vinum; ergo nec aqua effluere debet è crure longiori ſyphonis.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia parum illud aëris non ſufficit deturbando vino, præſertim cùm ſuâ jam exciderit vi elaſticâ: ſiquidem non continetur in eâdem preſſione in quâ poſitum erat anteà, eo quòd aliquid vini effluxerit per foramen inferius: Vis autem elaſtica conſiſtit in eâdem preſſione quæ fuerat priùs.

Inst. *Quartò.* Eadem eſt cauſa cur aqua per ſyphonem aſcendat, aut vinum in dolio ſuſpenſum maneat, quæ facit ut aqua aſcendat per tubos capillares, ſeu exiguos: atqui columna aëris non eſt hujuſmodi cauſa.

Prob. Min. Per tubos capillares utrinque patentes ſponte ſuâ aſcendit aqua: atqui tamen aër premit undequaque æqualiter & intrà tubos & extrà; ſiquidem aperti ſunt ex omni parte.

Resp. Nego Min. Nam aër præ nimiis tuborum capillarium anguſtiis non poteſt tam facilè ſe ſe inſinuare ad deprimendam aquam: atque adeò non premit aquam ex omni parte æqualiter.

Inst. *Quintò.* Anguſtiæ tuborum capillarium non impediunt quin aqua ſe ſe ſatis inſinuet intrà tuborum latera ad aſcendendum; ergo nec debent impedire quin aër ſe ſe inſinuet intrà tubos capillares ad deprimendam aquam.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia aquæ patet aliquandò aditus, ubi non patet aëri, ut videre eſt in veſicâ ſuillâ inversâ, ex quâ effluit aqua, non item aër: atque hoc diſcrimen repetendum videtur à variâ configuratione partium aquæ & aëris.

Inst. *Sextò.* Partes aëris ſunt tenuiores partibus aquæ; ergo ſi pateat ſufficiens aditus aquæ intrà tubos capillares, à fortiori patebit aëri.

Resp. Dist. Ant. Partes aëris ſunt tenuiores, cæteris aliunde imparibus, *C.* Cæteris paribus, *N.* Aër enim videtur habere partes ramoſas lanarum ad inſtar: Aqua verò habet partes lubricas, leves, & oblongas, anguillarum inſtar.

Inst. *Septimò.* Saltem aër ſubtilis poterit ſe ſe

inſinuare intrà tubos capillares ad aquam deprimendam, ſicut contingit in machinâ pneumaticâ.

Resp. Dist. Aër ſubtilis poterit ſe ſe inſinuare, ſed præ ſuâ tenuitate permeabit aquam ſubjectam, atque in eam vim faciet nullam, *C*. Secùs, *N*.

Inst. *Octavò*. Aër ſubtilis vim facit in liquores intrà machinam pneumaticam, eoſque detinet penſiles; ergo & extrà.

Resp. Dist. Vim facit in liquores repurgatos, *C*. Non repurgatos, *N*. Diſparitas eſt, quia in liquoribus repurgatis partes ſunt compactiores.

OBIECTIO V.

Vnus ex effectibus illis eſt firma cohæſio duorum marmorum ſummè lævigatorum; alter eſt aſcenſus aquæ in ſyringem, dum attollitur embolus: atqui effectus hujuſmodi non poſſunt explicari per aeris gravitatem.

Prob. Min. *De marmoribus*. Experientiâ conſtat hæc duo marmora ægre admodum divelli perpendiculariter ſurſum vel deorſum: facilè verò horizontaliter ſeu à lateribus: atqui ſi aëris incumbentis gravitas eſſet cauſa hujus firmæ cohæſionis, non eſſet cur difficilius perpendiculariter divellerentur quam horizontaliter.

Resp. Nego Min. Nam aër à lateribus premens adjuvat diducentem marmora horizontaliter, ſicut aër ſubiens follis flatilis cavitatem per orificium adjuvat diducentem alas.

Inst. *Primò*. Tanta eſt columna aëris horizontaliter incumbens marmoribus quàm perpendiculariter; ergo par eſſe deberet difficultas.

Resp. Dist. Ant. Tanta eſt columna aëris incumbens horizontaliter marmoribus, ſed cætera non ſunt aliunde paria, *C*. & ſunt paria, *N*. Nam dum nitimur attollere marmor perpendiculariter, eſt ſuperanda reſiſtentia totius columnæ, quæ cùm non habeat locum patentem quò ſe recipiat, neceſſe eſt ut comprimatur, non ſine difficultate. At verò dum nitimur horizontaliter, aër urgens à latere oppoſito adjuvat ad faciliùs diducendum.

Inst. *Secundò.* Si marmora duo ſibi tenaciter adeò cohærerent ob incumbentis aëris gravitatem, in machinâ pneumaticâ non cohærerent, ſublato aëre: atqui nihilominus cohærent.

Resp. Dist. Maj. In machinâ pneumaticâ non cohærerent ob aëris craſſioris pondus, *C.* Ob aëris ſubtilis pondus, *N.*

Inst. *Tertiò.* Marmora duo tenaciter non cohærerent ob pondus illius corporis, quod ſuo facilè loco cedit, ſi propellatur vel leviter: atqui aër ſubtilis ſuo facilè loco cedit.

Resp. Dist. min. Atqui aër ſubtilis ſuo facilè loco cedit, modò ſit locus in quem ſe ſe recipiat dum propellitur, *C.* Si non ſit locus, *N.* Porro non eſt locus in quem ſe ſe recipiat aër ſubtilis quamdiu marmora non divelluntur, niſi fiat magna aëris compreſſio, id autem non fit niſi difficilè & adhibitâ vi ſufficiente.

Inst. *Quartò.* Marmora duo lævigata eò difficiliùs divelluntur quò latiora ſunt: atqui hoc non deberet contingere, ſi difficultas divellendi oriretur ab aëris incumbentis gravitate.

Prob. Min. Gravitas aëris æſtimatur à columnâ, columna autem ab altitudine: atqui altior non eſt columna aëris incumbentis ſuprà marmora latiora; ergo non deberent difficiliùs divelli.

Resp. dist. min. Atqui altior non eſt columna aëris incumbentis marmoribus latioribus, ſed plures ſunt ſimul attollendæ columnæ pluribus latiorum marmorum ſuperficiei partibus incumbentes, *C.* Secùs, *N.* Nam quò latiora ſunt marmora, eò premuntur à pluribus ſibi reſpondentibus columnis, atque ita majus incumbit pondus attollendum.

Inst. *Quintò.* Quo latior eſt columna aeris aquis incumbens, non altiùs aſſurgit aqua, ut videre eſt in tubis capacioribus & capillaribus; ergo quò latior eſt columna aeris incumbens marmoribus politis, nihilominus non difficiliùs divelli deberent.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſp. eſt, quia marmor eſt corpus ſolidum quod non poteſt moveri & comprimi ſecundùm unam ſui partem, quin ſecundùm omnes. At verò aqua eſt fluida, fluidorum autem pars una movetur & premitur, alterâ ſtante immotâ.

Inst. *Sextò. Et prob. ſup. min. de ſyringe.* Experientiâ conſtat quod qui attollit embolum ſyringis, certum aquæ aſcendentis experiatur pondus : atqui hoc non contingeret, ſi aeris gravitas procuraret aquæ aſcenſum.

Resp. Nego Min. Nam ideò manus ſentit pondus aquæ aſcendentis, quia aqua illa aſcendens contrà-ponderat columnæ aeris incumbentis aquæ ſubjectæ, atque ita minuit vim columnæ, quantitate ſui ponderis, ut ſi tres libræ aquæ attollantur, ſentiatur præcisè pondus trium librarum.

Inst. *Septimò.* Æqualis eſt columna aeris ſuprà embolum ponderantis & in infimâ parte ſyringis; ergo deberet eſſe perfectum æquilibrium aquæ cum aere.

Resp. Dist. Ant. Æqualis eſt columna aeris ſupra embolum & in infimâ parte, ſed hæc debilitatur quantitate aquæ præponderantis, *C.* Secùs, *N.*

OBIECTIO VI.

Si gravitas aeris ſit cauſa aſcenſus gravium in vulgatis experimentis, quò major erit gravitas aeris eò altius aſcendent gravia, & vice versâ : atqui hoc experientiæ repugnat.

Prob. Min. Major eſt aeris gravitas pluvio cælo quàm ſereno, flante Auſtro, quàm Boreâ : atqui nihilominus non aſcendunt gravia altiùs pluvio cælo quàm ſereno.

Resp. Nego Maj. Sed ècontrà major eſt aeris gravitas ſereno quàm pluvio cælo; id lubens ego tribuerem vaporibus unà cum aere permixtis ſereno cælo, tunc enim aer & vapores in unum veluti corpus, ſed gravius coaleſcunt.

Inst. *Primò.* Tunc aer debet eſſe gravior quando aeri permiſcentur gravia plura, atque heterogenea corpora : atqui pluvio cælo unà cum aere permiſcentur plures aquæ particulæ.

Resp. Nego Min. Vel Dist. Min. Atqui pluvio cælo heterogenea corpora permiſcentur cum aere, cæteris aliunde imparibus, *C.* Secùs, N. Nam ſereno cælo nullæ ſunt nubes quæ impediant ſummam

vim aeris, ejuſque directam preſſionem; ſunt vero pluvio cælo.

INST. *Secundò.* Cætera ſunt paria, ſi pluviæ conferant ad vim elaſticam aeris: atqui ita eſt.

PROB. MIN. Corpus quod condenſat aliud, confert ad vim elaſticam ejus: atqui pluviæ condenſant aera inter cadendum.

RESP. DIST. Si comprimat ita ut non illud ſuo pellat loco, *C.* Secùs, *N.* At pluvia decidens intercidit aera, & aliunde regnat vulgò ventus, qui cùm horizontaliter flet, videtur ſuſtinere gravitatem aeris craſſi.

QUÆSTIO OCTAVA.

De causâ deſcenſûs gravium.

I. PROPOSITIO.

Gravia non deſcendunt ab effluviis terræ magneticis.

PROBATUR. Ea non eſt vera cauſa deſcenſus gravium, quæ non poteſt conciliari cum iis omnibus phenomenis quæ ſpectant deſcenſum gravium: atqui effluvia terræ magnetica tanquam cauſæ deſcenſus gravium non poſſunt conciliari cum phenomenis quæ obſervantur in deſcenſu gravium. Nam primò obſervatur, gravia in æquatore & verſus polos terræ æqualiter & pari velocitate cadere; atqui ſi traherentur inter cadendum ab effluviis terræ magneticis, deberent velocius cadere verſus polos terræ; quia notum eſt magnetem fortius attrahere per polos ſuos, quam per partes æquatori viciniores: ſecundò obſervatur quod effluvia magnetica non attrahant ad magnetem, niſi certa quædam & magneti cognata corpora, ut ferrum; atqui gravia quælibet promiſcuè deſcendunt ad centrum terræ; ergo non attrahuntur ab effluviis magneticis.

OBIECTIO.

Ea ſtatui poteſt & debet cauſa deſcenſus gravium à quâ phyſicè juxtà & mecanicè poſſunt gravia præcipitari deorſum, atque ad centrum terræ dirigi: atqui ab effluviis terræ magneticis poſſunt gravia deorſum præcipitari, atque ad terræ centrum dirigi.

Resp. Nego Min. Nam effluvia illa magnetica vel incurrerent in gravia, vel ea inoffenſa permearent: ſi incurrant debent motu ſuo repellere potiùs quàm attrahere: ſi permeent inoffenſa, ergo non poterunt attrahere.

Inst. *Primò.* Tam gravia poſſunt phyſicè pelli deorſùm in centrum terræ ab effluviis è terrâ jugiter erumpentibus, quàm ferrum poſſit attrahi ad magnetem per effluvia magnetica jugiter erumpentia.

Resp. Nego Parit. Ratio diſparitatis eſt, quia quæcunque obſervantur magnetis phenomena in attractione ferri, facilè explicantur & conſentiunt effluviis magneticis: at non ita quæ obſervantur in deſcenſu gravium: primò, quia eſt æqualis ubique terrarum deſcenſus gravium, non eſt tamen æqualis magnetica vis, ſiquidem major eſt circa polos, ut contingit in magneticis lapidibus. Secundò, Gravia per profundum terræ hiatum demiſſa, non deciderent perpendiculariter, ſed ad latera deflecterent, ob magneticorum effluviorum fortiorem vim circa latera hiatûs. Tertiò, effluvia magnetica non attrahunt omnia promiſcuè corpora, ſed quæ ſibi cognata ſunt, at gravia quævis in terram ruunt.

Inst. *Secundò.* Ea poſſunt gravia deorſùm præcipitare phyſicè, quæ ſola poſſunt determinare gravia ad deſcendendum, & quibus ſublatis nunquam gravia deſcenderent: atqui effluvia terræ magnetica poſſunt ſola determinare gravia ad deſcendendum, iiſque ſublatis gravia nunquam deſcenderent.

Prob. Min. Ea ſola poſſunt determinare gravia ad deſcendendum, quæ ſpecialiter pertinent ad terram, & cum eâ connexionem habent ſpecialem: atqui ſola effluvia terræ magnetica ſpecialiter ad cor-

pus terræ pertinent, & cum eo connexionem habent ſpecialem.

Resp. Nego Min. Vel Dist. Atqui ſola effluvia terræ magnetica ſpecialiter ad terram pertinent, ut effectus ab eâ prodeuntes, *C.* Ut effectus vim habentes attrahendi corpora ad terram deorsùm, *N.*

Inst. *Tertiò.* Corpora quæ ſunt indifferentia ut ſurſum vel deorſum ferantur indigent determinari ab aliquo principio externo, ut deorſum ferantur, potiùs quàm quieſcant vel ſurſum moveantur: atqui gravia ſunt de ſe indifferentia, ut ſurſum vel deorſum moveantur, ſublatis terræ effluviis magneticis.

Resp. Nego Min. Nam determinantur vel à propriâ naturâ, ut placet Peripateticis, vel à materiâ ſubtili impellente deorſum, ut placet Recentioribus: at non ab effluviis attrahentibus.

Inst. *Quartò.* Materia quæ movetur circulariter, non poteſt procurare motum gravibus perpendicularem: atqui materia ſubtilis ad mentem Recentiorum, movetur circulariter & per turbines.

Resp. Dist. Maj. Materia quæ movetur circulariter non poteſt procurare motum perpendicularem mathematicè & quoad ſe, *C.* Senſibiliter & quoad nos, *N.* Nam motus qui reipsà eſt parabolicus, poteſt nobis apparere perpendicularis, ut conſtat de motu globi è ſummitate navis actæ decidentis, qui ſtantibus in littore eſt obliquus & ſtantibus in navi apparet perpendicularis.

Inst. *Quintò.* Materia quæ celerrimè movetur circulariter, debet ſecum rapere in eundem motum circularem corpora gravia: atqui materia ſubtilis, ad mentem Recentiorum, movetur circulariter & turbinatim; ergo gravia non debent ad terram cadere etiam perpendiculariter apparenter.

Resp. Dist. Maj. Si illa corpora gravia non reſiſtant motui circulari materiæ ſubtilis, *C.* Si reſiſtant, *N.* At reſiſtunt, ideoque ſubterfugiunt, quâ parte poſſunt versùs terræ centrum, ubi minor eſt reſiſtentia turbinis, quia ibi lentior eſt.

Inst. *Sextò.* Quæ causa eſt ut gravia tenaciter terræ adhæreant, eadem facit ut deſcendant ad terram: atqui effluvia magnetica ſunt cauſa cur adhæreant terræ gravia.

Prob. Min. Corpus adhærens magneti adhæret propter effluvia magnetica : atqui terra eſt ingens magnes.

Resp. Dist. Maj. Si corpus adhæreat magneti vi attractionis, *C.* Vi gravitatis, *N.* Sic ferrum magneti ſuperimpoſitum duplicem habet adhæſionem ; unam communem & vi ponderis, alteram ſpecialem vi attractionis & cognationis. Gravia autem terræ ſuperpoſita non aliam habent quàm communem adhæſionem vi ponderis ſui.

II. PROPOSITIO.

Deſcenſus gravium poteſt jucundè ſatis explicari per varios ætheres ſubſtantiæ turbines, ad mentem D. Peraldi, in Libro qui inſcribitur, Eſſais de Phyſique.

Probatur. Per illud poteſt jucundè ſatis explicari deſcenſus gravium, per quod poteſt reddi ratio mecanica & phyſica, cur gravia ruant quaſi ſponte ſuâ in centrum terræ. Atqui per turbines ætereæ ſubſtantiæ reddi poteſt ratio, cur gravia ruant in centrum terræ. Nam versùs illam partem tendere debent gravia, versùs quam præcipitentur neceſſe eſt à variis æthereæ ſubſtantiæ turbinibus & turbinum circulis præterlabentibus: atqui neceſſe eſt gravia præcipitari ad centrum terræ à variis æthereæ ſubſtantiæ turbinibus & turbinum circulis ; ſiquidem ſupponuntur turbines & circulos turbinum tardiores eſſe versùs centrum terræ, quam versùs Polos, aut circumferentiam. Ergo deſcenſus gravium poteſt explicari per turbines æthereæ ſubſtantiæ ad ſenſum D. Peraldi.

OBJECTIO.

Illa hypotheſis de causâ deſcenſûs gravium per varios æthereæ ſubſtantiæ turbines & circulos quædam ſupponit falsò proxima ; & quibus ſuppoſitis adhuc explicari nequeunt, quæcunque ſunt in deſcenſu gravium phenomena.

Probatur Propoſitio quoad primam partem.

Recentior illa hypotheſis ſupponit aera eſſe in triplici differentiâ: primo, craſſum, gravem: ſecundò, ſubtilem, graviorem: tertiò, ſubtiliſſimum, gravitatis expertem: atqui hæc ſunt falsò proxima.

Resp. Nego Min. Cùm enim aer ſubtiliſſimus ſit prima cæterorum corporum gravitatis cauſa, ipſe cogitari debet velut expers omnis gravitatis.

Inst. *Primò.* Si aer ſubtilis eſt gravior aere craſſo, aer ſubtiliſſimus debet eſſe graviſſimus.

Resp. Nego ſequelam, vel Dist. Cæteris aliunde paribus, *C.* Si cætera ſint aliunde imparia, *N.* At aer ſubtilis habet aliquam ſuæ gravitatis cauſam, nempe æthercam ſubſtantiam; ſubtiliſſimus verò non habet, alioqui daretur progreſſus in infinitum.

Inst. *Secundò.* Modò ſumma ſubtilitas poſſit conciliari cum ſummâ gravitate, certè aer ſubtiliſſimus poterit eſſe graviſſimus: atqui ſumma ſubtilitas poteſt conciliari cum ſummâ gravitate, ſicut conciliatur in aere ſubtiliori, qui nihilominus eſt craſſo gravior, *ex illâ ſuppoſitione.*

Resp. Dist. Min. Atqui ſumma ſubtilitas poteſt conciliari cum ſummâ gravitate in aliis à materiâ ſubtiliſſimâ corporibus, *C.* In ipsâ ætherea ſubſtantiâ, *N.* Ratio diſparitatis eſt, quia cætera corpora ſuam poſſunt mutuari gravitatem ab ætherea ſubſtantiâ deorſum præcipitante: at ipſa ætherea ſubſtantia mutuari non poteſt: ſiquidem eſt prima cauſa gravitatis.

Inst. *Tertiò.* Ætherea ſubſtantia concipi debet, vel ut gravis, vel ut levis, vel ut indifferens: atqui concipi non poteſt tanquam levis aut indifferens.

Prob. Min. Materia quæ debet corpora gravia deorſum præcipitare, non debet eſſe vel levis, vel indifferens ad gravitatem & levitatem: atqui ætherea ſubſtantia debet gravia deorſum præcipitare, ut ſupponitur.

Resp. Dist. Maj. Materia quæ debet gravia

deorſum præcipitare, directè premendo vel impellendo, *C*. Præterlabendo, *N*. Porro ætherea ſubſtantia non præcipitat gravia deorſum, impellendo directè vel premendo pondere ſuo, ſed præterlabendo, ferè ſicut aqua præterlabendo innatantia ſibi corpora ad fundum deturbat.

Inst. *Quartò*. Materia quæ præterlabendo gravia circulariter abriperet, præterlabendo non præcipitaret deorſum: atqui ætherea ſubſtantia præterlabendo deberet gravia circulariter abripere motu ſuo perniciſſimo.

Resp. Dist. Min. Si gravia motui ethereæ ſubſtantiæ circulari non obſiſterent, *C*. Si obſiſtant, *N*. At obſiſtunt quantùm poſſunt, ideoque ſubterfugiunt quâ parte faciliùs poſſunt versùs centrum terræ, quia minor ibi eſt turbinum motus & velocitas.

Inst. *Quintò*. Atqui gravia non obſiſtunt motui ethereæ ſubſtantiæ.

Prob. Subs. Si obſiſterent vel per ſuam materialitatem & ſoliditatem, vel per ſuam gravitatem: atqui non obſiſtunt per ſoliditatem & materialitatem, quæ nihil habet oppoſitum motui, neque per ſuam gravitatem, quam nullam adhuc concipiuntur habere.

Resp. Nego Min. & dico gravia obſiſtere motui circulari ethereæ ſubſtantiæ: primò, per ſuam ſoliditatem: ſecundò, per ſtatum quietis in quo condita ſunt ab initio, quem ſervant quantùm poſſunt; denique per ſuam gravitatem inchoatam. Hinc Distinguo hanc propoſitionem, Gravia nullam adhuc concipiuntur habere gravitatem in actu ſecundo, id eſt, gravitationem, *C*. In actu primo, id eſt, aptitudinem & diſpoſitionem ad gravitationem, *N*.

Inst. *Sextò*. Illa corpora non obſiſtunt motui ethereæ ſubſtantiæ circulari, quæ pervadit etherea ſubſtantia: atqui ætherea ſubſtantia pervadit gravia quæque corpora.

Resp. Dist. Min. Atqui ætherea ſubſtantia pervadit gravia quæque corpora, ita tamen ut incurrat in partes eorum ſolidas, *C*. Secùs, *N*. Cùm enim gravia habeant ſolidiores & compactiores aliquas partes, in eas incurrit ætherea ſubſtantia, atque impetum facit ut rapiat, & ni reſiſterent ex ſe, raperet profectò.

Iam probatur prima propoſitio quoad ſecundam partem.

Ex phenomenis deſcenſus gravium unum eſt, gravia inter deſcendendum ſuos accelerare motus: atqui hoc explicari nequit in hypotheſi D. Peraldi.

Prob. Min. Eò tardiùs deſcendere deberent gravia, quò à tardioribus æthereæ ſubſtantiæ turbinibus& circulis præcipitarentur: atqui quò plus deſcendunt gravia, eò à tardioribus circulis deturbantur, *ex hypotheſi D. Peraldi.*

Resp. Dist. Maj. Cæteris aliunde paribus, *C.* Cæteris imparibus, N. At ſi circuli inferiores ſupponuntur tardiores ſuperioribus, eò minùs etiam præ ſuâ tarditate obſiſtunt gravibus declinantibus.

Adde quod fieri poſſit ut corpus grave decidens de ſuperiori circulo in inferiorem, aliquid de priori impetu retineat, cùm novum aliquem impetûs gradum interim excipiat: quô fit ut vis addita vi evadat fortior.

Instabis. Tardiores illi circuli retardare debent gravia, ſi iis ſublatis velociùs gravia deſcenderent; atqui iis ſublatis velociùs gravia deſcenderent, quia determinatio priùs accepta in turbinibus ſuperioribus vehementior eſſet.

Resp. Dist. Maj. Tardiores illi circuli retardarent gravia ſecundùm quid, *C.* Simpliciter & abſolutè, N. Id eſt, gravia velociùs deſcenderent ſervando priorem impetum ſuum ſublatis turbinibus inferioribus: at iis turbinibus remanentibus, non omnino retardari debent: quia ſi aliquid ceſſat de priori impetu ex reſiſtentiâ inferiorum circulorum, aliquid interim novi impetûs acquiritur: atque ita utcunque velocior debet evadere deſcenſus gravium.

QUÆSTIO NONA.

De legibus motuum à Carteſio latis.

PROPOSITIO.

Leges communicationis motuum latæ à Carteſio non poſſunt tutò defendi.

Probatur. Leges quæ ſunt inutiles ad explicandos motus corporum naturalium dubiæ ratione principii in quo fundantur, & falſæ ratione ſui, profectò non poſſunt tutò propugnari: atqui leges communicationis motuum latæ à Carteſio ſunt hujuſmodi; ſunt quidem inutiles ad explicandos motus quos deprehendimus in corporibus naturalibus, quia in ferendis hiſce legibus vult Carteſius non habendam eſſe rationem virtutis elaſticæ corporum quæ moventur, & reſiſtentiæ medii in quo moventur; atqui hoc eſt, ferre leges de corporibus poſſibilibus, non de exiſtentibus. Deinde ſunt dubiæ ratione principii hujus, quod præmitit Carteſius legibus ſuis; *Eandem nunc perſeverare motus menſuram in mundo, quæ fuit ab initio*; quod, ut verum ſit, certè non eſt certum aut demonſtratum. Denique ſunt falſæ; præſertim verò iſta quæ eſt numero quarta; *Si corpus minus incurrat in corpus majus & quieſcens, nunquam poſſet alterum de ſuâ quiete dimovere quantumvis celeriter moveatur*; etenim falſa eſt iſta lex, ſi velocitas corporis minoris poſſit eſſe tanta ut non ſolùm adæquet, ſed & ſuperet reſiſtentiam majoris corporis quieſcentis; atqui poteſt velocitas minoris corporis adæquare & ſuperare reſiſtentiam majoris, ſiquidem poteſt velocitas hæc in infinitum augeri; cùm reſiſtentia corporis majoris quieſcentis eadem perſeveret ſemper. Ergo falſa eſt lex quam ſtatuit quarto loco Carteſius, proindéque leges à Carteſio latæ de communicatione motuum non poſſunt tutò defendi.

OBIECTIO.

OBIECTIO.

Ex ſeptem legibus à Carteſio latis de communicatione motûs, nulla eſt quæ primâ fronte videatur minùs veriſimilis, quàm quarta quæ ſtatuit corpus majus quieſcens, nunquam dimoveri poſſe à minori quantùmvis celeriter moto: atqui lex iſta vera eſt; ergo leges à Carteſio latæ ſunt veræ.

Prob. Min. Quarta lex iſta vera eſt, ſi corpus majus quieſcens ſemper ſit habiturum vim majorem ad reſiſtendum, quàm minus ad impellendum: atqui corpus majus quieſcens ſemper eſt habiturum vim majorem ad reſiſtendum quàm poſſit habere corpus minus ad impellendum.

Resp. Nego Min. Nam corpus minus tantam poteſt habere velocitatem, ut ſuperet reſiſtentiam corporis majoris quieſcentis: ſic globus bombardilis muros civitatis evertit.

Inst. *Primò*. Corpus illud ſemper eſt habiturum vim majorem ad reſiſtendum, quod plus habet molis, pluſque quietis quàm corpus alterum habet molis & motûs: atqui corpus majus quieſcens plus habet molis & quietis, quàm corpus minus habeat molis & motûs.

Resp. Dist. Maj. Quod plus habet molis & quietis, cæteris paribus, *C*. Cæteris imparibus, *N*. At cætera aliunde paria non ſunt inter utrumque corpus: nam quies non eſt vis aliqua poſitiva, ſed eſt mera privatio; motus autem eſt poſitiva quædam vis, quæ in infinitum poteſt augeri.

Inst. *Secundò*. Cætera ſunt paria, ſi quies corporis majoris quieſcentis ſemper futura ſit major quàm motus minoris corporis. atqui quies ſemper eſt futura major, quàm motus ob majorem numerum partium quieſcentium in majori corpore.

Resp. Dist. Maj. Si quies corporis quieſcentis ſemper futura ſit major intenſivè & quoad gradum, *C*. Major extenſivè, *N*. At motus in minori corpore erit major intenſivè, quia poteſt in infinitum augeri in eâdem parte ſubjecti.

Inst. *Tertiò*. Ibi quies erit major etiam intenſi-

vè, ubi plures erunt gradus quietis: atqui in corpore majori plures ſemper erunt gradus quietis, quàm gradus motûs in minori corpore, quia plures erunt ſemper partes quieſcentes.

RESP. DIST. MAJ. Ubi plures erunt gradus quietis in eàdem parte ſubjecti, C. In diverſis ſubjecti partibus, N. Nam licèt in majori corpore plures futuræ ſint partes quieſcentes, ſingulæ tamen partes non participabunt intenſionem quietis, quia quies non eſt intenſionis capax, utpote mera privatio motûs.

INST. *Quartò*. Quies quæ tanta eſt ut major eſſe non poſſit in corpore, certè major eſt intenſivè, quàm motus, qui major & major eſſe poteſt in infinitum: atqui quies in corpore quieſcente tanta eſt ut major eſſe non poſſit abſolutè.

RESP. DIST. MAJ. Quæ tanta eſt ut major eſſe non poſſit tanquam vis aliqua poſitiva infinitos habens gradus, C. Tanquam mera privatio, N. Porro quies ſumma eſt in corpore quieſcente, non tanquam vis aliqua poſitiva, ſed tanquam mera privatio, ſicut nocte profundâ tantæ ſunt tenebræ, ut majores eſſe nequeant.

INST. *Quintò*. Atqui quies ſpectari debet in corpore tanquam vis aliqua poſitiva.

PROB. SUBS. Status corporis, cujus corpus non minùs eſt tenax, quàm ſit tenax motûs, & in quo corpus ab initio creatum eſt, ſpectari debet in corpore tanquam vis quædam poſitiva, ſicut ſpectatur motus: atqui quies eſt hujuſmodi.

RESP. DIST. MAJ. Status corporis poſitivus, cujus corpus eſt poſitivè tenax, C. Status privativus vel negativus, N. Porro quies eſt ſtatus corporis negativus, dicens privationem motûs in corpore, ſicut tenebræ ſunt ſtatus negativus aeris in quo pariter legimus aera fuiſſe à Deo creatum, *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Geneſ. Cap. 1°.

INST. *Sextò*. Tam ſtatus corporis permanenti in eodem loco ſpectari debet tanquam poſitivus quàm ſtatus corporis perpetuò tranſeuntis de loco in locum habeatur ut poſitivus.

RESP. NEGO Parit. Ratio diſparitatis eſt, qui ad tranſeundum de loco in locum, opus eſt vi al quâ poſitivâ, actione, & poſitivo influxu: at ver ad permanendum in eodem loco, nullâ vi opus eſt

nullâ actione, ſed merâ ceſſatione vis & actionis : hoc enim ipſo corpus intelligitur quieſcere, quo præcisè non movetur, ſine ullâ vi aut actione.

Inst. *Septimò.* Status ille corporis non eſt minùs poſitivus quàm motus, ad quem corpori procurandum tantâ vi opus eſt, quantâ ad procurandum motum: atqui ad procurandam quietem tantâ vi opus eſt, quantâ ad motum efficiendum : ſic Remiges tantùm laborant in ſiſtendâ navi, quantùm in eâ movendâ.

Resp. Dist. Min. Atqui ad procurandam quietem tantâ vi & conatu opus eſt, ratione motûs ſiſtendi, C. Ratione quietis præcisè, N. Sic Remiges propriè non laborant in producendâ quiete, ſed in ſiſtendâ navi motâ, ſeu in deſtruendo motu priori per poſteriorem contrarium ; igitur vim adhibent in efficiendo motu contrario, non autem in efficiendâ quiete.

Inst. *Octavò.* Siſtere motum eſt producere quietem.

Resp. Dist. Eſt producere indirectè, C. Directè & poſitivè, N. Sicut auferre lucem eſt producere tenebras, ſed valdè impropriè.

QUÆSTIO DECIMA.

De variis Mundi Syſtematibus.

OBſervandum eſt tria præſertim circumferri mundi ſyſtemata : primum eſt Ptolemaïcum : ſecundum eſt Copernicanum : tertium eſt Tychonicum.

In Ptolemaïco, terra ſtat in centro mundi immota, Sol autem annuo motu ſimul & diurno circa terram movetur : cæli duodecim terram ambiunt, nempe ſeptem pro totidem planetis, unum pro ſtellis fixis, duo criſtallini, primum mobile, & empyreum.

In Copernicano, Sol ſtat immotus in medio mundi, & circa ipſum movetur terra cum cæteris planetis.

In Tychonico, terra ſtat immota in centro mundi: Sol autem movetur: non eſt interim tanta cælorum multitudo, quanta in Ptolemaïco.

I. PROPOSITIO.

Syſtema Ptolemaïcum defendi non poteſt.

Probatur. Defendi non poteſt ſyſtema mundi, quod apertè repugnat legibus mecanices, principiis phyſices, & obſervationibus aſtronomicis: atqui ſyſtema Ptolemaïcum eſt hujuſmodi; repugnat quidem legibus mecanices, quatenus mundi machinam implicat partibus inutilibus, videlicet epicyclorum & cælorum onerosâ multitudine; deinde repugnat principiis phyſices, quatenus terram in centrum mundi relegatam ſtatuit immotam prorſus in medio mobilium pene immenſorum: denique repugnat obſervationibus aſtronomicis, quia in ſyſtemate Ptolemaïco, explicari nequit cur Mercurius & Venus appareant modò pleni, modò falcati, ſiquidem perfectam cum ſole oppoſitionem nunquam contrahere poſſunt in eo ſyſtemate in quo non digrediuntur à ſole pluſquam 28. gradibus Mercurius, & 48. Venus: deinde explicari nequit, cur Mercurius appareat Venere ſplendidior, ſiquidem à ſole remotior eſt in ſyſtemate Ptolemaïco; ergo ſyſtema Ptolemaïcum pluribus de cauſis defendi non poteſt.

OBJECTIO.

Syſtema Ptolemaïcum non repugnat mecanicis principiis, modò non implicet mundi machinam partibus inutilibus: atqui ita eſt.

Prob. Min. Non magis mundi machinam implicant cæli plures, v. g. duodecim, quàm horologium implicent plures rotæ & plura pondera.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt; quia fortè horologium explicari nequit vel elaborari ſine rotis pluribus, quarum prima moveat ſecundam: at verò mundi machina poteſt & meliùs explicari ſine tantâ cælorum multitudine. Adde

quòd horologium eò perfectius ſit quò ſimplicius.

Inst. *Primò.* Mundi machina non poteſt explicari ſine tantâ cælorum multitudine, modò quilibet planeta ſuum ſibi vindicet peculiare cælum : atqui planeta quilibet vindicat ſibi ſuum peculiare cælum.

Prob. Min. Si planetæ omnes eſſent in uno eodemque cælo, identidem confunderentur inter ſe movendum, ſicut piſces in mari, vel aves in aere : atqui implicat planetas confundi.

Resp. dist. Maj. Si planetæ omnes eſſent in uno eodemque cælo & in eadem cæli altitudine, C. In diverſâ altitudine illius cæli, N. At planetarum alii ſunt ſuperiores, alii inferiores, quò fit, ut nunquam confundi poſſint.

Inst. *Secundò.* Quæ errant in eodem fluido, poſſunt identidem confundi : atqui planetæ errarent in uno eodemque cælo fluido, niſi ſuum ſibi quiſque vindicaret peculiare cælum ; ergo temerè confundi poſſent.

Resp. Dist. Maj. Quæ errant certis ſine legibus, C. Secundùm certas & ab Authore mundi præſcriptas leges, N. At certi ſunt & determinati motus planetarum, conſtantes eorum periodi : ideoque non eſt timendi locus, ne ſibi occurrentes confundantur.

Inst. *Tertiò.* Idem corpus non poteſt moveri ſimul motibus contrariis : atqui ſi planetæ omnes errarent in eodem cælo, idem cælum ſimul moveretur pluribus motibus contrariis, quia planetæ non omnes motus habent conſimiles, ſed alii alios.

Resp. dist. Maj. Idem corpus non poteſt moveri ſimul motibus contrariis ſecundùm eandem ſui partem, C. Secundùm diverſas ſui partes, N. Sic idem aer ſecundùm varias ſui partes diverſis & propè innumeris ſimul cietur motibus, ſimiliter & Oceanus.

Inst. *Quartò.* Una pars alicujus continui moveri non poteſt, quin eodem motu moveatur altera pars ejuſdem continui, ob mutuam & continuam omnium connexionem : atqui cælum planetarum eſſet idem continuum ; ergò moveretur contrariè ſecundùm eaſdem partes.

Resp. Dist. Maj. Una pars continui ſolidi,

C. Fluidi, N. At cælum planetarum cogitari debet fluidum, ſicut aer vel aqua.

Inst. *Quintò.* Atqui cælum planetarum non debet cogitari ut fluidum.

Prob. Subs. Firmum & ſolidum ſunt quid idem: atqui cælum quodlibet eſt firmum, *Verbo Domini cæli firmati ſunt.*

Resp. Dist. Min. Atqui cælum quodlibet eſt firmum; firmitate ſumptâ pro diuturnitate, C. Firmitate ſumptâ pro ſoliditate, N. Locus enim citatus intelligitur ſic: *à Deo cæli creati ſunt, ut æternum perſeverarent.*

Inst. *Sextò.* Atqui cælum quodlibet eſt firmum, firmitate ſumptâ pro ſoliditate.

Prob. Subs. Quod eſt ſolidiſſimum & velut ære fuſum, certè firmum eſt firmitate ſumptâ pro ſoliditate: atqui ex Scripturâ Job 37. *Cæli ſunt ſolidiſſimi & velut ære fuſi.*

Resp. Dist. Min. Atqui ex Scriptura cæli ſunt ſolidiſſimi, ex Scripturâ id dictum ab homine privato referente, C. Ex Scripturâ approbante, N. Nam Scriptura id narrat, ab Eliu uno ex amicis Job prolatum; at nedum id confirmet, videtur refellere his verbis ſequentibus, *Reſpondens autem Dominus Job de turbine, dixit, Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis.*

II. PROPOSITIO.

Syſtema Copernicanum defendi poteſt tanquam hypotheſis.

Probatur. Defendi poteſt tanquam hypotheſis ſyſtema mundi, quod legibus mecanices, principiis phyſices, & obſervationibus aſtronomicis apprimè cohæret: atqui ſyſtema Copernicanum eſt hujuſmodi, atque in eo eſt opportunum maximè, quod vitet incommoda, & Ptolemaïco & Tychonico obiic ſolita, non implicat mundi machinam partibus inutilibus, nihil ſupponit immotum in medio mobilium obſervationibus aſtronomorum egregiè ſatisfacit ergo ſyſtema Copernicanum defendi poteſt tanquam hypotheſis.

OBJECTIO I.

Experientiâ conſtat, gravia quæque corpora deorſum decidere per lineas rectas ſeu perpendiculares : atqui hoc non poteſt explicari in Syſtemate Copernicano.

Prob. Min. Deſcenſus gravium per lineas perpendiculares non poteſt explicari in eo ſyſtemate, quo poſito gravia obliquè caderent : atqui poſito ſyſtemate Copernicano gravia obliquè caderent, ſiquidem inter deſcendendum raperentur motu communi terræ.

Resp. dist. Min. Atqui poſito ſyſtemate Copernicano, gravia obliquè caderent quoad ſe & in rei veritate, *C.* Quoad nos & apparenter, *N.* Nam motum illum tanquam rectum perciperemus, qui tamen foret obliquus ; ſicut motus globi decidentis è ſummitate mali in ſubjectum tabulatum navis celeriter actæ apparet perpendicularis ſtantibus in navi, & tamen reipsà obliquus eſt, & videtur talis ſtantibus in littore.

Inst. *Primo.* Corpora quæ cadendo reſpondent lineæ perpendiculari quoad ſe, decidunt per lineas perpendiculares quoad ſe & in rei veritate : atqui gravia cadendo reſpondent lineæ verè perpendiculari quoad ſe.

Prob. Min. Paries erectus ad plumbum, eſt linea verè perpendicularis quoad ſe : atqui gravia cadendo reſpondent parieti ad plumbum erecto.

Resp. dist. maj. Paries erectus ad plumbum ſpectatus ut quieſcens eſt linea perpendicularis, *C.* Spectatus ut motus communi motu turbinis, *N.* At in ſyſtemate Copernicano paries terræ ſuperexſtructus motu terræ abripitur, & motu ſuo deſcribit lineam obliquam, ſicut malus navis celeriter motæ : nobis tamen non apparet ille motus obliquus, quia cum eodem nos moveamur motu, ejus nullus eſt in nobis ſenſus, ut fit in navi.

Inst. *Secundò.* Debemus judicare de rebus prout nobis apparent dum adſunt omnia ad bene ſentiendum idonea ; ergo ſi corpus grave apparet nobis deſcribere lineam perpendicularem juxta parie-

tem ad plumbum erectum, debemus judicare corpus illud verè deſcribere lineam perpendicularem quoad ſe.

Resp. Dist. Ant. Debemus judicare de rebus prout nobis apparent, habitâ ratione circumſtantiarum, *C*. Secus, *N*. Ut ergo ſolidum feramus judicium de deſcenſu gravium, & de lineâ quam deſcribunt, eſt collatio facienda omnium circumſtantiarum, v. g. motûs globi decidentis duplicis ſeu compoſiti ex motu recto & circulari communi, ex quâ compoſitione oritur motus gravium obliquus qui tamen apparere debet tanquam perpendicularis ob motum communem & gravibus cadentibus & nobis, cujus proinde ſenſus nobis eripitur.

Inst. *Tertiò* Atqui impoſſibile eſt gravia deſcribere lineam obliquam ſeu mixtam.

Prob. Subs. Quæ inter deſcendendum unicò & ſimplici motu orto à gravitate ſuâ moventur, certè non deſcribunt lineam obliquam: atqui gravia inter decidendum unico & ſimplici motu cientur perpendiculari, & nullatenùs circulari ſeu communi.

Prob. Min. Si gravia inter decidendum moverentur motu circulari turbinis ætheræ ſubſtantiæ, gravia nunquam attingerent ſubjectum pavimentum vel tabulatum: atqui hoc experientiæ repugnat.

Resp. Nego maj. Sicut enim globus è ſummitate mali demiſſus cadit ad pedem mali, ita gravia in hypotheſi Copernicanâ caderent in ſubjectum pavimentum.

Inst. *Quartò*. Corpora quæ circulari motu ætheræ ſubſtantiæ perniciſſimo abriperentur ab Occaſu in Ortum, nunquam attingerent pavimentum ſubjectum: atqui gravia moru ætheræ ſubſtantiæ circulari & perniciſſimo raperentur.

Resp. Dist. Min. Atqui gravia motu circulari raperentur, niſi propriâ gravitate reſiſterent, *C*. Si reſiſtant, N. At reſiſtunt & ſubterfugiunt præ ſuâ gravitate, ſicque decidunt versùs centrum terræ.

Inst. *Quintò*. Corpora quæ gravitate ſuâ non poſſent vincere vim ætheræ ſubſtantiæ circulariter rapientis, nunquam deberent cadere deorſum: atqui gravia non poſſent gravitate ſuâ mediocri vincere vim maximam motûs circularis ætheræ ſub-

ſtantiæ, ut ſit in globo bombardili.

Resp. Dist. Min. Atqui gravia non poſſent vincere motum rapidiſſimum ætheræ ſubſtantiæ, ſi motus ille ſit ubique uniformis, *C.* Si non ſit uniformis, N. At motus ætheræ ſubſtantiæ major eſt in ſuperioribus circulis à terrâ procul diſſitis, & lentior in inferioribus, quo fit ut gravia ſubterfugiant à ſuperioribus vehementioribus ad inferiores tardiores; qui præ ſuâ tarditate minùs reſiſtunt & faciliorem præbent gravibus tranſitum.

OBIECTIO II.

SYſtema Copernicanum ſtatuit Solem immotum in centro mundi, dum circa ipſum cætera quæque moventur corpora: atqui principiis phyſicis repugnat Solem ſtare immotum tot inter mobilia ipſum undequaque ambientia.

Resp. Dist. Maj. Statuit Solem immotum motu tranſlationis, *C.* Motu circa proprium axem, *N.* Nam Copernicani non negant, quin Sol circa ſeipſum orbiculariter moveatur: ita tamen ut ſuo totus non cedat loco, ſicut dum rota axim circa ſuum convolvitur.

Inst. *Primò.* Principiis phyſicis repugnat Solem ſtare immotum motu tranſlationis, ſi Phyſica doceat quidquid movetur circulariter niti recedere à centro motûs ſui, & transferre ſe aliò: atqui hoc Phyſica docet.

Resp. *Primò.* Dist. Min. Atqui Phyſica docet quidquid movetur circulariter niti recedere à centro motûs ſui, ſi quod movetur non ſit ipſiſſimum centrum, *C.* Si ſit centrum ipſum, N. At Sol in hypotheſi Copernicanâ eſt centrum univerſi, ideoque non poteſt à centro recedere.

Resp. *Secundò.* Dist. Min. Quidquid movetur circulariter, recedit à centro motûs ſui, recedit per accidens, ſi fuerit corpus grave, *Eſto*, Recedit per ſe & ratione motûs circularis, N. At Sol cogitatur à Copernicanis tanquam gravitatis expers.

Inst, *Secundò.* Quod in quolibet puncto ſuî

motûs per ſe determinatum eſt ad lineam rectam, recedit per ſe à motu circulari : atqui quidquid movetur circulariter in quolibet puncto ſui motûs eſt per ſe determinatum ad lineam rectam.

Resp. Nego Min. Quia quælibet pars circuli eſt circularis, proinde que mobile non determinatur in eo deſcribendo ad motum rectùm.

Inst. *Tertiò*. Quodlibet punctum motûs circularis eſt principium lineæ rectæ, quæ eſt circuli tangens; ergo mobile in quolibet puncto circuli determinatum eſt ad lineam rectam.

Resp. Dist. Ant. Quodlibet punctum motûs circularis, ſi ſpectetur mathematicè, *Tranſeat*, Si ſpectetur phyſicè, Subdistinguo : Eſt principium lineæ rectæ ſimul & circularis, *C.* Lineæ rectæ tantùm, N. Nam quælibet circuli pars eſt arcuata & circularis.

Inst. *Quartò*. Lapis circumactus nititur à motu ſuo circulari recedere : atqui nititur in id, vi ſui motûs circularis.

Resp. Nego Min. Sed ideo lapis nititur recedere à motu circulari, quia gravis eſt, & vi ſuæ gravitatis nititur deorſum perpendiculariter.

Inst. *Quintò*. Si lapis niteretur recedere à motu ſuo circulari ob ſuam gravitatem, & non vi ſui motûs circularis, lapis ille ſolutus à fundâ rotante, eò recederet, quò gravitas impelleret, id eſt, deorſum ; atqui non ita res eſt.

Resp. Dist. Maj. Lapis ſolutus eò recederet, quò gravitas impelleret, niſi vehementior eſſet impetus à projectore impreſſus, *C.* Secùs, N. At impetus rotantis fundam vincit propriam lapidis gravitatem ejuſque motum perpendicularem.

OBJECTIO III.

Illud ſyſtema propugnari non poteſt, quod non poteſt conciliari cum pluribus Scripturæ ſacræ locis : atqui ſyſtema Copernicanum de motu terræ & quiete Solis non poteſt conciliari cum pluribus Scripturæ ſacræ locis.

Resp. Dist. Maj. Illud ſyſtema propugnari

non poteſt tanquam veritas realis, *C.* Tanquam hypotheſis poſſibilis, *N.*

Inst. *Primò.* Propugnari non poteſt abſolutè niſi quod verum eſt: atqui ſyſtema quod repugnat Scripturæ ſacræ verum non eſt; quia verum vero non repugnat.

Resp. Dist. Min. Atqui ſyſtema quod repugnat Scripturæ ſacræ verum non eſt veritate reali, quaſi ita jam exiſtat realiter, *C.* Verum non eſt veritate objectivâ ſeu poſſibili, quaſi abſtrahendo à divinâ revelatione non poſſit ſic exiſtere, *N.*

Inst. *Secundò.* Syſtema Copernicanum repugnat obſervationibus Aſtronomicis; ergo non poteſt propugnari tanquam hypotheſis.

Prob. Ant. Obſervant Aſtronomi ſtellas fixas æqualis ſemper nobis apparere diametri quâlibet anni tempeſtate: atqui in ſyſtemate Copernicano non ita res ſe haberet.

Prob. min. Tunc ſtellæ fixæ non deberent æqualis ſemper nobis apparere diametri, quando eſſemus ipſis modò propiores modò remotiores: atqui unâ anni tempeſtate eſſemus ſtellis fixis propiores totâ diametro orbitæ terræ.

Resp. Dist. Maj. Quando eſſemus ſtellis fixis propiores ſenſibiliter & notabiliter, *C.* Inſenſibiliter & minùs notabiliter, *N.* Porro major noſtra approximatio ad ſtellas fit valde inſenſibilis, ſi conferatur cum ingenti diſtantiâ ſtellarum fixarum à terra quam propè infinitam ſupponunt Copernicani.

Inst. *Tertiò.* In ſyſtemate Copernicano unâ anni tempeſtate eſſemus ſtellis propiores totâ diametro orbitæ annuæ terræ circa Solem: atqui tanta approximatio eſt ſenſibilis, quia ſecundùm calculum eſt 20000. diametrorum terræ, quælibet autem terræ diameter eſt 1500. leucarum circiter.

Resp. Dist. Min. Atqui tanta approximatio eſt ſenſibilis abſolutè, & nullâ habitâ ratione ingentis & propè infinitæ diſtantiæ noſtri à ſtellis, *C.* Relativè ad diſtantiam indefinitam ſtellarum à terris, *N.*

Inst. *Quartò.* Si tanta foret, ut fingitur à Copernicanis diſtantia ſtellarum fixarum à terris, lumen à ſtellis ad oculos noſtros in inſtanti non pertingeret; atqui in inſtanti pertingit.

Resp. Dist. Maj. Lumen à ſtellis fixis ad oculos in inſtanti non pertingeret mathematico, *C.* Inſtanti morali, id eſt, brevi temporis intervallo, *N.* At lumen in inſtanti mathematico non propagatur, ſed celerrimâ ſucceſſione.

Inst. *Quintò.* Non poteſt fieri tranſitus inter terminos infinitè propè diſtantes in inſtanti morali, intra breve tempus: atqui in ſyſtemate Copernicano fieret tranſitus inter terminos infinitè propè diſtantes, nempe à ſtellis ad oculos.

Resp. Dist. Maj. Non poteſt fieri tranſitus inter terminos infinitè diſtantes in inſtanti morali, ſi tranſitus fiat per motum localem ſucceſſivum, *C.* Si tranſitus fiat per tranſmiſſionem ſine motu locali, *N.* Sic ſi foret virga à cœlo ad terram protenſa, quo inſtanti moveretur directè eâ parte quæ cœlum tangeret, eodem moveretur, quâ parte terris reſponderet: at lumen explicatur per radios ætheretæ ſubſtantiæ à corpore lucido ad oculos uſque noſtros quaſi per totidem baculos: igitur quo inſtanti premuntur à ſtellis fixis, eodem faciunt ſui impreſſionem in oculis, atque ita intra breve temporis intervallum.

QUÆSTIO UNDECIMA.

De Naturâ luminis.

PROPOSITIO.

Lumen conſiſtit in preſſione celeri & directâ ætherea ſubſtantia factâ à lucido corpore.

Probatur. Lumen in eo conſiſtit per quod poſſunt explicari quæcumque ſunt luminis phenomena & proprietates: atqui per preſſionem directam, & celerem ætheretæ ſubſtantiæ factam à lucido corpore, explicantur quæcunque ſunt luminis phenomena & proprietates, præſertim verò propagatio luminis celerrima

lerrima

ſerrima & pene inſtantanea reflectio luminis à corpore duro, & refractio in corpore denſiori, vel rariori; ergo lumen conſiſtit in eâ preſſione.

OBJECTIO I.

IN eo non conſiſtit lumen, quo poſito non ponitur lumen, & quo ſublato lumen non tollitur: atqui poſitâ celeri preſſione æthereæ ſubſtantiæ, non ponitur lumen; ſublatâ celeri preſſione illius, non tollitur lumen.

PROB. MIN. *Quoad primam partem.* Nocte profundâ remanet preſſio materiæ ſubtilis in aere: atqui tamen nullum remanet tunc lumen; ergo poſitâ preſſione materiæ ſubtilis non ponitur lumen.

RESP. DIST. MAJ. Nocte profundâ remanet preſſio materiæ ſubtilis, preſſio indeterminata & ad luminis ſpeciem inſufficiens, *C.* Preſſio directa & ad lucem ſufficiens, *N.* Nam abſente lucido corpore, lineæ materiæ ſubtilis non amplius premuntur, ut priùs, directè, celeriter & imperturbatis radiis.

INST. *Primò.* Ibi remanet eadem preſſio materiæ ſubtilis directa & ad lucem ſufficiens, ubi materia ſubtilis remanet in eodem ſtatu & loco in quo fuerat priùs: atqui nocte profundâ materia ſubtilis remanet in eodem ſtatu & loco, uti priùs.

RESP. DIST. MAJ. Ubi materia ſubtilis remanet in eodem ſtatu & loco, accuratè, & mathematicè, *C.* Moraliter, *N.* Porro de noctu materia ſubtilis ceſſat comprimi & coarctari, quâ ratione de die comprimebatur ob præſentiam lucidi corporis.

INST. *Secundò.* Nocte profundâ remanet materia ſubtilis in eodem ſtatu & loco accuratè & mathematicè, in quo poſita fuerat à corpore lucido interdiu, ſi ad eaſdem tunc redigatur anguſtias, ut priùs: atqui de noctu materia ſubtilis ad eaſdem redigitur anguſtias.

PROB. MIN. Materia ſubtilis de noctu redigitur ad eaſdem anguſtias, ſi recedente lucido corpore ſuccedat aliud corpus id ipſum ſuâ præſentiâ præſtans, quod priùs præſtabat lucidum corpus: atqui ità eſt.

Resp. Dist. Min. Atqui corpus ſuccedens idipſum præſtat quod præſtabat corpus lucidum, idipſum quoad aliqua, *C.* Quoad omnia, *N.* Quamvis enim occupet locum à lucido corpore relictum, quia tamen non habet partes ſuas in pari motu conſtitutas, non ità premit radios æthereæ ſubſtantiæ.

Inst. *Tertiò.* Fluidum corpus ſuccedens fluido id ipſum præſtat quoad preſſionem: atqui corpus ſuccedens corpori lucido eſt fluidum fluido ſuccedens, v. g. pars cæli ſuccedens corpori ſolari; ergo idipſum præſtat quoad preſſionem.

Resp. Dist. Maj. Fluidum corpus ſuccedens fluido idipſum præſtat quoad preſſionem, cæteris utrinque paribus, *C.* Cæteris imparibus, *N.* At corpus lucidum cùm partes ſuas habeat in perniciſſimo motu poſitas fortiùs impellit, quàm corpus non lucidum: ſic aqua ebulliens plus poteſt quàm aqua frigida.

Inst. *Quartò.* Corpus agens in fluidum non longè transfert ſuam impulſionem; ſic lapis cadens in aquam, ad levem diſtantiam cauſat motionem aquarum: atqui corpus lucidum agit in materiam ſubtilem fluidam; ergo non deberet impulſio facta à corpore lucido ad oculos uſque noſtros pertingere.

Resp. Dist. Maj. Corpus agens in fluidum non longè transfert ſuam impulſionem, ſi impulſio fuerit lenta & lenis, *C.* Si impulſio fuerit ſubita & vehemens, *N.* At impulſio facta à corpore lucido in æthercam, ſubſtantiam eſt vehemens & ſubita, ideoque longè latéque porrigitur.

Jam probatur Min. quoad ſecundam partem.

Nocte profundâ tollitur preſſio æthereæ ſubſtantiæ à corpore lucido: atqui interim non tollitur lumen ab adamante, v. g. ergo ſublata preſſione æthereæ ſubſtantiæ non tollitur lumen.

Resp. Dist. Maj. Nocte profundâ tollitur preſſio æthereæ ſubſtantiæ quâ parte lumen nullum eſt, *C.* Quâ parte lumen eſt, *N.*

Inst. *Primò.* Lumen eſt in adamante mediis in tenebris conſtituto: vel etiam in ligno putrido, & piſcibus corruptioni proximis: atqui ibi nulla eſt preſſio æthereæ ſubſtantiæ.

Prob. Min. Ut ibi foret preſſio æthereæ ſub-

ſtantiæ ad lumen exhibendum deberent partes illorum corporum eſſe in motu celeri & perniciſſimo: atqui partes adamantum & ligni putridi non ſunt in motu celeri & perniciſſimo.

Resp. Dist. Maj. Deberent partes inſenſibiles eſſe in motu celeri, C. Partes ſenſibiles, N. Porro partes adamantum inſenſibiles ſunt in motu celeri poſtquam affrictæ ſunt, ſimiliter & partes ligni putridi, in quibus ideircò eſt ſolutio continui.

Inst. *Secundò.* Atqui ut in adamante & ligno putrido foret preſſio ad lumen exhibendum, non ſatis eſt, quod partes eorum inſenſibiles eſſent in motu celeri.

Prob. Subs. Ad ſenſationem luminis excitandam non ſufficit motus partium inſenſibilium celer & directus: atqui adamas & lignum putridum lumine ſuo excitant in nobis ſenſationem; ergo non ſatis eſt quod moveantur ſecundùm partes inſenſibiles.

Resp. Nego Maj. Sic motus partium inſenſibilium corporis calidi excitat in nobis ſenſationem caloris.

Inst. *Tertiò.* Non magis inſenſibile ſufficit ad excitandum ſenſum & ſenſationem, quàm inviſibile ſufficiat ad excitandum viſum & viſionem.

Resp. dist. Maj. Inſenſibile ſimpliciter & ſub omni reſpectu, C. Secundùm quid tantùm, N. At partes inſenſibiles, quæ motu ſuo excitant organum ſenſûs, dicuntur inſenſibiles non ſimpliciter ſed ſecundùm quid, eò quod ſint tenues admodum & exiguæ, cùm interim impreſſionem faciant in tenues oculorum particulas.

Inst. *Quartò.* Corpora valde compacta & duriſſima non videntur habere partes etiam inſenſibiles in tanto motu: atqui adamas eſt corpus valde compactum, & interim lucens etiam ſine affrictu.

Resp. Dist. Maj. Corpora valde compacta non videntur habere partes in tanto motu, partes ad ſuam ſubſtantiam pertinentes, *Eſto*: partes ſuis in poris contentas, N. At adamas utpote corpus diaphanum habet æthereæ ſubſtantiæ particulas ſuis in poris contentas, quæ premuntur à corpore lucido, excipiuntur ab adamante, & ab eo reflectuntur.

Inst. *Quintò.* Corpus lucidum debet habere partes ad ſuam ſubſtantiam pertinentes in motu ce-

leri : atqui adamas eſt corpus lucidum.

Resp. dist. Maj. Corpus lucidum lumine proprio & primario, *C.* Lumine alieno & reflexo, *N.* At adamas ex ſe non profundit lumen, ſed acceptum à lucido corpore regerit.

Inst. *Sextò.* Quod lucet in tenebris etiam ante affrictum, eſt corpus lucidum lumine proprio & directo : atqui adamas lucet in tenebris etiam ante affrictum.

Resp. Dist. Min. Atqui adamas lucet in tenebris ſecundum quid dictis, *C.* Simpliciter dictis, *N.* Nam quandiu lucet adamas, viget aliquid luminis aliunde mutuati : parum autem iſtud luminis colligitur in adamante & collectum reflectitur.

OBJECTIO II.

Lumen non conſiſtit in eo per quod non poteſt explicari luminis propagatio : atqui per preſſionem æthereæ ſubſtantiæ explicari non poteſt luminis propagatio.

Prob. Min. Luminis propagatio conſiſtit in eo quod lumen in inſtanti diffundatur à corpore lucido ad infinitam propè diſtantiam per interjectum corpus diaphanum : atqui ſi lumen conſiſteret in preſſione æthereæ ſubſtantiæ, non fieret in inſtanti ejus diffuſio, ſecundò non poſſet permeare rectà corpus interjectum.

Prob. Min. *Quoad primam partem.* Motus localis non poteſt fieri in inſtanti : atqui preſſio æthereæ ſubſtantiæ vel eſt motus localis vel conjuncta cum aliquo motu locali.

Resp. Dist. Maj. Motus localis non poteſt fieri in inſtanti mathematico, *C.* In inſtanti morali, *N.* At lumen non diffunditur niſi in inſtanti morali, id eſt breviſſimâ temporis parte, ut demonſtravit non ita pridem *D. de Caſſini*, exemplo unius è ſatellitibus Jovis.

Inst. *Primò.* Preſſio quæ fit ad infinitam propè diſtantiam, non poteſt fieri in inſtanti morali : atqui diffuſio luminis fit ad infinitam propè locorum diſtantiam.

Resp. Dist. Maj. Preſſio quæ fit ad infinitam propè diſtantiam, ſi fiat per motum localem vulgarem, C. Si fiat per transmiſſionem, N. At lumen diffunditur non per tranſitum materiæ ſubtilis à lucido corpore ad oculos uſque noſtros, ſed per transmiſſionem impreſſionis per continuam æthereæ ſubſtanſtantiæ ſeriem, quaſi per totidem baculos.

Inst. *Secundò:* Licèt ſonus diffundatur à corpore ſonoro ad aures uſque noſtras per tranſmiſſionem aëris interjecti, non fit tamen illa ſoni diffuſio ad maximam diſtantiam, niſi notabili temporis intervallo; ergo nec diffuſio luminis aliter fieri deberet per tranſmiſſionem.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ſonus diffunditur per iteratas ſæpè aëris interjecti undulationes, & reciprocas colliſiones: at verò lumen diffunditur per rectam impulſionem radiorum æthereæ ſubſtantiæ: celerior autem eſt motus rectus, quàm undulatus.

Inst. *Tertiò.* Atqui pariter diffuſio luminis fieret in illâ hypotheſi per impulſionem minimè rectam ſed circularem.

Prob. Sub's. In fluidis corporibus ſi fortè partes anteriores impellantur facto circuitu deflectunt ad latus, ut fit in aqua: atqui æetherea ſubſtantia eſt corpus fluidum.

Resp. Dist. Maj. In fluidis corporibus partes anteriores deflectunt facto circuitu, ſi impulſio non fuerit celeris, ſubita & recta, C. Si fuerit celeris & ſubita; N. At ætherea ſubſtantia premitur à corpore lucido impulſione celeri & ſubitâ: quo fit ut non ſit ei locus ſubterfugiendi versùs latera, ſed partes corpori lucido propiores pellunt alias ſequentes, & ſic ad nos uſque.

Inst. *Quartò:* Vel dicendum eſt partes priores æthereæ ſubſtantiæ preſſas à corpore lucido facto circuitu deflectere ad latus: vel dicendum eſt totam, quæ eſt à corpore lucido ad oculos uſque noſtros potenſa, æthereæ ſubſtantiæ maſſam propulſari: atqui hoc poſterius dici non poteſt.

Resp. Nego Min. Nam tota illa maſſa æthereæ ſubſtantiæ ſpectari debet veluti baculus rectus à corpore lucido ad oculum protenſus, totus autem baculus pellitur, ſi fortè partes ejus anteriores pellantur.

Inst. *Quintò.* Illud diſcriminus ponitur inter fluidum & ſolidum corpus, quòd ſolidi pars una moveri non poſſit, quin moveatur altera: at verò fluidorum pars una moveatur aliis immotis; ergo ſi pellantur ætheteæ ſubſtantiæ partes anteriores, non neceſſe eſt totam materiæ ſubſtantiam propelli.

Resp. dist. Neceſſe non eſt totam materiæ ſubtilis maſſam propelli, ſi moveatur alio motu quàm recto, ſitque partibus motis ſubterfugiendi locus, *C.* Si moveatur motu recto, nec ſit motum eludendi locus, *N.* At dum materiæ ſubtilis partes anteriores moventur à lucido corpore, moventur motu recto, & aliunde celeri & ſubito: hinc prima movet ſecundam, ſecunda tertiam, & ſic deinceps.

Inst *Sextò.* Datur vacuum inter illas ætheteæ ſubſtantiæ particulas; ergo neceſſe non eſt, ut pulſâ primâ, pellatur ſecunda.

Resp. Dist. Ant. Datur vacuum diſſeminatum, nec ſolvens continuitatem ex omni parte, *C.* Solvens continuitatem, *N.* Sicut in baculo ſolido licèt dentur vacuola diſſeminata, nihilominus non ſolvitur immediatus partium ejus contactus.

Jam probatur Minor quoad ſecundam partem.

Propagatio luminis explicari non poteſt ſine verâ penetratione radiorum luminis: atqui penetratio illa non poteſt explicari per corpuſcula ætheteæ ſubſtantiæ, ſed potiùs per qualitatem.

Resp. Nego Maj. Si enim radii luminis eſſent penetrabiles, omnia promiſcuè penetrarent corpora; at non penetrant ſolidiora, ut marmor.

Inst. *Primò.* Illi radii ſe ſe penetrant qui ſimul exiſtunt propè infiniti in eodem loco anguſtiſſimo: atqui infiniti propè radii luminis ſimul exiſtunt in eodem loco vel anguſtiſſimo, v. g. in tenui foramine.

Resp. Dist. Maj. Qui ſimul exiſtunt propè infiniti in eodem loco ſecundùm eandem indiviſibiliter loci partem: *C.* Secundùm diverſas loci partes, *N.*

Inst. *Secundò.* Plures radii luminis ſimul pervadunt corpora dura ut vitrum & cryſtallum: atqui tunc ea penetrant.

Prob. Min. Penetratio vera, eſt tranſitus per corpus ſine diviſione partium: atqui radii luminis tranſeunt per vitrum & cryſtallum abſque diviſione corporum illorum.

Resp. Dist. Maj. Penetratio vera eſt tranſitus per corpus ſine diviſione partium, tranſitus per partes ſolidas, *C.* Tranſitus per poros, *N.* At radii luminis tranſeunt per poros & vitri & cryſtalli.

Inst. *Tertiò.* In aliis quibuſcumque corporibus, v. g. marmore, ſunt pori bene multi, neque tamen per eos tranſeunt radii luminis; ergo nec tranſeunt per poros vitri & cryſtalli.

Resp. nego Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia qui ſunt in marmore vel ferro pori, ii ſunt valde obliqui, indirecti & interrupti ſolidis partibus: at verò qui ſunt in vitro & cryſtallo ſunt recti, faciles & minimè interrupti.

Inst. *Quartò.* Licèt pori qui ſunt in aëre vel aquà reddantur obliqui per aëris vel aquæ agitationem plurimam, adhuc tamen radii luminis ea permeant corpora; ergo licèt pori marmoris & ferri ſint obliqui & indirecti, attamen radii luminis eos penetrare deberent.

Resp. Nego Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia licèt aër vel aqua commoveantur, veteremque amittant diſpoſitionem pororum rectam: novam tamen acquirunt, eamque rectilineam per continuam preſſionem radiorum luminis, idque fit ob facilem partium liquidarum tractationem: at non ita eſt de ferro & marmore ob rigidam partium illorum connexionem.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De naturâ Colorum.

I. PROPOSITIO.

Color non eſt mera qualitas phyſica ad ſenſum Peripateticorum.

Probatur. Affirmare colorem eſſe qualitatem phyſicam & abſolutam, eſt obſcurum explicare per obſcurius; namque iterum reſtat explicanda hujus qualitatis phyſicæ natura. Certe vitrum dum eſt contuſum, & liquores dum ebulliunt, mutant colorem; neque tamen dici poteſt unde ſibi comparent ſubitò novas qualitates phyſicas; ergo coloris natura non bene explicatur per qualitatem phyſicam.

OBJECTIO.

Ens alteri adhærens eſt qualitas phyſica ad ſenſum Peripateticorum : atqui color adhæret rebus coloratis; ergo color eſt qualitas phyſica Peripatetica.

Resp. Dist. Maj. Ens alteri adhærens propriè & per modum accidentis, *C.* Adhærens impropriè & per modum alicujus ſubſtantiæ, N. At color adhæret coloratis non ut accidens, ſed ut ſubſtantia tenuiſſima in ipſis recepta & ab iis reflexa ad oculos.

Inst. *Primò.* Qualitas intrinſeca corpori colorato eſt ens adhærens per modum accidentis : atqui color eſt qualitas intrinſeca coloratis.

Resp. Dist. Maj. Qualitas intrinſeca ab intrinſeco emanans, *C.* Intrinſeca ab extrinſeco veniens, *N.* Porro color ità intrinſecùs afficit res coloratas, ut veniat ab extrinſecò corpore lucido.

Inst. *Secundò.* Quod perſeverat in corpore co-

lorato, ſublato quocumque extrinſeco, certè eſt intrinſecum corpori colorato veniens ab intrinſeco: atqui color perſeverat in rebus coloratis ſublato quovis extrinſeco. Quis enim dubitabit ſanguinem vel lintea eſſe de noctu colorata?

Resp. Dist. Min. Atqui color perſeverat in coloratis, ſublato quovis extrinſeco, color materialiter ſumptus pro certâ diſpoſitione & configuratione partium corporis colorati, *C.* Color formaliter ſumptus, *N.* Is enim pendet à lumine: hinc Poëta canit, *Nox abſtulit atra colorem.*

Inst. *Tertiò.* Ea ſunt formaliter colorata independenter à lumine, quæ in tenebris poſita cernuntur formaliter colorata: atqui corpora, ut nix, cernuntur colorata in tenebris.

Resp. dist. min. Atqui corpora in tenebris cernuntur colorata, in tenebris ſecundùm quid dictis in quibus viget luminis aliquid à ſtellis vel aliunde, mutuati, *C.* In tenebris ſimpliciter dictis per excluſionem cujuſcumque luminis, *N.*

Inst. *Quartò.* Niſi corpora eſſent in tenebris ſimpliciter dictis formaliter colorata, corpora non viderentur per ſe ſuamque ſpeciem propriam: atqui hoc falſum eſt.

Resp. Nego Maj. Nam corpora quæ videntur, videntur per radios luminis ad oculum directos à ſe, prout neceſſe eſt ad depingendam in fundo oculi imaginem ſui.

Inst. *Quintò.* Corpora quæ viderentur per radios luminis alienos, & aliunde mutuatos, non viderentur per ſe ſuamque ſpeciem: atqui niſi corpora eſſent per ſe formaliter colorata independenter à lumine, viderentur per radios alienos, & aliunde mutuatos, v. g. à Sole, ſtellis.

Resp. Dist. Min. Atqui corpora viderentur per radios alienos, id eſt, non à ſe emiſſos primâ vice, *C.* Per radios alienos, id eſt, non à ſe remiſſos & reflexos, *N.*

Inst. *Sextò.* Quod ſolùm excipit radios, eoſque remittit, ſui non facit imaginem, ſed duntaxat alienam ſervat: atqui corpora colorata in hypotheſi Recentiorum ſolummodò excipiunt radios, v. g. Solis, & exceptos remittunt.

Resp. Dist. Maj. Si eos remittant ſine modi-

ficatione; C. Cum modificatione, N. At corpus coloratum radios modificat, & ſic remittit.

Inst. *Septimò*. Non magis corpus coloratum exceptos à corpore lucido radios debet remittendo modificare, quàm paries pilam in ſe directam excipiens, ullam in eâ modificationem efficiat.

Resp. Nego Maj. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia pila in parietem impacta eſt rigidior, ideoque à pariete non ita facilè inflectitur, prout neceſſe eſt ad modificationem; at verò radii luminis incidentes in rem coloratam ſunt flexiles, figurabiles, nullius ſtatûs per ſe tenaces.

II. PROPOSITIO.

Color conſiſtit in certâ luminis reflexione ſeu modificatione.

Probatur. In eo conſiſtit color, per quod explicari poteſt colorum varietas: atqui per variam luminis modificationem ab objecto colorato poteſt jucundè ſatis explicari colorum varietas; ſic corpus eſt candidum, quod multum luminis reflectit ad oculos intuentium; ſic nigrum eſt, quod vel nihil vel parum luminis reflectit, ſed totum penè velut abſcondit in ſe; ergo color conſiſtit in certâ luminis modificatione.

OBIECTIO.

In eo non conſiſtit color, per quod explicari nequit colorum varietas multipliciter multiplex: atqui per reflexionem luminis explicari nequit albi & nigri varietas.

Prob. Min. Albi & nigri varietatem repetunt Recentiores, ex eo quòd album corpus luminis multum reflectat ad oculos, nigrum verò vel nihil vel parùm: atqui hæc ratio nulla eſt.

Prob. Min. Hæc ratio nulla eſt, ſi album marmor & nigrum æqualem ad oculos reflectant radiorum copiam: atqui ita eſt.

Resp. Nego Min. Nam marmor nigrum & alia nigra corpora, totum penè lumen abſumunt, idcoque vel parùm vel nihil remittunt : hinc nigra non fatigant viſum, ut ſolent candidiora.

Inst. *Primò.* Duo corpora ejuſdem ſoliditatis, debent æqualem reflectere incidentium radiorum copiam : atqui marmor album & nigrum ſunt ejuſdem ſoliditatis.

Resp. dist. min. Atqui marmor album & nigrum ſunt ejuſdem ſoliditatis, quoad partes ſenſibiles & craſſas, *C.* Quoad partes exiguas & inſenſibiles, *N.* Nam ope Microſcopii alia partium exiguarum cernitur diſpoſitio in nigro corpore, alia in candido.

Inst. *Secundò.* Corpora duo homogenea ſunt ejuſdem ſoliditatis quoad partes etiam ſenſibiles : atqui marmor nigrum & album ſunt corpora homogenea.

Resp. Dist. Min. Marmor nigrum & album ſunt corpora homogenea quoad partes craſſiores & ſenſibiles, *C.* Quoad partes inſenſibiles & minutiſſimas, *N.*

Inst. *Tertiò.* Partes ſenſibiles conflantur ex inſenſibilibus ; igitur ſi inſenſibiles non ſint homogeneæ, ſenſibiles quoque non eſſent homogeneæ.

Resp. Dist. Conſeq. Ergo ſi partes inſenſibiles non ſint homogeneæ, ſenſibiles quoque non erunt homogeneæ, in omnibus & quoad ſe, *C.* In aliquibus & quoad nos, *N.* Sic albi marmoris & nigri partes ſenſibiles ſunt quoad nos homogeneæ quoad duritiem & firmitatem : at non quoad ſe, cujus rei indicium eſt varietas colorum, id enim oſtendit partes marmoris albi eſſe compactiores ad fortiùs regerendum lumen, ut contingit pro certo in carbonibus & ligno albicante.

Inst. *Quartò.* Si marmor album & nigrum ſint heterogenea quoad ſe, dicendum eſt marmor primò album, deinde nigro colore tinctum, eſſe heterogeneum à ſe ipſo albo : atqui hoc apertè falſum eſt.

Resp. dist. Maj. Dicendum eſt eſſe heterogeneum à ſeipſo accidentaliter & ratione ſuperadditæ tincturæ. *C.* Eſſentialiter & ratione ordinis vel texturæ partium ſuarum, N Nam tinctura non videtur

Resp. Dist. Maj. Lumen à ſtellis fixis ad oculos in inſtanti non pertingeret mathematico, *C.* Inſtanti morali, id eſt, brevi temporis intervallo, *N.* At lumen in inſtanti mathematico non propagatur, ſed celerrimâ ſucceſſione.

Inst. *Quintò.* Non poteſt fieri tranſitus inter terminos infinitè propè diſtantes in inſtanti morali, intra breve tempus : atqui in ſyſtemate Copernicano fieret tranſitus inter terminos infinitè propè diſtantes, nempe à ſtellis ad oculos.

Resp. Dist. Maj. Non poteſt fieri tranſitus inter terminos infinitè diſtantes in inſtanti morali, ſi tranſitus fiat per motum localem ſucceſſivum, *C.* Si tranſitus fiat per tranſmiſſionem ſine motu locali, *N.* Sic ſi foret virga à cælo ad terram protenſa, quo inſtanti moveretur directè eâ parte quæ cælum tangeret, eodem moveretur, quâ parte terris reſponderet : at lumen explicatur per radios æthereæ ſubſtantiæ à corpore lucido ad oculos uſque noſtros quaſi per totidem baculos : igitur quo inſtanti premuntur à ſtellis fixis, eodem faciunt ſui impreſſionem in oculis, atque ita intra breve temporis intervallum.

QUÆSTIO UNDECIMA.

De Naturâ luminis.

PROPOSITIO.

Lumen conſiſtit in preſſione celeri & directâ ætherea ſubſtantiæ factâ à lucido corpore.

Probatur. Lumen in eo conſiſtit per quod poſſunt explicari quæcumque ſunt luminis phenomena & proprietates : atqui per preſſionem directam, & celerem æthereæ ſubſtantiæ factam à lucido corpore, explicantur quæcunque ſunt luminis phenomena & proprietates, præſertim verò propagatio luminis celerrima

ſerrima & pene inſtantanea reflectio luminis à corpore duro, & refractio in corpore denſiori, vel rariori; ergo lumen conſiſtit in eâ preſſione.

OBIECTIO I.

In eo non conſiſtit lumen, quo poſito non ponitur lumen, & quo ſublato lumen non tollitur: atqui poſitâ celeri preſſione æthereæ ſubſtantiæ, non ponitur lumen; ſublatâ celeri preſſione illius, non tollitur lumen.

Prob. Min. *Quoad primam partem.* Nocte profundâ remanet preſſio materiæ ſubtilis in aere: atqui tamen nullum remanet tunc lumen; ergo poſitâ preſſione materiæ ſubtilis non ponitur lumen.

Resp. Dist. Maj. Nocte profundâ remanet preſſio materiæ ſubtilis, preſſio indeterminata & ad luminis ſpeciem inſufficiens, *C.* Preſſio directa & ad lucem ſufficiens, *N.* Nam abſente lucido corpore, lineæ materiæ ſubtilis non amplius premuntur, ut priùs, directè, celeriter & imperturbatis radiis.

Inst. *Primò.* Ibi remanet eadem preſſio materiæ ſubtilis directa & ad lucem ſufficiens, ubi materia ſubtilis remanet in eodem ſtatu & loco in quo fuerat priùs: atqui nocte profundâ materia ſubtilis remanet in eodem ſtatu & loco, uti priùs.

Resp. Dist. Maj. Ubi materia ſubtilis remanet in eodem ſtatu & loco, accuratè, & mathematicè, *C.* Moraliter, *N.* Porro de nocte materia ſubtilis ceſſat comprimi & coarctari, quâ ratione de die comprimebatur ob præſentiam lucidi corporis.

Inst. *Secundò.* Nocte profundâ remanet materia ſubtilis in eodem ſtatu & loco accuratè & mathematicè, in quo poſita fuerat à corpore lucido interdiu, ſi ad eaſdem tunc redigatur anguſtias, ut priùs: atqui de nocte materia ſubtilis ad eaſdem redigitur anguſtias.

Prob. Min. Materia ſubtilis de nocte redigitur ad eaſdem anguſtias, ſi recedente lucido corpore ſuccedat aliud corpus id ipſum ſuâ præſentiâ præſtans, quod priùs præſtabat lucidum corpus: atqui ità eſt.

Resp. Dist. Min. Atqui corpus ſuccedens idipſum præſtat quod præſtabat corpus lucidum, idipſum quoad aliqua, *C.* Quoad omnia, *N.* Quamvis enim occupet locum à lucido corpore relictum, quia tamen non hebet partes ſuas in pari motu conſtitutas, non ità premit radios æthereæ ſubſtantiæ.

Inst. *Tertiò.* Fluidum corpus ſuccedens fluido id ipſum præſtat quoad preſſionem: atqui corpus ſuccedens corpori lucido eſt fluidum fluido ſuccedens, v. g. pars cœli ſuccedens corpori ſolari; ergo idipſum præſtat quoad preſſionem.

Resp. Dist. Maj. Fluidum corpus ſuccedens fluido idipſum præſtat quoad preſſionem, cæteris utrinque paribus, *C.* Cæteris imparibus, *N.* At corpus lucidum cùm partes ſuas habeat in perniciſſimo motu poſitas fortiùs impellit, quàm corpus non lucidum: ſic aqua ebulliens plus poteſt quàm aqua frigida.

Inst. *Quartò.* Corpus agens in fluidum non longè transfert ſuam impulſionem; ſic lapis cadens in aquam, ad levem diſtantiam cauſat motionem aquarum: atqui corpus lucidum agit in materiam ſubtilem fluidam; ergo non deberet impulſio facta à corpore lucido ad oculos uſque noſtros pertingere.

Resp. Dist. Maj. Corpus agens in fluidum non longè transfert ſuam impulſionem, ſi impulſio fuerit lenta & lenis, *C.* Si impulſio fuerit ſubita & vehemens, *N.* At impulſio facta à corpore lucido in æthream, ſubſtantiam eſt vehemens & ſubita, ideoque longè latéque porrigitur.

Jam probatur Min. quoad ſecundam partem.

Nocte profundâ tollitur preſſio æthereæ ſubſtantiæ à corpore lucido: atqui interim non tollitur lumen ab adamante, v. g. ergo ſublata preſſione æthereæ ſubſtantiæ non tollitur lumen.

Resp. Dist. Maj. Nocte profundâ tollitur preſſio æthereæ ſubſtantiæ quâ parte lumen nullum eſt, *C.* Quâ parte lumen eſt, *N.*

Inst. *Primò.* Lumen eſt in adamante mediis in tenebris conſtituto: vel etiam in ligno putrido, & piſcibus corruptioni proximis: atqui ibi nulla eſt preſſio æthereæ ſubſtantiæ.

Prob. Min. Ut ibi foret preſſio æthereæ ſub-

ſtantiæ ad lumen exhibendum deberent partes illorum corporum eſſe in motu celeri & pernicíſſimo: atqui partes adamantum & ligni putridi non ſunt in motu celeri & perniciſſimo.

Resp. Dist. Maj. Deberent partes inſenſibiles eſſe in motu celeri, *C.* Partes ſenſibiles, *N.* Porro partes adamantum inſenſibiles ſunt in motu celeri poſtquam affrictæ ſunt, ſimiliter & partes ligni putridi, in quibus ideircò eſt ſolutio continui.

Inst. *Secundò.* Atqui ut in adamante & ligno putrido foret preſſio ad lumen exhibendum, non ſatis eſt, quod partes eorum inſenſibiles eſſent in motu celeri.

Prob. Subs. Ad ſenſationem luminis excitandam non ſufficit motus partium inſenſibilium celer & directus: atqui adamas & lignum putridum lumine ſuo excitant in nobis ſenſationem; ergo non ſatis eſt quod moveantur ſecundùm partes inſenſibiles.

Resp. Nego Maj. Sic motus partium inſenſibilium corporis calidi excitat in nobis ſenſationem caloris.

Inst. *Tertiò.* Non magis inſenſibile ſufficit ad excitandum ſenſum & ſenſationem, quàm inviſibile ſufficiat ad excitandum viſum & viſionem.

Resp. dist. Maj. Inſenſibile ſimpliciter & ſub omni reſpectu, *C.* Secundùm quid tantùm, *N.* At partes inſenſibiles, quæ motu ſuo excitant organum ſensûs, dicuntur inſenſibiles non ſimpliciter ſed ſecundùm quid, eò quod ſint tenues admodum & exiguæ, cùm interim impreſſionem faciant in tenues oculorum particulas.

Inst. *Quartò.* Corpora valde compacta & duriſſima non videntur habere partes etiam inſenſibiles in tanto motu: atqui adamas eſt corpus valde compactum, & interim lucens etiam ſine affrictu.

Resp. Dist. Maj. Corpora valde compacta non videntur habere partes in tanto motu, partes ad ſuam ſubſtantiam pertinentes, *Eſto*: partes ſuis in poris contentas, *N.* At adamas utpotè corpus diaphanum habet æthereæ ſubſtantiæ particulas ſuis in poris contentas, quæ premuntur à corpore lucido, excipiuntur ab adamante, & ab eo reflectuntur.

Inst. *Quintò:* Corpus lucidum debet habere partes ad ſuam ſubſtantiam pertinentes in motu ce-

leri : atqui adamas eſt corpus lucidum.

Resp. dist. Maj. Corpus lucidum lumine proprio & primario, C. Lumine alieno & reflexo, N. At adamas ex ſe non profundit lumen, ſed acceptum à lucido corpore regerit.

Inst. *Sextò*. Quod lucet in tenebris etiam ante affrictum, eſt corpus lucidum lumine proprio & directo : atqui adamas lucet in tenebris etiam ante affrictum.

Resp. Dist. Min. Atqui adamas lucet in tenebris ſecundum quid dictis, C. Simpliciter dictis, N. Nam quandiu lucet adamas, viget aliquid luminis aliunde mutuati : parum autem iſtud luminis colligitur in adamante & collectum reflectitur.

OBIECTIO II.

Lumen non conſiſtit in eo per quod non poteſt explicari luminis propagatio : atqui per preſſionem æthereæ ſubſtantiæ explicari non poteſt luminis propagatio.

Prob. Min. Luminis propagatio conſiſtit in eo quod lumen in inſtanti diffundatur à corpore lucido ad infinitam propè diſtantiam per interjectum corpus diaphanum : atqui ſi lumen conſiſteret in preſſione æthereæ ſubſtantiæ, non fieret in inſtanti ejus diffuſio, ſecundò non poſſet permeare rectà corpus interjectum.

Prob. Min. *Quoad primam partem*. Motus localis non poteſt fieri in inſtanti : atqui preſſio æthereæ ſubſtantiæ vel eſt motus localis vel conjunctus cum aliquo motu locali.

Resp. Dist. Maj. Motus localis non poteſt fieri in inſtanti mathematico, C. In inſtanti morali, N. At lumen non diffunditur niſi in inſtanti morali, id eſt breviſſimâ temporis parte, ut demonſtravit non ita pridem *D. de Caſſini*, exemplo unius è ſatellitibus Jovis.

Inst. *Primò*. Preſſio quæ fit ad infinitam propè diſtantiam, non poteſt fieri in inſtanti morali : atqui diffuſio luminis fit ad infinitam propè locorum diſtantiam.

Resp. Dist. Maj. Preſſio quæ fit ad infinitam propè diſtantiam, ſi fiat per motum localem vulgarem, C. Si fiat per tranſmiſſionem, N. At lumen diffunditur non per tranſitum materiæ ſubtilis à lucido corpore ad oculos uſque noſtros, ſed per tranſmiſſionem impreſſionis per continuam æthereæ ſubſtanſtantiæ ſeriem, quaſi per totidem baculos.

Inst. *Secundò:* Licèt ſonus diffundatur à corpore ſonoro ad aures uſque noſtras per tranſmiſſionem aëris interjecti, non fit tamen illa ſoni diffuſio ad maximam diſtantiam, niſi notabili temporis intervallo; ergo nec diffuſio luminis aliter fieri deberet per tranſmiſſionem.

Resp. Nego Conſeq. & parit. Ratio diſparitatis eſt, quia ſonus diffunditur per iteratas ſæpè aëris interjecti undulationes, & reciprocas colliſiones: at verò lumen diffunditur per rectam impulſionem radiorum æthereæ ſubſtantiæ: celerior autem eſt motus rectus, quàm undulatus.

Inst. *Tertiò.* Atqui pariter diffuſio luminis fieret in illâ hypotheſi per impulſionem minimè rectam ſed circularem.

Prob. Subs. In fluidis corporibus ſi fortè partes anteriores impellantur facto circuitu deflectunt ad latus, ut fit in aqua: atqui ætherea ſubſtantia eſt corpus fluidum.

Resp. Dist. Maj. In fluidis corporibus partes anteriores deflectunt facto circuitu, ſi impulſio non fuerit celeris, ſubita & recta, C. Si fuerit celeris & ſubita, N. At ætherea ſubſtantia premitur à corpore lucido impulſione celeri & ſubitâ: quo fit ut non ſit ei locus ſubterfugiendi versùs latera, ſed partes corpori lucido propiores pellunt alias ſequentes, & ſic ad nos uſque.

Inst. *Quartò:* Vel dicendum eſt partes priores æthereæ ſubſtantiæ preſſas à corpore lucido facto circuitu deflectere ad latus: vel dicendum eſt totam, quæ eſt à corpore lucido ad oculos uſque noſtros potenſa, æthereæ ſubſtantiæ maſſam propulſari: atqui hoc poſterius dici non poteſt.

Resp. Nego Min. Nam tota illa maſſa æthereæ ſubſtantiæ ſpectari debet veluti baculus rectus à corpore lucido ad oculum protenſus, totus autem baculus pellitur, ſi fortè partes ejus anteriores pellantur,

Inst. *Quintò.* Illud diſcriminis ponitur inter fluidum & ſolidum corpus, quòd ſolidi pars una moveri non poſſit, quin moveatur altera: at verò fluidorum pars una moveatur aliis immotis; ergo ſi pellantur æthereæ ſubſtantiæ partes anteriores, non neceſſe eſt totam materiæ ſubſtantiam propelli.

Resp. dist. Neceſſe non eſt totam materiæ ſubtilis maſſam propelli, ſi moveatur alio motu quàm recto, ſitque partibus motis ſubterfugiendi locus, *C.* Si moveatur motu recto, nec ſit motum eludendi locus, *N.* At dum materiæ ſubtilis partes anteriores moventur à lucido corpore, moventur motu recto, & aliunde celeri & ſubito: hinc prima movet ſecundam, ſecunda tertiam, & ſic deinceps.

Inst *Sextò.* Datur vacuum inter illas æthereæ ſubſtantiæ particulas; ergo neceſſe non eſt, ut pulsâ primâ, pellatur ſecunda.

Resp. Dist. Ant. Datur vacuum diſſeminatum, nec ſolvens continuitatem ex omni parte, *C.* Solvens continuitatem, *N.* Sicut in baculo ſolido licèt dentur vacuola diſſeminata, nihilominus non ſolvitur immediatus partium ejus contactus.

Jam probatur Minor quoad ſecundam partem.

Propagatio luminis explicari non poteſt ſine verâ penetratione radiorum luminis: atqui penetratio illa non poteſt explicari per corpuſcula æthereæ ſubſtantiæ, ſed potiùs per qualitatem.

Resp. Nego Maj. Si enim radii luminis eſſent penetrabiles, omnia promiſcuè penetrarent corpora; at non penetrant ſolidiora, ut marmor.

Inst. *Primò.* Illi radii ſe ſe penetrant qui ſimul exiſtunt propè infiniti in eodem loco anguſtiſſimo: atqui infiniti propè radii luminis ſimul exiſtunt in eodem loco vel anguſtiſſimo, v. g. in tenui foramine.

Resp. Dist. Maj. Qui ſimul exiſtunt propè infiniti in eodem loco ſecundùm eandem indiviſibiliter loci partem: *C.* Secundùm diverſas loci partes, *N.*

Inst. *Secundò.* Plures radii luminis ſimul pervadunt corpora dura ut vitrum & cryſtallum: atqui tunc ea penetrant.

PROB. MIN. Penetratio vera, eſt tranſitus per corpus ſine diviſione partium: atqui radii luminis tranſeunt per vitrum & cryſtallum abſque diviſione corporum illorum.

RESP. DIST. MAJ. Penetratio vera eſt tranſitus per corpus ſine diviſione partium, tranſitus per partes ſolidas, C. Tranſitus per poros, N. At radii luminis tranſeunt per poros & vitri & cryſtalli.

INST. *Tertiò.* In aliis quibuſcumque corporibus, v. g. marmore, ſunt pori bene multi, neque tamen per eos tranſeunt radii luminis; ergo nec tranſeunt per poros vitri & cryſtalli.

RESP. NEGO Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia qui ſunt in marmore vel ferro pori, ii ſunt valde obliqui, indirecti & interrupti ſolidis partibus: at verò qui ſunt in vitro & cryſtallo ſunt recti, faciles & minimè interrupti.

INST. *Quartò.* Licèt pori qui ſunt in aëre vel aquâ reddantur obliqui per aëris vel aquæ agitationem plurimam, adhuc tamen radii luminis ea permeant corpora; ergo licèt pori marmoris & ferri ſint obliqui & indirecti, attamen radii luminis eos penetrare deberent.

RESP. NEGO Conſeq. & paritat. Ratio diſparitatis eſt, quia licèt aër vel aqua commoveantur, veteremque amittant diſpoſitionem pororum rectam: novam tamen acquirunt, eamque rectilineam per continuam preſſionem radiorum luminis, idque fit ob facilem partium liquidarum tractationem: at non ita eſt de ferro & marmore ob rigidam partium illorum connexionem.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De naturâ Colorum.

I. PROPOSITIO.

Color non eſt mera qualitas phyſica ad ſenſum Peripateticorum.

Probatur. Affirmare colorem eſſe qualitatem phyſicam & abſolutam, eſt obſcurum explicare per obſcurius; namque iterum reſtat explicanda hujus qualitatis phyſicæ natura. Certe vitrum dum eſt contuſum, & liquores dum ebulliunt, mutant colorem; neque tamen dici poteſt unde ſibi comparent ſubitò novas qualitates phyſicas; ergo coloris natura non bene explicatur per qualitatem phyſicam.

OBIECTIO.

Ens alteri adhærens eſt qualitas phyſica ad ſenſum Peripateticorum: atqui color adhæret rebus coloratis; ergo color eſt qualitas phyſica Peripatetica.

Resp. Dist. Maj. Ens alteri adhærens propriè & per modum accidentis, C. Adhærens impropriè & per modum alicujus ſubſtantiæ, N. At color adhæret coloratis non ut accidens, ſed ut ſubſtantia tenuiſſima in ipſis recepta & ab iis reflexa ad oculos.

Inst. *Primò.* Qualitas intrinſeca corpori colorato eſt ens adhærens per modum accidentis: atqui color eſt qualitas intrinſeca coloratis.

Resp. Dist. Maj. Qualitas intrinſeca ab intrinſeco emanans, C. Intrinſeca ab extrinſeco veniens, N. Porro color ità intrinſecùs afficit res coloratas, ut veniat ab extrinſeco corpore lucido.

Inst. *Secundò.* Quod perſeverat in corpore co

loratо, ſublato quocumque extrinſeco, certè eſt intrinſecum corpori colorato veniens ab intrinſeco: atqui color perſeverat in rebus coloratis ſublato quovis extrinſeco. Quis enim dubitabit ſanguinem vel lintea eſſe de noctu colorata?

Resp. Dist. Min. Atqui color perſeverat in coloratis, ſublato quovis extrinſeco, color materialiter ſumptus pro certâ diſpoſitione & configuratione partium corporis colorati, *C.* Color formaliter ſumptus, *N.* Is enim pendet à lumine: hinc Poëta canit, *Nox abſtulit atra colorem.*

Inst. *Tertiò.* Ea ſunt formaliter colorata independenter à lumine, quæ in tenebris poſita cernuntur formaliter colorata: atqui corpora, ut nix, cernuntur colorata in tenebris.

Resp. dist. min. Atqui corpora in tenebris cernuntur colorata, in tenebris ſecundùm quid dictis in quibus viget luminis aliquid à ſtellis vel aliunde, mutuati, *C.* In tenebris ſimpliciter dictis per excluſionem cujuſcumque luminis, *N.*

Inst. *Quartò.* Niſi corpora eſſent in tenebris ſimpliciter dictis formaliter colorata, corpora non viderentur per ſe ſuamque ſpeciem propriam: atqui hoc falſum eſt.

Resp. Nego Maj. Nam corpora quæ videntur, videntur per radios luminis ad oculum directos à ſe, prout neceſſe eſt ad depingendam in fundo oculi imaginem ſui.

Inst. *Quintò.* Corpora quæ viderentur per radios luminis alienos, & aliunde mutuatos, non viderentur per ſe ſuamque ſpeciem: atqui niſi corpora eſſent per ſe formaliter colorata independenter à lumine, viderentur per radios alienos, & aliunde mutuatos, v. g. à Sole, ſtellis.

Resp. Dist. Min. Atqui corpora viderentur per radios alienos, id eſt, non à ſe emiſſos primâ vice, *C.* Per radios alienos, id eſt, non à ſe remiſſos & reflexos, *N.*

Inst. *Sextò.* Quod ſolùm excipit radios, eoſque remittit, ſui non facit imaginem, ſed duntaxat alienam ſervat: atqui corpora colorata in hypotheſi Recentiorum ſolummodò excipiunt radios, v. g. Solis, & exceptos remittunt.

Resp. Dist. Maj. Si eos remittant ſine modi-

Resp. Nego Min. Nam marmor nigrum & alia nigra corpora, totum penè lumen abſumunt, ideoque vel parùm vel nihil remittunt: hinc nigra non fatigant viſum, ut ſolent candidiora.

Inst. *Primò.* Duo corpora ejuſdem ſoliditatis, debent æqualem reflectere incidentium radiorum copiam: atqui marmor album & nigrum ſunt ejuſdem ſoliditatis.

Resp. dist. min. Atqui marmor album & nigrum ſunt ejuſdem ſoliditatis, quoad partes ſenſibiles & craſſas, *C.* Quoad partes exiguas & inſenſibiles, *N.* Nam ope Microſcopii alia partium exiguarum cernitur diſpoſitio in nigro corpore, alia in candido.

Inst. *Secundò.* Corpora duo homogenea ſunt ejuſdem ſoliditatis quoad partes etiam ſenſibiles: atqui marmor nigrum & album ſunt corpora homogenea.

Resp. Dist. Min. Marmor nigrum & album ſunt corpora homogenea quoad partes craſſiores & ſenſibiles, *C.* Quoad partes inſenſibiles & minutiſſimas, *N.*

Inst. *Tertiò.* Partes ſenſibiles conflantur ex inſenſibilibus; igitur ſi inſenſibiles non ſint homogeneæ, ſenſibiles quoque non eſſent homogeneæ.

Resp. Dist. Conſeq. Ergo ſi partes inſenſibiles non ſint homogeneæ, ſenſibiles quoque non erunt homogeneæ, in omnibus & quoad ſe, *C.* In aliquibus & quoad nos, *N.* Sic albi marmoris & nigri partes ſenſibiles ſunt quoad nos homogeneæ quoad duritiem & firmitatem: at non quoad ſe, cujus rei indicium eſt varietas colorum, id enim oſtendit partes marmoris albi eſſe compactiores ad fortiùs regerendum lumen, ut contingit pro certo in carbonibus & ligno albicante.

Inst. *Quartò.* Si marmor album & nigrum ſint heterogenea quoad ſe, dicendum eſt marmor primò album, deinde nigro colore tinctum, eſſe heterogeneum à ſe ipſo albo: atqui hoc apertè falſum eſt.

Resp. dist. Maj. Dicendum eſt eſſe heterogeneum à ſeipſo accidentaliter & ratione ſuperadditæ tincturæ. *C.* Eſſentialiter & ratione ordinis vel texturæ partium ſuarum, N Nam tinctura non videtur

mutare ordinem & texturam partium marmoris tincti.

INST. *Quintò*. Marmor album & aliud nigro tinctum colore minùs differunt in reflectendo lumine, quàm marmor naturaliter nigrum & nix candidiſſima: atqui tamen marmor album nigro tinctum colore, etſi compactius quàm nix, non album præ ſe fert colorem, cùm tamen certum propè videatur quod fortiùs reflectat lumen quàm nix, quæ partes habet minùs compactas.

RESP. NEGO Paritat. Quæ inſtituitur inter marmor nigrum & nivem: nam nix etſi primâ fronte videatur minùs compacta, attamen partibus conſta quaſi totidem globulis rigidis & aſperis, ideoque fortiter reflectit lumen in omnem latè circumferentiam: at verò marmor nigrum partes ſuas habet radiis incidentibus mobiliores, ideoque lumen abſorbet & conſumit: quod etſi ſenſu non percipiatur in marmore, probatur tamen exemplo aliorum corporum nigrorum, quæ hoc ipſo redduntur nigra tincta colore, quo partes eorum minùs inter ſe cohærentes fiunt & mobiles: hinc carbones & veſtes infectæ nigro colore ope aluminis penetrantis, tantum penè lumen abſumunt.

QUÆSTIO DECIMA-TERTIA

De naturâ caloris & frigoris.

I. PROPOSITIO.

Calor conſiſtit in motu celeri perturbato & expanſivo partium inſenſibilium.

PROBATUR. Calor maximè conſiſtit in eo motu qui deprehenditur in liquoribus ebullientibus, flammâ, in flatu qui ore patulo ejicitur è pulmonibus, in axi currûs dum incaleſcit, in ferro dum tunditur, &c: atqui in hujus modi corporibus calidis deprehenditur præter motum celerem, perturbatum & expanſivum partium tenuiſſimarum & inſenſibilium; ergo calor maximè conſiſtit in motu celeri perturbato, & expanſivo partium inſenſibilium corporis calidi.

OBIE

OBIECTIO.

IN rotâ celeriter motâ reperitur motus celer & perturbatus : atqui tamen non reperitur calor ; ergo calor non conſiſtit in motu celeri & perturbato.

Resp. Dist. Maj. In rotâ celeriter motâ reperitur motus celer totius rotæ, *C.* Partium inſenſibilium, ad invicem, *N.* Nam licèt tota moveatur rota, ſingulæ tamen partes juxtà ſe invicem quieſcunt, nec ſe ſe mutuò collidunt.

Inst. *Primò.* Non poteſt eſſe motus celer totius rotæ, quin ſit motus ſingularum rotæ partium vel inſenſibilium.

Resp. Dist. Quin ſit motus ſingularum rotæ partium relativè ad locum, *C.* Relativè ad invicem, *N.* Id eſt, ſingulæ quidem partes rotæ migrant de loco in locum, ſi tota moveatur rota ; at non ideo moventur ad invicem, nec ſuum mutant ſitum, ſuamque unionem mutuam.

Inst. *Secundò.* In aquâ reperitur motus partium inſenſibilium ad invicem, neque tamen reperitur calor ; ergo calor non conſiſtit in motu partium inſenſibilium ad invicem.

Resp. *Primò.* Dist. Secundam partem Ant. Neque tamen reperitur calor inſignis & ſenſibilis, *C.* Minùs ſenſibilis, *N.* Dici namque poteſt in aquâ eſſe aliquid caloris abſolutè, minùs tamen quàm in corpore noſtro, quò fit ut experiamur frigoris ſenſum, quatenùs aqua minuit calorem corporis noſtri.

Resp. *Secundò.* Dist. Primam partem Ant. In aquâ reperitur motus partium inſenſibilium, motus lenis & placidior, *C.* Motus celer & perturbatus, *N.* Id liquet ex diſcrimine aquæ ebullientis & frigidæ, hæc enim eſt tranquillior, altera concitatior.

Inst. *Tertiò.* In machinâ pneumaticâ exhauſto aëre craſſo, aqua communis plurimùm ebullire videtur ; ſed tunc habet motum celerem & perturbatum partium inſenſibilium, neque tamen habet calorem.

Resp. Dist. Min. Sed tunc aqua habet motum celerem, inſufficientem exhibendo calori, *C.* Sufficientem, *N.* Nam motus ille ebullitionis in aquâ non oritur ex univerſali commotione celeri & perturbatâ partium inſenſibilium ſe ſe collidentium vehementiſſimè, ut fit in aquâ igni ſuperpoſitâ, ſed oritur ex eo quòd aër inclusus in poris aquæ ſolutus à compreſſione aëris exterioris exhauſti, dilatet ſe ſe, & aquam cogat abire in ampullas ſeu bullas.

Inst. *Quartò.* Aqua illa eum ipſum habet motum in machinâ pneumaticâ, quem habet aqua igni ſuperpoſita & ebulliens; ergo haberet motum ſufficientem calori exhibendo, ſi calor conſiſteret in motu.

Resp. Dist. Ant. Aqua illa eum ipſum habet motum inchoatum, *C.* Conſummatum, *N.* Hinc non dubito quin ſi diu duraret illa aquæ commotio in machinâ pneumaticâ, aqua tandem evaderet calida; ſicut evadit, ſi vaſi incluſa plurimùm agitetur.

Inst. *Quintò.* Atqui calor aquæ non poteſt conſiſtere formaliter in motu celeri partium aquæ.

Prob. Subs. Motus, qui eſt cauſa caloris, non eſt ipſe calor formaliter: atqui motus celer & perturbatus in aqua eſt cauſa caloris.

Resp. Dist. min. Atqui motus celer & perturbatus eſt cauſa caloris, ſi calor ſpectetur ex parte animæ, prout eſt ſenſatio ſeu perceptio hujus quod vocatur, calor, *C.* Si calor ſpectetur ex parte aquæ calidæ, *N.* Quia motus ille partium aquæ eſt calor ex parte aquæ calidæ, valens in nobis efficere ſenſationem calidi.

Inst. *Sextò.* Debet eſſe in aquâ aliquid ſimile calori, prout eſt in animâ noſtrâ: atqui motus celer non eſt hujuſmodi, ſed potiùs qualitas phyſica.

Resp. Nego Maj. Sicut enim in aciculâ pungente nervos corporis noſtri nihil eſt ſimile dolori quem excitat in nobis, ita in aquâ calidâ nihil ſimile ſenſationi caloris quam excitat in nobis.

Inst. *Septimò.* Cauſa debet præcontinere effectum quem producit; ergo aqua calida debet præcontinere in ſe calorem quem excitat in animâ noſtrâ.

Resp. Dist. Ant. Cauſa debet præconti

re effectum ; vel formaliter vel virtualiter, *C.* Formaliter, Subdistinguo, ſi ſit cauſa univoca, *C.* Æquivoca, *N.* At motus partium aquæ afficit nervos corporis noſtri & hinc oritur in animâ perceptio calidi : ſi autem aqua deberet continere formaliter effectum quem excitat in nobis, deberet præcontinere formaliter ſenſationem calidi, quod quidem abſurdum eſt.

Inst. *Octavò*. Partes inſenſibiles non poſſunt efficere in nobis ſenſum caloris ; ergo partes aquæ inſenſibiles non excitant ſenſum calidi.

Resp. Dist. Ant. Partes inſenſibiles ſimpliciter & ſub omni reſpectu, *C.* Sub aliquo tantùm reſpectu, *N.* At partes aquæ calidæ dicuntur inſenſibiles, non quod nullo abſolutè ſenſu percipi poſſint, ſed quod non omni ſenſu valeant percipi, v. g. viſu. Quod interim non impedit ne particulas nervorum commoveant, atque ità excitent in animâ perceptionem caloris.

II. PROPOSITIO.

Frigus conſiſtit in quiete partium ſeu privatione caloris.

Probatur. Frigus in eo maximè conſiſtit quod primùm reperitur in corporibus frigidis ut frigida ſint : atqui quies partium reperitur primùm in corporibus frigidis ut frigida ſunt ; ideoque frigus conſtringit corpora, convertit in glaciem, conſervat diu integra, quatenùs eſt ſtatus quidam quietis partium ; ergo frigus maximè conſiſtit in quiete partium corporis frigidi.

OBJECTIO.

Quod contrariè opponitur calori non conſiſtit in ſolâ privatione caloris, atqui frigus contrariè opponitur calori.

Resp. Dist. Maj. Quod contrariè opponitur calori, contrarietate ſtrictè ſumptâ, *C.* Latè

ſumptâ, N. Hoc enim ſenſu, quæcunque opponuntur, contrariè opponuntur.

Inst. *Primò.* Si frigus conſiſteret in privatione caloris, omnia corpora frigida forent de naturâ ſuâ calida, ſiquidem carerent perfectione ſibi debitâ: falſum conſequens.

Resp. Dist. Maj. Si frigus conſiſteret in privatione ſtrictè ſumptâ pro abſentiâ perfectionis debitæ, C. Si conſiſteret in privatione latè ſumptâ pro negatione perfectionis ſive debitæ ſive indebitæ, N. At dicimus frigus eſſe privationem caloris, non ſtricto ſenſu, ſed paulò latiori ſignificatione, prout excludit reale quid & poſitivum.

Inst. *Secundò.* Quod tam excitat in nobis ſenſationem poſitivam quàm calor, tam poſitivum eſt quàm calor: atqui frigus eſt hujuſmodi.

Resp. Dist. Maj. Quod excitat ſenſationem poſitivam poſitivè efficiendo & influendo, C. Negativè ſolùm, & detrahendo aliquid de calore corporis noſtri, N. At frigus excitat moleſtam in nobis ſenſationem, non poſitivè influendo, ſed detrahendo aliquid & imminuendo ingenitum nobis calorem.

Inst. *Tertiò.* Frigus excitat in nobis ſenſationem ſui, fortiter compingendo partes corporis noſtri, atque etiam ſæpè congelando: atqui hoc eſt excitare ſenſationem poſitivè efficiendo.

Resp. Dist. Maj. Frigus excitat ſenſationem ſui, fortiter compingendo interventu corporis extrinſeci ambientis & prementis, C. Compingit per ſe & ratione ſui, N. Scilicet materia ſubtilis partes corporis noſtri extrinſecus ambiens ſuâ præ gravitate fortiter compingit, ex quâ compreſſione oritur quandoque congelatio, & ſæpiùs dolor moleſtiſſimus: vix autem aliâ ratione poteſt explicari frigoris effectus ultimus ſeu congelatio, nam ſola privatio caloris ſeu quies, non poteſt efficere, ut tanta ſit cohæſio partium congelatarum, tanta diviſioni obſiſtentia.

Inst. *Quartò.* Quod per ſe conjunctum eſt cum motu partium inſenſibilium corporis, per ſe & ratione ſui poteſt efficere ſenſationem poſitivam: atqui frigus per ſe conjunctum eſt cum motu partium inſenſibilium, ut patet in aquâ frigidâ ſimul & liquidâ.

Resp. Dist. Maj. Quod per ſe conjunctum eſt cum motu celeri, perturbato & expanſivo, *C.* Motu leni & placido, *N.* At frigus non eſt privatio cujuſcumque motûs, ſed duntaxat celeris perturbati & expanſivi, qui requiritur ad calorem.

Inst. *Quintò.* Quod facit ut corpus intumeſcat & expandatur, certè non eſt privatio motûs expanſivi: atqui frigus facit ut corpus frigidum expandatur: ſic, v. g. glacies eſt magis expanſa, quàm aqua naturalis & liquida.

Resp. Nego Min. Nam frigus facit ut corpus conſtringatur, ideoque pori corporum hyemali tempore occluduntur, æſtivo autem reſerantur.

Inst. *Sextò.* Glacies innatat aquis; ergo eſt magis expanſa quàm aqua naturalis.

Resp. Dist. Glacies innatat aquis ob effluxum tenuiſſimorum corpuſculorum facta levior, *C.* Ob majorem ſui ampliationem & expanſionem, *N.* Scilicet dum concreſcit aqua præ frigore, partes ejus interiores conſtringuntur, & ad ſe ſe mutuò propiùs accedunt, remanente interim eodem ferè apparenti volumine ob relicta identidem vacuola: at ſimul effluunt particulæ aqueæ interventu vacuolorum: hinc fit levior glaciei moles & innatat aquis.

Inst. *Septimò.* Calor non facit ut corpus expandatur; ſic lutum dum coquitur ad minores redigitur anguſtias; ergo à contrario frigus non facit ut corpus conſtringatur.

Resp. Dist. Ant. Calor non facit ut corpus expandatur, per accidens, *C.* Per ſe, N. Sic dum recoquitur lutum plures aqueæ particulæ evolant, ideoque imminuatur lutum neceſſe eſt.

QUÆSTIO DECIMA-QUARTA.

De virtute magneticâ.

Quæ ineſt magneti vis attractiva ferri, ſolet à Recentioribus quibuſdam explicari per materiam ſubtilem, quæ confertim è magnete in ferrum irruens, & motu duplici mota, uno quidem recto,

antrorſum, altero circulari & veluti retrorsùm, offendit hirſutas, pilorum inſtar, ferri particulas, & impetu ſuo retrò pellit, ferrumque ſic ad magnetem adducit.

PROPOSITIO.

Ferrum attrahitur à magnete per materiam ſubtilem ſeu effluvia magnetica.

Probatur. Quidquid deprehenditur in attractione ferri à magnete continetur motu locali, quo ferrum accedit ad magnetem: atqui motus iſte localis qui cernitur in attractione ferri à magnete debet rejici in corpus aliquod ſubtiliſſimum erumpens è magnetè; tam enim motus iſte localis, qui cernitur in attractione ferri à magnete, debet rejici in corpus aliquod ſubtiliſſimum & inſenſibile, quàm motus localis qui cernitur in pinnulis verſatilibus debeat rejici in corpus aliquod rapidiſſimum, & inſenſibile nempe ventum incurrentem in pinnulas, eaſque impellentem huc illuc vè; ergo ferrum non aliter attrahitur à magnete quam interventu corporis alicujus ſubtiliſſimi è magnete erumpentis verſus ferrum.

OBIECTIO.

Ea non eſt cauſa virtutis magneticæ attractricis, quâ ſemel poſitâ, non deberet ferrum ruere in magnetem: atqui poſito quod materia ſubtilis è magnete diffundatur in ferrum, non deberet ferrum ruere in magnetem.

Prob. Min. Materia ſubtilis è magnete profluens, vel penetrat ferrum inoffenſo pede, vel incurrit in partes ejus ſolidas: ſi penetrat facilè, non adducit, ſi incurrit, repellit; ergo ferrum non deberet ruere in magnetem.

Resp. Nego min. & dico materiam illam ſubtilem penetrare ſimul & incurrere in partes ferri, penetrat quidem motu ſuo directo, atque ita deprimit particulas ferri hirſutas; incurrit verò motu ſuo circulari & retrorſum, erigendo eaſdem ferri particulas.

INST. *Primò.* Ut materia ſubtilis ferrum adducat ad magnetem, debet priùs expellere aëra, ferrum inter & magnetem interjacentem : atqui non poteſt expellere, ſiquidem ipſum meatibus innumeris perforatum levi negotio permeare debet.

RESP. NEGO MAj. Nam ſatis eſt, ſi aëra permeando, incurrat in fibrillas ferri.

INST. *Secundò.* Quandiu aër erit intra ferrum & magnetem, tandiu ferrum non ruet in magnetem ; ergo debet priùs expelli aër ferrum inter & magnetem jacens.

RESP. CONCEDO ANT. DIST. Conſeq. Ergo debet priùs expelli aër ferrum inter & magnetem jacens, expelli à ferro accedente, *C.* Ab ipſâ materiâ ſubtili in ferrum irruente, *N.*

INST. *Tertiò.* Ut aër propelleretur à ferro accedente, duo requirerentur : primò, ut eſſet locus in quem ſe ſe reciperet aër pulſus ; ſecundò, ut tanta vel etiam major vis ineſſet materiæ ſubtili ad propellendum ferrum, quanta eſt in ferro ad reſiſtendum : atqui neutrum veriſimile eſt.

RESP. NEGO MIN. Quoad utramque partem ; & dico pulſum aëra ſe ſe recipere ad locum à ferro accedente relictum.

INST. *Quartò. Quoad primam partem.* Sicubi poſſet ſe ſe recipere pulſus aër, præſertim in locum à ferro accedente relictum:atqui hoc dici non poteſt.

PROB. MIN. Pulſus aër non poſſet ſe ſe recipere in locum à ferro accedente relictum, niſi facto circuitu, per motum localem : atqui ſi ita eſt, neceſſe eſt locum illum à ferro relictum remanere vacuum per inſtantia temporis aliqua.

RESP. DIST. MIN. Neceſſe eſt locum illum à ferro relictum remanere vacuum, ſi pulſus aër locum hunc per ſe & immediatè petat, *C.* Si per vicinum ſibi aëra, *N.* At ferrum pellit aëra interjacentem, & is pellit vicinum, & iſte alterum ſibi proximum pellit : atque, qui jacet ad tergum ferri, ſuccedit in locum ferri ſuo cedentis loco.

INST. *Quintò. Quoad ſecundam partem.* Materia ſubtilis eatenùs dicitur habere vim ad propellendum ferrum in magnetem, quatenùs motu duplici movetur, uno antrorſum & directo, altero retrorſùm & circulari : atqui uterque ille motus eſt incom-

poſſibilis, & aliunde non ſufficit propellendo ferro in magnetem.

Probatur Minor quoad primam partem.

Motus antrorſum deſtruit motum retrorſum: impoſſibile eſt corpus moveri antrorſum ſimul & retrorſum.

Resp. Dist. Motus antrorſum deſtruit motum retrorſum ſibi oppoſitum, C. Diſparatum, N. At non ſunt ſemper oppoſiti, ut videre eſt in motu rotæ currûs, quæ movetur motu recto antrorſum, ſimul & retrorſum, circulari. Addi poteſt utrumque hunc materiæ ſubtilis motum eſſe ſucceſſivum, atque alternis vicibus.

Inst. *Sextò. Quoad ſecundam partem.* Globus eburneus duplici motu recto & circulari motus, non pellit retrorſum calcata à ſe corpora; ergo nec materia ſubtilis magnetica propellere deberet retrorſum ferri partes.

Resp. Nego Conſeq. & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quia non ea eſt mecanica diſpoſitio requiſita vel in globo vel in calcatis à globo corporibus ut retrorſum pellantur: at verò eſt in materiâ ſubtili & ferro hujuſmodi diſpoſitio, & conſiſtit in eo quod materia ſubtilis averſo pulſu feriat & erigat ferri particulas, pilorum ad inſtar contextas.

Inst. *Septimò.* Atqui pariter materia ſubtilis magnetica non poteſt averſo pulſu erigere ferri fibrillas.

Prob. Subs. Incredibile eſt rigidas admodùm ferri fibrillas tam facilè flecti poſſe ab intercurrente materiâ liquidâ.

Resp. *Primò.* Dist. Niſi partes inſenſibiles ferri ſint flexiles nec tam rigidæ, C. Si ſint flexiles, N. At licèt partes ferri ſenſibiles, ſint multùm rigidæ, non ſequitur inſenſibiles & exiguas pariter eſſe rigidas.

Resp. *Secundò.* Dist. Niſi materia illa ſubtilis ſit in motu perniciſſimo, C. Secùs, N. At ſupponimus perniciſſimum eſſe materiæ ſubtilis motum: ſicut ergo arborum rami & pinnulæ verſatiles, vento commoventur validiſſimo, uſque adeo ut radicitùs ſæpè extirpentur arbores: ita & validiſſimo materiæ magneticæ motu commoveri poſſunt ferri particulæ, atque erigi.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google